JC. SUP. 22. Pl-3.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO LEOPOLDO
37
30 B
24

- MAG 159

CÆREMONIALE ECCLESIASTICUM JUXTA RITUM ROMANUM

Uſumque Fratrum Eremitar. Diſcalceator. Ordinis S.P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ.

IN QUINQUE LIBROS DISTRIBUTUM

A quondam R. P. Paulo à S. Jo. Evangeliſta ejuſdem Congregationis Viſitatore Gener. compoſitum, & ordinatum:

Nunc verò Definitorii Generalis ann. 1703. ejuſdem Congregationis decreto, in ampliorem, & clariorem formam redactum, & expoſitum

A REVERENDIS PATRIBUS

VINCENTIO A S. FRANCISCA, ET DIONYSIO A S. NICOLAO *in Conventu* JESU MARIÆ *de Urbe Sacræ Theologiæ Lectoribus.*

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMÆ, Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi. MDCCIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

Nos Fr. Caliſtus à S. Innocentio FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Vicarius Generalis.

QUamvis Cæremoniale noſtrum Eccleſiaſticum à quondam P. Paulo à S. Jo. Evangeliſta ejuſdem noſtræ Congregationis Viſitatore Generali compoſitum, diligenterque ordinatum fuerit, aliqua tamen in eo addere, vel mutare neceſſarium judicatum fuerit à Definitorio noſtro Generali Annuali, anno 1703. in Conventu Jeſu Mariæ de Urbe celebrato; idcircò ad hoc peragendum cura demandata fuit PP. Vincentio à S. Franciſca, & Dionyſio à S. Nicolao in prædicto Conventu Sacræ Theologiæ Lectoribus, & in Eccleſiaſticis ritibus edoctis. Quod cum diligenter præſtiterint, & impoſitum ſibi munus ſolerter adimpleverint, prout à relatione facta Definitorio Generali 5. Februarii currentis anni à R.P. Carolo à S. Paulo Primo Definitore Generali, & ipſorum PP. accurato ſcrutinio conſtat: Nos auctoritate noſtri officii, & decreto Definitorii Generalis præfati inhærentes, non ſolum, ut imprimatur facultatem concedimus, & impartimur, ſed illud quoad omnia, & ſingula approbantes, omnibus noſtræ Congregationis FF. præcipimus, ut eo impoſterum in Sacris Ritibus utantur, illudque præ manibus continuò habentes, eo quo par eſt, decore gratum Deo exhibeant famulatum. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas dedimus in Conventu Jeſu Marię de Urbe die 10. Febr. 1704.

Fr. Caliſtus à S. Innocentio Vic. Generalis.

Fr. Anſelmus à S. Emygdio Sec. Definitorii.

Librum cui titulus eſt, *Cæremoniale Eccleſiaſticum* &c. demandante Adm. R. P. Caliſto à S. Innocentio noſtræ Congregationis Vic. Generali attentè perlegimus, ac perluſtravimus; & in eo non ſolùm omnia ſacris ritibus cònſona, verum diligentiori forma expolita, optimeque adnotata obſervavimus. Quare non ſolùm Cultui Divino, eo quo decet, nitore celebrando; ſed cunctis in cæremoniis ſacris ſtudioſis utiliſſimum cenſemus, ſi in lucem prodeat, prout ea digniſſimum judicamus. In Conventu Jeſu Mariæ de Urbe die 13. Decembris 1703.

Fr. Jacobus à S. Felice Sac. Theolog. Profeſſor, & Tertius Deſinitor Provincialis.

Fr. Anſelmus à S. Emygdio Sac. Theologiæ Lector.

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſt. Mag.

IN-

INDEX CAPITUM

Libri Primi.

DE officio *Præſidentis in Choro*. Cap. I. pag. 1.
De Ordine, quem PP. noſtræ Congregationis in omnibus locis ſervare debent. Cap. II. pag. 2.
De Officio Admodum R. P. Vicarii Generalis. Cap. III. pag. 3.
De Procuratore Generali, & Generalibus Definitoribus. Cap. IV. pag. 5.
De Provinciali, & Definitoribus Provincialibus. Cap. V. pag. 6.
De Officio Prioris. Cap. VI. pag. 7.
De Officio Supprioris. Cap. VII. pag. 9.
Tabulæ Officiorum ſervandæ in omnibus anni Solemnitatibus pag. 13. 14. 15. 16., & 17.
De Officio Hebdomadarii. Cap. VIII. pag. 18.
De Officio Cantorum. Cap. IX. pag. 22.
De Officio Verſiculariorum. Cap. X. pag. 31.
De Officio Lectoris. Cap. XI. pag. 35.
De Officio Legentium Lectiones ad Matutinum. Cap. XII. pag. 38.
De Officio Diaconi in Miſſa ſolemni. Cap. XIII. pag. 40.
De Officio Diaconi in Miſſa ſolemni pro Defunctis p. 52.
De Officio Subdiaconi in Miſſa ſolemni. Cap. XIV. pag. 53.

De Officio Subdiaconi in Miſſa ſolemni pro Defunctis. pag. *61*.
De Officio Thuriferarii. Cap. XV. pag. *62*.
De Officio Thuriferarii in Miſſa Solemni pag.*65*.
De Officio Thuriferarii in Miſſa ſolemni pro Defunctis pag.*69*.
De Officio Accolythorum. Cap. XVI. pag. 70.
De Officio Accolythorum in Veſperis ſolemnibus pag. 72.
De Officio Accolythorum in Miſſa ſolemni pag. 75.
De Officio Miniſtri in Miſſis privatis. Cap. XVII. p.81.
De Officio Miniſtri in Miſſa coram Prælatis pag. *90*.
De Officio Prædicatoris. Cap. XVIII. pag. *92*.
De Officio Sacriſtæ. Cap. XIX. pag. *96*.
De Officio Campanarii Diurni. Cap. XX. pag. 103.
De Officio Campanarii Nocturni. Cap. XXI. pag. 111.
De Officio Magiſtri cæremoniarum. Cap. XXII. p. 113.

INDEX CAPITUM

Libri Secundi.

D*E Modeſtia in Choro ſervanda*. Cap. I. pag. 119.
Qualiter, & quoties eſt formandum ſignum Crucis. Cap. II. pag. 123.
Quomodò, & quandò pectus eſt percutiendum. Cap. III. pag. 124.
Qualiter, & quoties terra oſculanda eſt. Cap. IV. pag. 125.
Quomodò, & quandò genuflectendum eſt. Cap. V. pag. 127.
De Genuflexionibus integris pag. 127.
De Genuflexionibus dimidiatis pag. 131.
Qualiter, & quoties eſt inclinandum. Cap. VI. pag. 131.
De Inclinationibus profundis pag. 132.
De Inclinatione media pag. 134.
De Inclinatione capitis pag. 134.

Quan-

Quandò facie ad Altare, vel ad invicem verſa, Fratres ſtabunt. Cap. VII. pag. 135.
De modo, & tempore ſedendi, & ſtandi in Choro. Cap. VIII. pag. 136.
Quando diſcoopertis, vel coopertis Capitibus eſſe debeant. Cap. IX. pag. 139.
De modo legendi, & canendi ea, quæ legenda, & canenda ſunt in Choro. Cap. X. pag. 141.
De Veſperis ſolemnibus. Cap. XI. pag. 147.
De Veſperis ſolemnibus pro Defunctis. Cap. XII. p. 152.
De Matutinis ſolemnibus. Cap. XIII. pag. 153.
De Precibus, & Commemorationibus, ſeu Suffragiis Sanctorum, atque Sermonibus S. P. Noſtri Auguſtini. Cap. XIV. pag. 157.
De Commemorationibus, ſeu Suffragiis pag. 158.
De Sermonibus S. P. N. Auguſtini pag. 160.
De Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus, atque Litaniis Sanctorum. Cap. XV. pag. 161.
De Miſſa ſolemni, quoad ea, quæ in Choro canuntur. Cap. XVI. pag. 162.
De Ingreſſu, & egreſſu Fratrum à Choro. Cap. XVII. pag. 166.

INDEX CAPITUM

Libri Tertii.

DE Altari. Cap. I. pag. 170.
De Sacriſtia. Cap. II. pag. 176.
De Qualitate, & Uſu Paramentorum. Cap. III. pag. 183.
De Numero, & qualitate candelarum, in Miſſis, & aliis Divinis Officiis adhibendarum. Cap. IV. pag. 187.
De Miſſa ſolemni. Cap. V. pag. 188.

De

De Miſſa, quæ canitur cùm tribus tantum Accolythis. Cap. VI. pag. 199.
De Miſſa, quæ canitur cum uno ſolum Accolytho. Cap. VII. pag. 205.
De Prima Miſſa Sacerdotis novitèr Celebrantis. Cap. VIII. pag. 206.
De Miſſa privata, quæ celebratur in Altari, in quo Sanctiſſimum Sacramentum eſt diſcoopertum. Cap. IX. pag. 212.
De Miſſa ſolemni coram Sanctiſ. Sacramento diſcooperto. Cap. X. pag. 214.
De Miſſa Votiva ſolemni. Cap. XI. pag. 215.
De Miſſa privata pro Defunctis. Cap. XII. pag. 216.
De Miſſa ſolemni pro Defunctis. Cap. XIII. pag. 217.
De Abſolutione in fine Miſſæ ad Tumulum facienda. Cap. XIV. pag. 220.
De Renovatione Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. XV. pag. 224.
De modo communicandi, & Miniſtrandi Sanctiſſimam Euchariſtiam in Miſſis ſolemnibus, & privatis, ac extrà Miſſam. Cap. XVI. pag. 226.
De modo communicandi intrà Miſſam ſolemnem p. 227.
De modo communicandi intra Miſſam privatam p. 229.
De modo communicandi Populum extra Miſſam p. 232.
De Aqua benedicta, & ejus aſperſione. Cap. XVII. pag. 233.
De modo, & ordine imponendi Thus in Thuribulum, & de Thurificatione Altaris, & aliorum, in Veſperis, & Miſſis ſolemnibus. Cap. XVIII. pag. 239.
De modo imponendi Thus in Thuribulum, illudque benedicendi pag. 240.
De modo Thurificandi Altare in principio Miſſæ, & Veſperis ſolemnibus pag. 242.
De modo Thurificandi Oblata, & Altare pag. 245.
De modo Thurificandi Celebrantem, Chorum, Miniſtros Altaris, & Populum. pag. 247.

De

De modo, & Ordine dandi pacem. Cap. XIX. pag. 251.
De Abacu, ſeu Credentia. Cap. XX. pag. 253.

INDEX CAPITUM
Libri Quarti.

DE Tempore Adventus. Cap. I. pag. 255.
De Vig. Nativ. Dñi N. Jeſu Chriſti. Cap. II. pag. 256.
De ſolemnitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & tribus ſequentibus feſtis. Cap. III. pag. 257.
De feſto Circuncifionis Domini Noſtri, & Annua Benedictione Conventus. Cap. IV. pag. 261.
De feſto Epiphaniæ Domini. Cap. V. pag. 261.
De Votorum renovatione. Cap. VI. pag. 262.
De Benedictione, ac diſtributione Candelarum, ac Proceſſione, & Miſſa in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Cap. VII. pag. 264.
De Benedictione Candelarum pag. 265.
De Diſtributione Candelarum pag. 267.
De Proceſſione Candelarum pag. 269.
De Miſſa ſolemni in die Purificationis pag. 270.
De Feria Quarta Cinerum, & Benedictione, & impoſitione eorum. Cap. VIII. pag. 271.
De Impoſitione Cinerum pag. 272.
De Miſſa feriæ quartæ Cinerum pag. 274.
De Tempore Quadrageſimali pag. 274.
De Benedictione, Diſtributione, ac Proceſſione Olivarum, & de Miſſa Dominicæ Palmarum. Cap. IX. pag. 274.
De Benedictione Palmarum pag. 275.
De Proceſſione Palmarum pag. 278.
De Miſſa ſolemni Dominicæ Palmarum pag. 279.
De Matutinis Tenebrarum, Quartæ, Quintæ, & Sextæ Feriæ majoris Hebdomadæ. Cap. X. pag. 282.

De Miſſa, Proceſſione, ac Altarium denudatione Feriæ Quintæ in Cœna Domini. Cap. XI. pag. 286.
De Proceſſione pag. 289.
De Altarium denudatione pag. 293.
De Mandato, ſeu Lotione pedum. Cap. XII. pag. 293.
De Feria Sexta in Paraſceve. Cap. XIII. pag. 296.
De Crucis Adoratione pag. 300.
De Proceſſione, & Reliquis uſque ad finem Officii p. 302.
De Sabbato Sancto. Cap. XIV. pag. 307.
De Benedictione Ignis pag. 309.
De Præconio pag. 311.
De Prophetiis, & Litaniis pag. 313.
De Miſſa, & Veſperis Solemnibus pag. 315.
De Feſto Paſchæ Reſurrectionis, & tempore Paſchali. Cap. XV. pag. 318.
De Aſcenſione Domini, & de Vigilia, ac Feſtis Pentecoſtes, & Sanctiſſimæ Trinitatis. Cap. XVI. pag. 319.
De Feſtivitate, & Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti. Cap. XVII. pag. 320.
De Solemnitate S. P. N. Auguſtini, & S. Nicolai de Tolentino, ejuſq; Panis Benedictione. Cap. XVIII. p. 325.
De Benedictione Panis S. Nicolai pag. 326.
De Commemorationis die omnium Fidelium Defunctorum. Cap. XIX. pag. 329.
De Feſto Patroni, vel Titularis Eccleſiæ. Cap. XX. pag. 331.

INDEX CAPITUM

Libri Quinti.

D*E Benedictionibus in communi*. Cap. I. pag. 332.
De Ritu ponendi primam Crucem, pro Conventu ædificando, eumque cùm Fratres primò ingrediuntur, ac in die Circ. Dñi Benedicendi. Cap. II. p. 333.

De

*De Ritu, & ordine veſtiendi Novitios, & emittendi pro-
feſſionem*. Cap. III. pag. 334.
De Ritu obſervando in oratione ſolemni quadraginta Horarum. Cap. IV. pag. 340.
De Ritu, & Ordine faciendi orationem mentalem. Cap. V. pag. 348.
De Ritu in Oratione Serotina, & communi flagellatione obſervando. Cap. VI. pag. 351.
De Ritu Celebrandi Capitulum Conventuale. Cap. VII. pag. 352.
De Ritu celebrandi Capitulum Generale, Definitorium, vel Congregationem. Cap. VIII. pag. 355.
Ritus celebrandi Capitulum Generale. Cap. IX. pag. 356.
De Ritu celebrandi Capitula Provincialia in Provinciis Italiæ. Cap. X. pag. 376.
Ritus celebrandi Definitorium Provinciale Annuale. Cap. XI. pag. 402.
De Officio, & auctoritate Prioris Provincialis. Cap. XII. pag. 404.
De Definitorio Provinciali, & ejus auctoritate p. 410.
De Ritu in Refectione obſervando. Cap. XIII. pag. 414.
De Ritu in annuis, & Menſtruis ſchedulis, ac Spiritualibus concertationibus obſervando. Cap. XIV. p. 418.
De Ritu, & ordine exeundi, & redeundi in Conventum. Cap. XV. pag. 420.
De Ritu, & Ordine recipiendi Hoſpites. Cap. XVI. pag. 421.
De Ritu, & Ordine recipiendi Prælatos extraneos, vel Vicarium noſtrum Generalem. Cap. XVII. pag. 422.
De Ritu in Proceſſionibus obſervando. Cap. XVIII. pag. 424.
De Ritu canendi, & recitandi Litanias Beatiſſimæ Mariæ Virginis. Cap. XIX. pag. 429.
De Ritu in ſolitudinis ingreſſu obſervando. Cap. XX. pag. 431.
De Ritu Viſitandi Infirmos noſtros, ac eis Sacram Eucha-

cha-

chariſtiam , ac extremam unctionem miniſtrandi . Cap. XXI. pag. 432.
De Ritu in exequiis Defunctorum obſervando. Cap. XXII. pag. 434.
De Reliquiis Sanctorum in Cęlo Regnantium. Cap. XXIII. pag. 438.
De Ritu recipiendi Viſitatorem Apoſtolicum ad nos Viſitandos à Summo Pontifice miſſum. Cap. XXIV. p. 440.
De Ritu recipiendi Vicarium noſtrum Generalem *dum ad viſitandum aliquem* Conventum *accedit.* Cap. XXV. pag. 445.
De Ritu ſervando in novem diebus feſtum Nativitatis Domini N. Jeſu Chriſti antecedentibus. Cap. XXVI. pag. 447.
De Ritu obſervando in gravibus Eccleſiæ neceſſitatibus. Cap. XXVII. pag. 448.
De Ritu obſervando, quando per Civitatem aliquis ex noſtris Religioſis cauſa Miſsionis concionari debuerit. Cap. XXVIII. pag. 449.
Formularium litterarum teſtimonialium. Cap. XXIX. à pag. 450. *uſque ad* pag. 479.
Ritus de modo pulſandi Campanas. Cap. XXX. pag. 480.

CÆ-

CÆREMONIALIS ECCLESIASTICI JUXTA RITUM ROMANUM,

Uſumque Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ:

LIBER PRIMUS.

De Eccleſiaſticis Miniſtris.

De Officio Præſidentis in Choro. Cap. I.

QUoniam Divina Officia, ubi perſolvuntur, ſua ſigna demonſtrativa habere debent, ut facilè, & ordinatè recitentur, ideò Præſidens, qui erit, vel Admodum R. P. Vicarius Generalis vel Viſitatores in ſua actuali viſitatione, vel Provinciales in ſuis Provinciis, vel Priores, Vicarii, & Suppriores in ſuis Conventibus, aut Procurator Generalis, Definitores Generales, ac Viſitatores extra actualem viſitationem, Definitores Provinciales in propriis Provinciis, Secretarius Generalis in omnibus Congregationis Conventibus, Secretarius Provincialis in propria Provincia, vel antiquior Sacerdos vocalis ex propria familia, quibus deficientibus, quicumque Sacerdos non vocalis, ita ut uno deficiente alter ſuccedat ordine prædicto, hæc ſigna cunctis Fratribus, vel aliquibus dabit, Toti ſcilicèt

Ex noſtris Apoſt. Conſt. p. 1. cap. 1. §. 7. & 8.

cætui Religioſorum in Choro genuflexo, ut ſe erigat, & Hebdomadario, ut Officium incipiat, manu ſignum faciet, eoque abſoluto iterum abeundi ſignum dabit.

Ex noſtris Conſtit. p. 1. cap. 1. §. 7.

Præſidentis etiam eſt, ſerò Chorum ingredientibus, & genuflectentibus, ut ſe erigant, ſignum facere, veniam è Choro exeundi juſtè, & debitè poſtulantibus tribuere, ac omnes errantes, vel in aliquo deficientes emendare, & corrigere, non verò ipſis pænitentiam imponere, niſi fuerit Prælatus in propria reſidentia, vel Supprior in abſentia Prioris: Tanta autem modeſtia, errantes emendari debent, ut ſi fieri poſſit, nullus exterorum animadvertat errorem: Quarè optimum, & valdè laudabile eſſet, ſi Præſidens per Breviarium, aut Diurnum, Officium recitaret, ſic enim aliquo ex miniſtris deficiente, vel errante, ſtatim, ac facilè abſque ulla Chori retardatione poſſet modeſtè emendare. Ea denique, quæ Præſidens efficere debet in oratione mentali, communi flagellatione, oratione ſerotina, & ſolitudinis ingreſſu in propriis locis notantur.

De Ordine, quem PP. noſtræ Congregationis in omnibus locis ſervare debent.

Cap. II.

Ex noſtris Conſt. par. 2. cap. 8. §. 2. & 3.

IN omnibus locis Admodum R.P. Vicarius Generalis noſtræ Congregationis ubique omnes Fratres noſtros præcedere debet, quem ſequatur P. Procurator Generalis, extra tempus Capituli Generalis, & Definitorii, quo tempore dumtaxàt Definitores Generales habeat præcedentes, deindè Definitores Generales, poſteà ſequatur Provincialis propriæ Provinciæ, & deinde Prior Localis, poſt quẽ ſuccedant Viſitatores Generales in toto triennio, extra eorum actualem viſitationem, nam in actuali viſitatione omnes præcedere debent, Vicario Generali tantummodò excepto: Inſuper Definitores Provinciales in propria provincia, poſt quos deve-

deveniant Provinciales Hoſpites, necnon Priores ſimilitèr Hoſpites, ſervata ad invicem antiquitate Provinciarum, aut Conventuum, deindè Supprior Localis, & Secretarii, tum Generalis, tum Provincialis; poſt quos veniant Definitores Provinciales extrà propriam Provinciam, quibus ſuccedant Suppriores Hoſpites, poſteà verò Sacerdotes Profeſſi, quos ſequi debent Sacerdotes Novitii, deindè Clerici Profeſſi, poſtea Clerici Novitii, deindè Laici Profeſſi, & Laici Novitii, ultimo verò Tertiarii Profeſſi, cum Tertiariis Novitiis ſervata ad invicẽ proportione antiquitatis profeſſionis, ſi profeſſi ſint, & approbationis in Novitiatu ſi Novitii fuerint.

Ex defin. Annual. 11. April. 1693.

Ex noſtris Conſt. par. 2. cap. 8. §. 3.

Si autem in eo Conventu non adſit Admodum R. P. Vicarius Generalis, tunc primum locum teneat Pater Provincialis, & deficientibus in illo Conventu Admodum R. P. Vicario Generali, necnon Provinciali, tùnc Prior Localis cæteris omnibus præſidebit, cæteri verò ordinem ſuprà expoſitum in actibus omnibus communitatis ſervabunt. Quod autem dicitur hic de præſidentia Prioris Localis in abſentia Vicarii Generalis, & Provincialis, eſt etiam extendendum ad Vicarium Conventus à Priore relictum, & ad Vicarium Capituli, dum Prior pro Generali, aut Provinciali Capitulo celebrando à proprio Conventu diſceſſit. Quandò verò Admodum R. P. Vicarius Generalis ad viſitandas aliquas Provincias, ſeù ad aliquod negotium pertractandum, aliquem de gravioribus Congregationis Patrem deputaverit, tunc ille Commiſſarius, omnes in illa Provincia, ſive in illis Provinciis, ubique præcedet.

De Officio Admodum R. P. Vicarii Generalis. Cap. III.

Vicarius Generalis poſtquam in Capitulo Generali eſt à PP. electus, & à Præſidente Capituli Generalis confirmatus, in tota noſtra Congregatio-

Ex Conſt. noſtris pa. 3. cap. 3. §. 1. uſque ad 5.

ne eſt Supremus Prælatus, habetque ordinariam juriſdictionem ſuper omnes noſtræ Congregationis Religioſos, & ideò totam noſtram Congregationem cum plena auctoritate gubernabit; Et poteſt omnia præſtare, quę præſtant omnium aliarum Religionum Generales, cum ei plena auctoritas à noſtris Apoſtolicis Conſtitutionibus tribuatur per verba: *Auctoritatem plenam habebit niſi in caſibus Definitorio reſervatis*. Undè exceptis illis caſibus, amplam in omnibus habet facultatem, & juriſdictionem, de quà poteſt videri tota tertia pars noſtrarum Apoſtolicarum Conſtitutionum.

Ex decr. Sacr. Congr. Epiſc., & Reg. die 24. Maii 1626., & firmant Barboſ. de jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1 cap. 41. Lezana tom. 2. Aldanus in collect. deciſ. Apoſt. deciſ. 721. n. 1. Euſtach. à S. Ubal. quodlib. 13. dub. 2.

Ad ipſum ergo, utpotè ſupremum noſtræ Congregationis Prælatum pertinet celebrare in diebus Epiphaniæ Domini, Paſchatis reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sanctiſſimi P. N. Auguſtini, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſicuti die Sabbati, quò incipitur Generale Capitulum, & eò die, quò novus Vicarius Generalis eligitur, & etiam die Sabbati, quo Definitorium annuale celebratur, debet ſolemniter Miſſam de Spiritu Sancto celebrare; Et ipſo ſolemniter celebrante, ei ut Diaconus miniſtrabit unus ex quatuor Definitoribus Generalibus, & ut Subdiaconus Secretarius Generalis.

Ex Decr. S. Cong. Rit. in una And. 22. Ian. 1618.

Si autem ipſe Vicarius Generalis in aliis Solemnitatibus celebrare voluerit ultrà præfatas, utique celebrare poterit. Advertendum tamen hic eſt, quod ſi diebus, quibus Miſſam de Spiritu Sancto Solemniter celebrare debet, ante celebrationem Capituli Generalis, aut Definitorii annualis ipſe impeditus fuerit, ad primum Definitorem Generalem tunc celebrare ſpectabit.

Quandò verò ipſe Vicarius Generalis, vel in Chorum, vel Capitulum, vel in quemcunque alium locum, in quo Religioſi communitèr congregati fuerint, ingreſſus fuerit, ſi ſederint, omnes ſe erigant, & ſi capite cooperto ſint, caput diſcooperiant, & nullus ſedere audeat, quouſque Vicarius Generalis in proprio

loco

loco ſederit, & ſe cooperuerit, quod etiam ad alios Prę-latos extendi debet, nempè Provinciales in propria Provincia, abſente Vicario Generali, & Priores locales, abſentibus Vicario Generali, & Provinciali.

Dę Procuratore Generali, & Generalibus Definitoribus. Cap. IV.

PRocurator Generalis in noſtra Congregatione ſemper ſecundum locum occupare debet, ita ut ſi in eo Conventu ſit Vicarius Generalis, poſt ipſum ſedebit, tam intrà Clauſtra, quam extrà. Si in eò Conventu verò ſit Provincialis, poſt Provincialem intrà Clauſtra, & ſi ſit tantum Prior, poſt Priorem ſedebit. Extrà verò Conventum, tàm in Proceſſionibus, quàm in aliis locis primum locum tenebit in abſentia Admodum R. P. Vicarii Generalis. *Ex Conſt noſtris 3.p.c. 6.per totum.*

Ad ipſum ſpectabit celebrante Adm.R.P. Vicario Generali, die Nativitatis Dñi Noſtri Jeſu Chriſti, Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, celebrare in Feſto S. Stephani Prothomartyris, & in feriis ſecundis Paſchatis, & Pentecoſtes.

Quando tamen Definitorium Generale annuale celebratur, tunc in actibus communitatis non ampliùs ſecundum locum occupabit, ſed poſt quartum Definitorem Generalem ſedebit, quo abſoluto, ſemper ſecundum locum tenebit, ut ſuprà dictum eſt. *Ex obſerv. Romæ.*

Definitores verò Generales in pręſentia Vicarii Generalis eundem ordinem ſervabunt, qui in ſecundo cap. hujus libri expreſſus eſt. In abſentia verò Vicarii Generalis, ſi adſit Provincialis, poſt Provincialem, ſi adſit tantum Prior, poſt Priorem ſedebunt, hoc tamen eſt intelligendum, quando in eo Conventu Procurator Generalis non moratur, nam ſi ibi ille permaneat, poſt Procuratorem Generalem ſervato eorum ordine ſtabunt. *Ex Conſt. noſtris p.3.c. 4.per totum.*

Ad hos autem Generales Definitores tantum celebra-

re

re pertinebit, quando erunt plures ſolemnitates, ut Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes, in quorum prima, vel Vicarius Generalis, vel Provincialis, aut his deficientibus Prior localis celebraverint, & etiam quando Prior localis iis diebus, quibus ipſe prout de jure eſſet celebraturus, ipſis celebrationem commiſerit.

Hi autem omnes, qnando in Chorum, vel Capitulum, aut in quemcumque alium communitatis locum ingrediuntur;ubi ſunt Religioſi communitèr congregati, exiſtente ibi Admodum R. P. Vicario Generali genuflectent, & ſignum ſe elevandi expectabunt, eò verò deficiente ad proprium locum pergent, & Religioſi omnes, reverentiam mediam eis facient, quouſque ad proprium locum pervenerint; Quidquid verò de Generalibus Definitoribus dicitur, ſervata proportione etiam intelligitur dictum de Viſitatoribus Generalibus in toto triennio extrà eorum actualem viſitationem; Nam in actuali viſitatione, ſi in eò Conventu non adſit Admodum R.P. Vicarius Generalis, ad eos celebrare ſpectabit illis diebus, qui prò Admodum R. P. Vicario Generali ſunt aſſignati.

De Provinciali, & Definitoribus Provincialibus. Cap. V.

Ex Decr. Cap. Gener. celeb. die 8. Maii anni 1692.

PRovincialis officium eſt ſuam Provinciam gubernare, cui prò adjutorio quatuor Provinciales Definitores adjuncti ſunt. Ad ipſum ſpectat abſente Vicario Generali iis diebus celebrare, in quibus celebratio de jure ad Vicarium Generalem pertineret, & etiam in feſtivitate S. Matris Monicæ, quo die ad ipſum dumtaxat, & non ad alios pertinet celebratio. Quandò autem convocatum eſt Provinciale Capitulum, ipſe die Sabati, quo Judices cauſarum eliguntur, & die, quo novus eligitur Provincialis, Miſſam de Spiritu Sancto

Sole-

Solemnitèr celebrabit, quod etiam dicimus, quando fit Definitorium annuale Provinciale, cui ut Diaconus aſſiſtet unus ex Definitoribus Provincialibus, & ut Subdiaconus Secretarius Provincialis. Si verò Provincialis impeditus fuerit, poterit Primus Definitor celebrare, & eo ſimiliter impedito, ſecundus.

Locus autem Definitorum Provincialium eſt poſt Priorem localem, poſt quos, ſi adſint Provinciales Hoſpites, locum habebunt. In quo verò conſiſtat officium Provincialis, & Definitorum Provincialium videri poteſt in quinto hujus cæremonialis libro, in quo de ritu celebrandi Provinciale Capitulum agetur, & de auctoritate Prioris Provincialis, & de Definitorio Provinciali.

De Officio Prioris. Cap. VI.

CUm in primìs, & ante omnia ea, quæ ad Divinum Cultum ſpectant, præ oculis perpetuo nobis habenda ſint. Prioris officium eſt curare diligenter, ut Miſſale, Breviarium, Martyrologium cultui Divino perficiendo congrua ſemper in Choro reperiantur. Ejus etiam eſt, ſedulò invigilare, ut cæremoniæ ſumma cum diligentia peragantur. Unde Divino Officio, Orationi mentali, cæteriſque exercitiis Spiritualibus, niſi negotiis ad Congregationem, vel Conventum ſpectantibus impediatur, intereſſe debet. *Ex Conſt. noſtris p. 1. c. 1. §. 1. & 9*

In omnibus feſtivitatibus duplicibus, primæ Claſſis dummodò in eo Conventu non adſint Admodum R. P. Vicarius Generalis, aut Provincialis, & triduò ante Paſcha à primis Veſperis uſque ad Completorium ſequentis diei excluſivè, officium in Choro, & quidquid ad Hebdomarii munus attinet, ipſe perſolvat; exceptis feriis ſecundis, & tertiis Paſchatis, & Pentecoſtes, necnon feſtis Sanctorum Stephani Prothomartyris, & Joannis Evangeliſtæ, in quibus digniores poſt Priorem, Officium in Choro, & Hebdomadarii munus exerceant.

In

In Feſto Purificationis B. M. Virginis, in Feria quarta Cinerum, in Dominica Palmarum, ac in die S. Nicolai de Tolentino ipſe Candelas, Cineres, Palmas, ac Panes Solemniter benedicet, Proceſſionem faciet, Miſſamque cantabit; excepta Feria quarta Cinerum, qua die nec fit Proceſſio, nec Miſſa cantatur. Prioris etiam munus eſt Miſſam ſolemniter celebrare in diebus Circumciſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, S. Joſeph Protectoris totius noſtræ Congregationis, Annunciationis, Navitatis, Conceptionis Beatiſſimæ Mariȩ Virginis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Patrocinii S. Joſeph, S. Thomæ de Villanova, ac S. Guillelmi, ac Titularis Eccleſiæ. Poterit tamen ultrà prædictos dies, aliqua rationabili de cauſa in aliquo Feſto duplici ſecundæ claſſis Hebdomadarii munus ad libitum adimplere.

In Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, in die obitus Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Vicarii noſtri Generalis, Procuratoris Generalis, Viſitatorum in tertio anno, Definitoris, & Provincialis propriȩ Provinciæ officium ad Veſperas, & Matutinum faciet, Miſſamque cantabit. Ad Priorem etiam ſpectat ſolemnitèr celebrare, quando Venerabile exponitur Sacramentum pro oratione quadraginta horarum. Dare benedictionem cum Venerabili per totam octavam Corporis Chriſti, in omnibus Dominicis ſecundis, aut Tertiis cujuslibet menſis in iis Conventibus, in quibus Venerabile exponitur Sacramentum pro animabus Purgatorii, & in novem diebus antecedentibus Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut in quibuſcunque aliis caſibus, in quibus Venerabile Sacramentum populorum adorationi exponitur, ipſe benedictionem prȩſtabit, ſi verò eorum aliquid rationabili impedimento Prior præſtare nequiverit, P. Supprior, ſeù alius ex Patribus ad Prioris beneplacitum, ſupplere poterit, in quo caſu Hebdomadarius per Tabulam aſſignatus, ita ſe

gerat

gerat, etiam abſente Priore, ac ſi Hebdomadarius non eſſet, tunc enim Præſidens Chori Officium faciet, vel id alteri ordinabit.

In ſolemnitatibus tandem Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, In diebus Sacratiſſimæ Pentecoſtes, ac Diviniſſimi Corporis Chriſti, in Feſtivitatibus Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Titularis Eccleſiæ, Omnium Sanctorum, S. Jo: Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. P. N. Auguſtini, S. Matris Monicæ, S. Nicolai de Tolentino, in prima Dominica Adventus, & Quadrageſimæ, & in feria quinta in Cœna Dñi abſolutionem generalē cunctis Fratribus, juxtà formam in officio noſtri Ordinis præſcriptam, concedet, eò verò abſente Supprior ex ipſius ſpeciali commiſſione id facere poterit. *Offic. noſtri ord. fol. 72. à tergo.*

De Officio Supprioris. Cap. VII.

SUpprioris Officium eſt Chorum moderari, dareque operam, ut Divinum Officium cùm Ritibus ab Eccleſia, Ordinarioque præſcriptis religiosè perſolvatur; ejus etiam miniſterio omnia Eccleſiaſtica munia obeunda ſunt; Quare Divino Officio, Orationi Mentali, cæteriſque functionibus Eccleſiaſticis niſi legitimè impediatur, inceſſanter aſſiſtere debet. *Ex Conſt. noſtris p. 3. c. 10. per totū.*

Quidquid in Choro recitandum, canendum, vel legendum ſit, antequam officium perſolvatur, prævideat, & ſi opus fuerit Hebdomadarium, cæteroſque Miniſtros diligentèr, & accuratè doceat, ne aliquem Miniſtrorum errantem totus Chorus errando proſequatur.

Sępè, Rubricas generales Miſſalis, & Breviarii, nec non Cęremoniale hoc, à quò nunquam recedere debet, velut diligens, & prudens Cęremoniarum Magiſter ſumma cùm attentione legat, ut cùm opus fuerit, de his, quæ fiunt rationem reddere valeat. *Cęrem. Epiſcop. lib. 1. cap. 4.*

In Choro à principio Officii uſque ad finem præmanibus Breviarium, aut Diurnum habeat, ut neceſſitate cogente cunctos Chori Miniſtros, cæteroſque errantes, ſumma cum modeſtia, charitate, nutu, vel ſigno emendare facilè poſſit. Caſtigationes, ſeù Correctiones ſi neceſſariæ fuerint alio in loco differendo.

Ex Conſt. noſtris p. 1.c. 9. §. 3. Si quis verò intèr legendum errorem commiſerit, nullus illum præter Priorem, vel eum, qui præſidet corrigere præſumat.

Diligenter etiam invigilet, ut Divinum Officium, tàm diurnum, quàm nocturnum ſummà veneratione diſtinctè, attentè, atquè devotè celebretur, & ut via quędam inter celeritatem, & tarditatem juxta Officii qualitatem ab omnibus teneatur, quaproptèr eum omnes obſervare debent, ut altiùs, & ſubmiſſiùs, lentiùs, vel celeriùs ea, quæ recitantur, vel canuntur pronuncient. *Ex Conſt. noſtris p. 1.c. 9. §. 3.*

Quando verò altiùs, vel ſubmiſſiùs fuerit intonandum, Supprior, vel alius Superior non poſt, ſed antè intonationem Cantoris, vel Verſicularii intonare poterit, ne diſſonantia, & vocum confuſio in Choro oriatur.

Ad Suppriorem etiàm attinet Fratres in Choro tali ordine diſponere, ut non ſolùm in numero, verùm etiam neceſſitate ſuadente, in voce ſint pares; ut Campanæ horis, & temporibus per tabulam aſſignatis pulſentur.

Officia per tabulam communem ſingulis Sabbatis in prandio legendam prudenter ordinare, itaut in quantum fieri poteſt, ea, quæ ad Chorum, vel Altare pertinent aptioribus, & æqualioribus, qui ſciant, & poſſint illa exactè, & ordinatè exercere committantur: Novitium enim cum Profeſſo antiquo, parvulum cum magno, & juvenem cum ſene in miniſtros diſponere inconveniens, & ridiculum eſſet. Nulli Officia incompatibilia, vel plura, quam duo, vel ad ſummum tria imponantur, ut illa aptè valeat exercere. *Ex Conſt. noſtris p.3.c. 10. §. 1.*

Officia per tabulam aſſignata à Veſperis illius Sabbati,

in

in quò lecta fuerunt, incipiunt, & ad Nonam ſequentis Sabbati incluſivè terminantur, Quadrageſimali tempore excepto, in quo Veſperæ antè prandium dicuntur, tunc eà, quæ ad Chorum pertinent à Completorio incipient, & uſque ad alterius Sabbati Completorium excluſivè perdurabunt.

Illis autem diebus, in quibus Admodum R.P. Vicarius Generalis, vel Provincialis, aut Prior, aùt quicumque Superior Generalis hebdomadarii Officio funguntur, prò Cantoribus, & Verſiculariis aſſignabuntur Sacerdotes, qui ſimul cum Miniſtris Altaris per tabulam particularem diſtribuentur, quæ tabula in Choro antè primas veſperas feſti affigatur, ut quique Officium, quod peracturus eſt, prævidere poſſit, & non celebrante Priore, vel alio in dignitate conſtituto (etiamſi ſit ſimplex Sacerdos Officium faciens, dummodò ſit pluviali indutus,) ſua munera exerceant. Prædicta omnia ordinabit, & faciet Supprior, Prioris, vel alterius Superioris præſentia non obſtante, adhibitis tamèn reverentiis, & reſpectibus erga Priorem, ſine cujus conſenſu, ſaltèm tacito, nihil diſponat.

In his verò domibus, in quibus Supprior alius eſt à Magiſtro Novitiorum, vel Clericorum in Profeſſorio degentium, Magiſtri erit illos exactè in omnibus Cæremoniis docere, & erudire, eiſque ſcripto, vel aliàs Officia aſſignare, vel diſtribuere, nèc quæ ab ipſo ordinata fuerint, valeat Supprior, abſque ejus conſenſu quovis prætextu immutare. Poterit nihilominus in Choro, vel alio publico loco errantes ſumma cum modeſtia, nutu, vel ſigno, ut ſupra dictum eſt, emendare.

Supprioris tandem munus eſt, ut cum fuerint celebranda divina Officia, quæ non ità frequenter occurrunt, & quæ ſolemniori apparatu peragi ſolent, per diem, aut dies antea videat, & proſpiciat, an omnia rectè diſpoſita, & ordinata ſint. Præmoneat etiam, atque inſtruat privatim Miniſtros, & ſi opus fuerit ſche-

dulas in ſcriptis præbeat, ſi quid enim erroris acciderit, vel incautè factum fuerit, ipſi ſoli tanquam Cæremoniarum Magiſtro imputabitur. Singulis Hebdomadibus Officia Patribus, & Fratribus aſſignabit, quæ in tabula ad hoc deputata ſic adſcribentur, & die Sabbati in Refectorio dato à Præſidente ſigno reliquias menſæ colligendi, per Lectorem publicabuntur. Hoc modo.

Cerem. Epiſc. lib. 1. c. 5

Tabula Officiorum obſervanda in ſequenti Hebdomada.

Hebdomadarius P. N.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores F. N., & F. N.
Verſicularii F. N., & F. N.
Lector F. N.
Lector ſecundi Nocturni F. N.
Lector Tertii Nocturni F. N.
Lector ſecundæ Menſæ F. N.
Pulſator Campanarum diurnus F. N.
Pulſator Nocturnus F. N.
Zelator P. N.
Miniſtri primæ Menſæ F. N., & F. N.
Miniſter ſecundæ F. N.
Ablutores F. N., & F. N.
Officium humilitatis facient F. N., & F. N.
Solitarius erit P. N., vel F. N.

Hæc, & cætera remanent ad arbitrium Reverendi Patris Prioris hujus Conventus.

Advertere tamen debet Supprior, quod ita diſtribuere debet Officia, ut Thuriferarii officium tribuat Lectori, Verſiculariis, officium Accolythorum, Cantoribus, Officium humilitatis, & Officium Lectoris ſecundæ Menſæ Lectori ſecundi Nocturni, Officium verò Lectoris tertii Nocturni alicui Clerico in Diaconatus ordi-

dine conſtituto aſſignet, & ſi in eo Conventu Diaconus non reperiatur, Sacerdotibus Junioribus aſſignabit.

In ſolemnioribus autem diebus aliam Officiorum tabulam faciet, quam in Choro reponet, eo modo, & ordine, quo hic deſcribetur.

Tabula Officiorum Obſervanda in die Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Celebrans Reverendus P. Prior.
Diaconus P. Lector Sacræ Theologiæ.
Subdiaconus P. Lector Philoſophiæ.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

In die Epiphaniæ Domini.

Celebrans Admodum R. P. Vicarius Generalis.
Diaconus R. P. unus ex Definitoribus Generalibus.
Subdiaconus P. Secretarius Generalis.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.
Primam Lectionem cantabit F. N., ſecundam F. N., tertiam F. N., quartam F. N., quintam F. N., ſextam F. N., ſeptimam P. Lector S. Theologiæ, octavam P. N. Lector S. Theologiæ, nonam Admodum R. P. Vicarius Generalis.

In Dominica Palmarum.

Celebrans R. P. Prior.
Diaconus P. N.

Sub-

Subdiaconus P. N.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Paſſionem Domini cantabunt P. N. P. N., & P. N.
Cantores P. N.. & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

In Matutinis Tenebrarum.

Celebrans R. P. Prior.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.
Primam Lectionem cantabit F. N., ſecundam F. N., tertiam F. N., quartam F. N., quintam F. N., ſextam F. N., ſeptimam F. N., octavam F. N., nonam F. N.

Feria quinta in Cæna Domini.

Celebrans R. P. Prior.
Diaconus P. N.
Subdiaconus P. N.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarii F. N., & F. N.
Subdiaconus pro Cruce deferenda in Proceſſione F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

Ad lotionem Pedum.

Celebrans R. P. Prior cum eiſdem Miniſtris.

Feria ſexta in Paraſceve.

Celelebrans R. P. Prior, & iidem Miniſtri qui ſupra in Dominica Palmarum, & in Feria quinta in Cœna Domini.

Sabba-

Sabbato Sancto.

Celebrans R. P. Prior, cùm Miniſtris, qui inſervierunt antecedentibus diebus, Miſſale deferet primus Acolythus, Arundinem ſecundus Accholythus, Incenſum F. N.

Primam Prophetiam càntabit F. N., ſecundam F.N., tertiam F. N., quartam F. N., quintam F. N., ſextam F. N., ſeptimam F. N. octavam F. N. nonam F. N., decimam F. N., undecimam F. N., duodecimam F. N.

In die Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & duobus ſequentibus diebus.

Celebrans Admodum R. P. Vicarius Generalis.
Diaconus P. unus ex Definitoribus Generalibus.
Subdiaconus P. Secretarius Generalis.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

Primam lectionem cantabit P. N. Lector S. Theologiæ, ſecundam P. N. Lector Sacræ Thæologiæ, tertiam Admodum R. P. Vicarius Generalis.

Secunda die.

Celebrans R. P. Procurator Generalis.
Diaconus P. N. Lector Sacræ Theologiæ.
Subdiaconus P. N. Socius P. Procuratoris Generalis.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores, & Verſicularii, ut ſupra.

Ter-

Tertia die.

Celebrans R. P. Primus Definitor Generalis.
Diaconus P. N.
Subdiaconus P. N.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores, & Verſicularii, ut ſupra.

In die S. Matris Monicæ.

Celebrans R. P. Provincialis.
Diaconus P. Secundus Definitor Provincialis.
Subdiaconus P. Secretarius Provincialis.
Accolyti F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

In die Pentecoſtes, & duobus ſequentibus diebus.

Tabula Officiorum erit perſimilis, tabulæ officiorum, quæ ſolet fieri in die Reſurrectionis, & diebus ſequentibus; In diebus autem Aſſumptionis B. Marię Virginis, & S. P. Auguſtini, ea omnia in officiorum Tabula ſervari debēt, quæ ſignanter in die Epiphaniæ Domini notata ſunt.

In Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Celebrans ad primam R. P. Prior.
Martyrologium cantabit P. Supprior.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P. N., & P. N.
Verſicularii P. N., & P. N.

In

In die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & duobus ſequentibus diebus.

Celebrans Admodum R. P. Vicarius Generalis.
Diaconus P. unus ex Definitoribus Generalibus.
Subdiaconus P. Secretarius Generalis.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores P.N., & P. N.
Verſicularii P. N. & P. N.

Primam Lectionem cantabit F. N., ſecundam F. N., tertiam F. N., quartam F. N., quintam F. N., ſextam F. N., ſeptimam P. N. Lect. Sac. Theol., Octavam P.N. Lector Sacræ Theologiæ, nonam Admodum Reverendus P. Celebrans.

In die S. Stephani Prothomartyris.

Celebrans R. P. Procurator Generalis.
Diaconus P. N. Lector Sacræ Theologiæ.
Subdiaconus P. N. Socius P. Procuratoris Gen.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores, & Verſicularii, qui ſuprà.

In die S. Joannis Evangeliſtæ.

Celebrans R. P. Primus Definitor Generalis.
Diaconus P. N.
Subdiaconus P. N.
Accolythi F. N., & F. N.
Thuripherarius F. N.
Cantores, & Verſicularii qui ſuprà.

In aliis autem functionibus Eccleſiaſticis, quæ in illo Conventu ſolemniter ſolent fieri, poterit etiam Officia omnia deſignare, & in publicum exponere, ut Religioſi Officium, quod ipſis contingit animadvertere poſſint.

De Officio Hebdomadarii. Cap. VIII.

SAcerdotes omnes Conventuales (exceptis Prælatis, & Officialibus Generalibus, nec non Definitoribus Provincialibus, & Secretario Generali, ſicuti etiam Lectoribus, per vices quilibet in ſua parte Chori, & in ſua hebdomada, quæ (Quadrageſimali tempore excepto) incipit in die Sabbati ad Veſperas, & uſque ad nonam ſequentis Sabbati incluſivè, deſinit, Hebdomadarii munus exerceant. Qui quidem Hebdomadarius quandocumque ſuo fungitur Officio à ſuæ Profeſſionis loco diſcedere nunquam debet, niſi Pluviali fuerit indutus, ut infrà dicetur.

Ad Veſperas hebdomadarius hebdomadam incepturus, dicto Pater noſter, & Ave Maria, datoque à Præſidente ſigno, facie ad Altare verſa ſiniſtram antè pectus tenens, dextera aperta ſe ſigno Crucis ſignat, dicens intelligibili, alta, devota, & clara voce, *Deus in adjutorium &c.* & pro uno quoque verbo tangit primò frontem, deindè pectus, mox humerum ſiniſtrum, & ultimò dexterum ſic ſemper faciendo, cum in horarum principio dicitur verſus *Deus in adjutorium &c.* Poſtea intonat recitando, vel canendo primam Antiphonam: Finitis Pſalmis, voce altiori, quàm ſit illa Chori, ſi opus fuerit, dicit Capitulum, intonat Antiphonam antè Canticum *Magnificat*, dicit *Dominus vobiſcum*, & Orationem, vel Orationes, ante ſingulas, ſi plures dicendæ ſunt, dicit *Oremus*, caput inclinando, quod ſimiliter fit, quando in Oratione nominatur nomen *JESUS, vel MARIÆ, aut Sancti*, de quò ſit Officium, vel Commemoratio, & prima tantum Oratio, & ultima concluduntur, Orationes verò omnes cum pauſa convenienti recitare debet.

Cerem. Epiſcop. lib. 2. cap. 1.

Si occurreret, ut eadem ſit Oratio feſti de quò ſit Officium, & ejus de quò ſit commemoratio, mutetur O-

ratio

ratio prò Commemoratione in aliam de Communi. Poſt Orationem, vel Orationes iterum dicit *Dominus vobiſcum*, *Benedicamus Domino*, & in fine, humiliori voce *Fidelium Animæ &c.*, & ſtatim genuflectit, ſi eſt genuflectendum, & dicto *Pater noſter*, dicit genuflexus eadem humili voce, *Dominus det nobis ſuam pacem*, & incipit Antiphonam B. Mariæ prò tempore dicendã in fine Completorii, deindè erigens ſe dicit Orationem, & poſteà ſtans, dicit *Divinum auxiliũ, &c.* & incipit *Sacroſanctæ*, ac ſtatim genuflectit, ſic etiam faciet, quando dicitur Officium parvum B. Mariæ Virginis, cujus Veſperæ ſemper dicuntur antè Veſperas Feriales. In Veſperis autèm Defunctorum Hebdomadarius intonat primam Antiphonam, & poſteà aliam antè Canticum *Magnificat*, quà per Chorum repetita, dicit intelligibili voce illa duo verba, *Pater Noſter*, verſus, & Orationem, vel Orationes, prout habetur lib. 2. cap. 14. *Cærem. Epiſcop. lib. 1. c. 1. & rubr. Brev. tit. 13.*

Ad Completorium dicto à Lectore voce alta, Jube Domne benedicere, Hebdomadarius eodem tono dat ei benedictionem, dicendo: *Noctem quietam &c.* Finita lectione brevi, dicit, humili, & ſubmiſſa voce, *Adjutorium noſtrum &c.* ſe interim ſolùm ſignans à fronte ad pectus ſigno Crucis, & dicto ſecreto totum *Pater Noſter* ipſe ſtans profundè inclinatus, dato ei ſigno, faciet voce humili, & devota, Confeſſionem, Chorus dicit *Miſereatur &c.* ipſe in fine reſpondet, *Amen*, & elevat ſe. Facta à Choro Confeſſione, ipſe dicit *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, & ſtatim intonat recitando, vel cantando, *Converte nos Deus &c.* & interim omnes ſignant ſe in pectore pollice dexteræ manus. *Deus in adjutorium &c.*, & dicit Antiphonam ante Pſalmos, quandò ſit dicenda, Finito Hymno, altiori voce (ſi opus fuerit) dicit Capitulum, intonat Antiphonam *Salva nos* ante Canticum, *Nunc dimittis*, quà repetita hebdomadarius dicit præces, ut in Breviario (ſi dicendæ ſunt) *vel Dominus vobiſcum*, & dicit, *Benedicamus Domino*, & dat benedi- *Biſs. l. C. n. 395. §. 2.*

 ctio-

Cæꝛem. Epiſc. lib. 2 c. 4. Biſs. lit. C. n. 395. §. 4.

ctionem dicendo: *Benedicat, & cuſtodiat &c.* ſignans ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus dicens: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, & tunc omnes ſe ſigno Crucis ſignabunt.

Et Completa una ex Antiphonis Beatæ Mariæ ſimul cum verſu, quæ prò qualitate temporis dici ſolet, ipſe ſtans dicit Orationem &c. *Divinum auxilium &c.* Dictiſque poſt *Pater Noſter, Ave Maria, & Credo*, Antiphonis, & Verſibus prò Commemorationibus S. P. N. Auguſtini, S. Joſeph totius noſtræ Congregationis Protectoris, & S. Nicolai de Tolentino, ipſe iterum ſtans dicit Orationes *Concede nobis quæſumus &c.* & alias de S. Joſeph, ac de S. Nicolao, quibus finitis incipit: *Sacroſanctæ*.

Quod ſi prædicta Antiphona Beatæ Mariȩ Virginis ſimul cum Litaniis in Eccleſia canenda fuerit, hebdomadarius poſt datam benedictionē ut ſuprà, eam humili voce incipit, dicit Orationem &c. *Divinum auxilium &c.* & deindè ad Sacriſtiam perget ad ſe ſuperpelliceo induendum, & dicto Pater Noſter, Ave Maria, Credo, ad ſignum Præſidentis incipit *Sacroſanctæ* alter Sacerdos, ex eadem parte Chori.

Si verò dicendum fuerit Officium B. Mariæ Virginis hebdomadarius antequam dicat. *Benedicat, & cuſtodiat nos &c.* dicit voce mediocri, *Converte nos Deus &c. & Deus in adjutorium &c.* poſteà Capitulum, intonat Antiphonam ante Canticum *Nunc dimittis*, dicit: *Benedicamus Domino, Benedicat, & cuſtodiat nos &c.* ut ſuprà.

Ex noſtris Conſt. p. 1. c. 1. §. 5.

Si tamen totum Officium diei fuerit de Feria uſque ad Completorium dicta Antiphona de B. Maria cum oratione, immediatè intonet antiphonam *benedicta tu* pro ſermonibus S. P. Auguſtini, & ad Lectiones det benedictiones, prout in Officio Ordinis continetur, quibus finitis, dicat *Divinum auxilium &c.* & deindè dicantur Pater noſter, Ave Maria, & Credo ſecretò, & poſteà conſuetæ commemorationes, ut ſuprà.

Ad

Ad Matutinum. Dato à Præſidente ſigno, hebdomadarius dicit: *Domine labia mea aperies*, interim ſignans labia pollice dexteræ manus, quod faciant, & reliqui in Choro exiſtentes, *& Deus in adjutorium &c.* intonat recitando, vel canendo primam Antiphonam, deindè dicto verſu, ipſe dicit hæc duo verba, *Pater Noſter*, (& ſi opus fuerit) elevat vocem in quolibet nocturno ad ſequentem. ℣. *& ne nos inducas &c.* & erectus, ac capite detecto, dicit, Abſolutiones antè lectiones, non manu, ſed ſolum verbo, benedicens lecturos lectiones. *Rubr. Brev. titul. 23. & Cærem. Epiſcop. l. 2 c. 5.*

Ad Laudes. Hebdomadarius facit, ut in Veſperis. Ad Matutinum parvum B. Mariæ Virginis facit eodem modo, ut in Officio Sancti ſimplicis. Ad Matutinum Defunctorum finitis Pſalmis Nocturnorum ipſe non dicit Pater Noſter clara voce, ſed tantum, ſecretò, nequè dicit abſolutiones antè lectiones; Ad Laudes, ut in Veſperis. *Cerem. Epiſc. l. 4. c. 7.*

Ad horam Primam. Dato ſigno dicit clara voce *Deus in adjutorium &c.* intonat Antiphonam, & dicit Capitulum, & etiam Preces, ſi dicendæ ſint, vel dicit *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Domine Deus omnipotens &c.* & in fine repetit *Dominus vobiſcum*, dicit: *Benedicamus Domino*, & dicto à Choro *Deo gratias*, ſi dicendum eſt Officium B. Mariæ Virginis, ipſe immediatè dicit, *Deus in adjutorium &c.* ſignans ſe ut ſupra, intonat Antiphonam, & dictis Pſalmis, ac repetita Antiphona, dicit Capitulum, & ℣. *Dominus vobiſcum*, & Orationem, & in fine *Dominus vobiſcum*, ac *benedicamus Domino*, lectoque Martyrologio, dicit. ℣. *Pretioſa &c. Sancta Maria*, & dicit ter *Deus in adjutorium &c.* non tamen ſe ſignat, dicit *Pater noſter*, & ℣. *Et ne nos inducas &c. Reſpice in ſervos tuos*, *Gloria Patri*, & Orationem *Dirigere, & ſanctificare*, toto Choro ad hæc reſpondente. Dat benedictionem Lectori, dicendo: *Dies, & actus noſtros &c.* & dicto à Choro *Amen*, ipſe dicit: *Adjutorium noſtrum*, abſque eo quod aliquis ſe ſignet, *Biſs. lit. P. n. 110. §. 2.* *Biſs. lit. P. n. 210 §. 2. & Gavant. to. 2. ſect. 4.* *Biſs. lit. P. n. 210. § 3 & Bauldr. pa 1. c. 5. n. 8.*

dicit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dicit *Benedicite*, una, cum *Dominus nos benedicat &c.* Et ibi ſignet ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus, ad hæc omnia reſpondente Choro, proùt in Breviario legitur.

Ad Tertiam, ſextam, & Nonam: Dato poſt Pater Noſter, & Ave Maria, à Præſidente ſigno, dicit: *Deus in adjutoriom &c.* intonat recitando, vel canendo Antiphonam, finitis Pſalmis, & repetita Antiphona, dicit Capitulum. Dictiſque Reſponſoriis brevibus, dicit Preces (ſi dicendæ ſint) *Dominus vobiſcum*, & Orationem, repetit *Dominus vobiſcum*, dicit *benedicamus Domino*,& voce humiliori dicit *Fidelium animæ*. Si verò fuerit dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis, dicit eodem modo, quoad primam dictum eſt; Nam dicto *Benedicamus Domino*, & reſponſo, *Deo gratias*, immediatè ab hebdomadario, dicitur *Deus in adjutorium &c.* intonat Antiphonam pro Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis, & cætera facit ut ſupra.

Ad Preces, & ſuffragia Sanctorum, ad Pſalmos Graduales, Pœnitentiales, & Litanias Sanctorum, ad Orationem ſerotinam; Ad menſam, & in exitu à Choro, ea efficere debet Hebdomadarius, quæ in propriis locis notantur.

De Officio Cantorum. Cap. IX.

CAntorum ordo à Davide inſtitutus fuit, quando erat reportanda Arca Domini de Domo Obededom in Civitate David, præcepit David, ut conſtituerentur Levitæ de Fratribus ſuis, Cantores in Organis Muſicorum,inter quos pręcipui Cantores erant Nemen, & Aſaph, & Ethan; In noſtris autem Choris Cantores erunt omnes Clerici regularitèr,& Cantor,qui exiſtit in illa parte, in quà eſt Tabella, *CHORVS*, deſcripta, dicitur, primus Cantor, ſeù Cantor primi Chori, & alter manens in alia parte, dicitur ſecundus Cantor, vel Cantor ſecundi Chori.

Ad eos pertinet ſpiritu,voceque devota incipere Pſalmos, qui Pſalmi ſunt in triplici differentia, nàm quidam ipſorum habent Antiph. cùm Gloria Patri, & iſti debent alternativè intonari hinc inde à Cantoribns, ideſt primus Pſalmus à Cantore primi Chori, & ſecundus Pſalmus à Cantore ſecundi Chori, quidam alii Pſalmi carent Antiphona, ſed habent *Gloria Patri*, & iſtorum primus incipitur à primo Choro (ſi officium non fuerit duplex, quia tunc ab utroque Cantore ſimul in medio Chori inchoari debet) reliqui verò inchoantur, prout contigerit, ideſt, unuſquiſque in illa parte, in quà ℣. *Gloria Patri* pręcedentis Pſalmi eſt recitatus,alii autem Pſalmi carent Antiphona, & ℣. *Gloria Patri*, ut duo ultimo Pſalmi in Laudibus ſcilicet *Cantate Domino*, *&* *Laudate Dominum in Sanctis eius*, & quatuor primi Pſalmi Graduales, nàm iſti Pſalmi, ante quos non eſt Antiphona nec ℣.*Gloria Patri*, non intonantur à Cantoribus, ſed Chorus eos proſequitur abſque ulla diſtinctione, ac ſi eſſent pars Pſalmi præcedentis.

Cantorum officium eſt altius, vel dimiſſius intonare Pſalmos, & Hymnos, & reintonare Antiphonas, & quotiès Cantor, ſeu Cantores intonant aliquem Pſalmum, aut Canticum,ſemper ipſa intonatio debet continuari,& durare uſque ad duo puncta ipſius primi verſus, & intonando Hymnum ſemper proferant duos primos verſus. Quando autem Antiphona incipit iiſdem verbis, quibus incipit Pſalmus ſequens, tunc non ſunt repetenda iterum illa verba Antiphonæ in Pſalmo, ſed Cantor reliquum Pſalmi verſum, ubi intonans Antiphonam reliquit, proſequitur, ut in Veſperis Dominicæ, intonata Antiphona, *Dixit Dominus*, Cantor non repetit, *Dixit Dominus*,ſed ſolum proſequitur *Domino meo*,& Chorus ſequitur, *Sede à dextris meis*, & in ſecunda feria ad Veſperas intonata Antiphona, *Magnificat*, Primus Chorus, immediatè proſequitur *anima mea Dominum*, quia nihil ibi eſt à Cantore intonandum; quando Antiphona dicitur

tota,

tota, & ipſa totaliter in iiſdem verbis coincidit cnm primo verſu Pſalmi ſequentis, tunc prętermiſſo primo verſu Pſalmi, Cantor intonat Pſalmum incipiendo à ſecundo verſu, & hoc accidit in tertio Nocturno Dedicationis Eccleſiæ, ubi prima Antiphona eſt, *qui habitat in adjutorio*, & primus verſus Pſalmi eſt idem (excepto tempore Paſchali, in quo in fine Antiphonæ additur *Alleluja*, tunc enim Pſalmus debet intonari à primo verſu.) Si autem Antiphona intonata incipit ut Pſalmus, non autem eſt pars Pſalmi, ut in illa prima Antiphona tertii Nocturni Conf. Pont. *Domine iſte Sanctus*, Tunc ſemper in Pſalmo à Cantore dicetur: *Domine qui habitabit*, &c. Sed ſi diceretur pro Antiphona *Domine*, tunc Cantor proſequi debet: *Quis habitabit in Tabernaculo*, &c. Quoties ad ingreſſum alicujus loci Pſalmus aliquis à Conventu recitari debet, tunc à primo Cantore in proprio loco ſemper eſt intonandus. Si ſedente Choro Pſalmus eſt incipiendus, ut accidit in officio Defunctorum, Cantor ſurgit, & intonat Pſalmos, & Antiphonas, & etiã Commemorationes Sanctorum, quoties opus fuerit.

Ad Veſperas ſi officium ſit duplex, *dicto Deus in Adjutorium*, &c. & ℣. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; Ambo Cantores procedunt in medium, & facta debita reverentia, facie ad Altare verſa, dictaque à Choro Antiphona intonant primum Pſalmum, & factis iterum debitis reverentiis ad propria redeunt loca.

Finito primo Pſalmo, Cantor primi Chori facie ad Altare verſa, in proprio loco reintonabit primam Antiphonam, & poſtea Tertiam, ibique etiam intonabit tertium, & quintum Pſalmum. Cantor verò ſecundi Chori, pariter intonabit ſecundum, & quartum Pſalmum, & eodem modo reintonabit ſecundam, & quartam Antiphonam; in fine verò ultimi Pſalmi dicto ℣. *Gloria Patri*: Cantores procedunt ad medium, & reintonant ultimam Antiphonam, Hymnum, & Canticum *Magnificat*, & ad propria redeunt loca; Finito Cantico dum di-

citur,

citur ℣. *Sicut erat*,&c. ad medium iterum regrediuntur, & reintonant Antiphonam, qua per Chorum finita, ad propria pergunt loca, niſi facienda ſit aliqua Commemoratio; Tunc enim diſcedunt à medio finita Antiphona Commemorationis; Quoties autem in officio Dup. & in Veſp. Dominicæ, faciendæ ſunt Commemorationes; ambo Cantores in medio ipſas Antiphonas intonabunt, quod ſi occurrerit, ut eadem ſit Antiphona Feſti, de quo fit Officium, & ejus, de quo fit Commemoratio, mutetur Antiphona pro Commemoratione, ita ut in Veſperis ſumatur ex Laudibus, & in Laudibus ex primis Veſperis ejuſdem Communis, niſi aliter aſſignetur.

In Officio ſemiduplici Antiphonæ, & Pſalmi à Cantoribus ut ſupra in propriis locis alternatim, incipientur, exceptis iis, quæ in duplicibus à Cantoribus in medio dicuntur, nam in ſemiduplicibus à Cantore tantum primi Chori in medio dici debent.

In Officio ſimplici, parvo B. Mariæ, ac ſimplici Defunctorum omnes Antiphonæ, & Pſalmi in propriis locis à Cantoribus, modo quo ſuprà dicuntur.

In Veſperis ſolemnibus Feſtorum Primæ Claſſis Cantores debent præintonare Antiphonas (ſive Celebrans ſit, ſive non ſit Pluviali indutus) & ad ſingulos Pſalmos incipiendos, Antiphonas reintonando, ad intonandum Hymnum (ſi Celebrans non erit Pluviali indutus) ad Canticum: *Magnificat*, & ad canendum *Benedicamus Domino*, ambo ſimul ad medium progrediuntur, hic tamen eſt advertendum, quod ſi Celebrans ſit Pluviali indutus præintonari debent Antiphonæ omnibus indiſcriminatim, ſive Superiores Generales ſint, ſive Prælati aliorum Conventuum; Excipiuntur tamen Admodum R.P. Vicarius Generalis, & Provincialis in propria Provincia, in qua etiam in Choro Præſidentis Officio fungitur; & Prior Localis in proprio Conventu abſentibus tamen Vicario Generali, & Provinciali, aliquo alio Patre Sacerdote Celebrante.

D In

In Veſperis Feſtorum ſecundæ Claſſis efficient, ut in Veſperis primæ Claſſis, non tamen præintonabunt Antiphonas (niſi Celebrans fuerit Pluviali indutus) in aliis verò feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, in quibus Veſperæ canuntur, Cantores ſe gerent, ut in Veſperis duplicibus, quæ non canuntur, ſed in fine canent in medio, *Benedicamus Domino*.

In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, in die Obitus Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Vicarii noſtri Generalis, Procuratoris, Definitorum, Viſitatorum Generalium in tertio anno, Provincialis, & Definitorum Provincialium in ſua Provincia, & Prioris in ſuo Conventu præintonantur Antiphonæ, ad Veſp., & Matutinum.

Cantor autèm præintonans, & diſtribuens Antiphonas, Lectiones, vel Prophetias, prius debet facere convenientem reverentiam Altari, & poſtea cum modeſtia venire ad illum, cui aliquid eſt præintonandum, ſeu diſtribuendum, & faciendo ei convenientem reverentiam, ante, & poſt; Celebranti enim, Priori, ac Officialibus profundam, cæteris Sacerdotibus, mediocrem faciet, Clericis verò, ſolùm caput inclinet: Intonat ei principium Antiphonæ, numerum Lectionis, vel titulum Prophetiæ clara voce, cui, Antiphonam recipiens, faciat convenientem reverentiam, & ſtatim Cantor debitis adhibitis reverentiis, vel ad medium, vel ad proprium revertatur locum.

Uſus cappellę Pontif. & Baſilicæ S. Petri.

Si in Veſperis Antiphonæ fuerint præintonandæ, dicto *Deus in Adjutorium*, & ℣. *Gloria Patri*, Cantor primi Chori facta in medio debita reverentia, primam Antiphonam Celebranti clara voce præintonabit, & ſtatim ad medium revertetur, ibique facta iterum debita reverentia ſtat, & tertiam, & quintam Antiphonam dignioribus in parte ſui Chori poſt Celebrantem immediatè exiſtentibus præintonabit, & ſecundus Cantor præintonabit ſecundam Antiphonam digniori in Altera

Uſus Cappellę Pontif. & Baſilicar. Urbis.

par-

parte, non autem Adm. R. P. Vicario Gen., vel Provinciali, aut eorum locum tenentibus, & quartam Alteri Patri ei viciniori in parte ſui Chori exiſtentibus, & ambo Cantores in medio incipiunt omnes Pſalmos, & reintonant omnes Antiphonas. Dum autem Chorus poſt Capitulum, reſpondet *Deo Gratias*. Primus Cantor præintonat Celebranti Hymnum, quo finito, dum dicitur Verſiculus, idem Cantor præintonat Celebranti Antiphonam ad *Magnificat*; Cætera verò facient Cantores, ut dictum eſt ſupra de Veſperis duplicibus, quæ canuntur.

Ad Completorium in feſtis duplicibus, dicto ℣. *Gloria Patri*, ambo Cantores pergunt ad medium, & facta Altari debita reverentia intonant Pſalmum, *Cùm Invocarem*, & redeunt ad propria loca, ibique primus Cantor intonat reliquos Pſalmos; finitis Pſalmis, ipſi in medio intonant Antiphonam *Miſerere*, vel *Alleluja* ſi fuerit tempus Paſchale, qua finita, intonant Hymnum, *Te lucis*, excepto Sabbato Sancto, quo die poſt dictum Pſalmum, *Ecce nunc benedicite*, Hebdomadarius dicit Ant. *Veſpere autem Sabbati*, quam Chorus proſequitur, & deindè Cantores intonant Canticum, *Nunc dimittis*; & etiam per totam Octavam Paſchæ, uſque ad Sabbatum in Albis excluſivè, & factis debitis reverentiis diſcedunt. Dicto ℣. *Gloria Patri* in Reſponſoriis brevibus, tendunt ad medium, & Intonata ab Hebdomadario Antiphona. *Salva nos* incipiunt Canticum, *Nunc dimittis*. Quo finito reintonant Antiphonam, ibique manent uſquequò. *Antiphona Beatiſſimæ Virginis Mariæ* pro qualitate temporum dicenda ſit, qua Cantando intonata, ſe ſtatim genuflectunt, ſi eſt genuflectendum, uſquequo dicatur *Pater noſter*, *Ave Maria*, *& Credo*; iiſque finitis, ac ad ſignum Preſidentis intonant ſtantes Canendo *Antiphonas S. P. N. Auguſtini*, *S. Joſeph*, *Et S. Nicolai de Tolentino* pro eorum Commemoratione, Quibus finitis ad propria redeunt loca; Iſtæ autem Antiphonæ quando Commemorationis, vel alicujus feſti eorundem Of-

ficium celebratur, aut Litaniæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Eccleſia cani debent, ommittuntur.

In feſtis ſemiduplicibus omnia fient ut ſupra, accedente ad medium Chori ſolummodò primo Cantore, qui finita Antiphona Salva nos, incipit in medio *Kyrie eleyſon* niſi fiat Officiũ infra Octavam, & ſtatim vadit ad locum ſuum. Dum in fine Orationis Hebdomadarius dicit, *Qui tecum vivit*, Cantores pergunt ad medium, ibique intonant cantando, ſi cani debet, Antiphonam Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & cætera ut ſupra. In feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus, & Officio parvo Beatiſſimæ Mariæ Virginis ſupra dicta dicantur ab eodem primo Cantore ſtante in proprio loco, ſervata in officio parvo B.Mariȩ Virginis illa Regula generali de Alternativa Intonatione antiphonar., & Pſalmorum; Antiphonæ autem B.Mariȩ Virginis, & Commemorationum quando dici debent, à duobus Cantoribus in medio intonabuntur, ut ſupra dictum eſt.

Ad Matutinum. In Feſtis duplicibus dicto *Domine labia, &c.* & ℣. *Gloria Patri*, ambo Cantores procedunt ad medium, & ſimul dicunt Invitatorium, quo à Choro replicato ſubjungunt Pſalmum *Venite Exultemus*, & ad illa verba, *Venite Adoremus, & procidamus Ante Deum*, ipſi cum omnibus de Choro genuflectent, quibus verbis dictis, ſtatim primi omnium ſurgentes ſequantur *ploremus Coram Domino*, & deinde cæteri de Choro ſurgent, eoque finito, & replicata à Choro poſtrema parte ipſius Invitatorii, ipſi reintonant Invitatorium uſque ad medium; quo per Chorum replicato, intonant Hymnum, eoque expleto, & completa per Chorum prima Antiphona Cantores intonant primum Pſalmum, & ſtatim à minore ipſorum extincta lucerna ad ſua redeunt loca, ubi primus Cantor reintonat primam, & tertiam Antiphonam primi Nocturni, & ſecundam ſecundi Nocturni, & primam, & tertiam tertii Nocturni, ibique intonat tertium Pſalmum primi Nocturni,

Cęrem.Epiſc.li.2.c.5.

&

& ſecundum ſecundi Nocturni, & primum, & tertium tertii Nocturni. Secundus verò Cantor in eodem loco incipit ſecundum Pſalmum primi Nocturni, & primum, & tertium ſecundi Nocturni, & ſecundum tertii Nocturni, ibi reintonat ſecundam Antiphonam primi Nocturni, & primam, & tertiam ſecundi Nocturni, & ſecundam tertii Nocturni. Finita ultima lectione in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, Cantores in medio intonant Cantando Hymnum *Te Deum laudamus*, *&c.* ſi dicendum ſit, In Laudibus verò fit, ut in Veſperis duplicibus.

In feſtis ſemiduplicibus primus Cantor dicit in medio Invitatorium, & Pſalmum *Venite exultemus*, intonat Hymnum, primum Pſalmum, & poſtea redit ad locum ſuum, Cantores verò ſtantes in propriis locis, & quilibet eorum incipit Pſalmos, & reintonat Antiphonas ut in feſtis duplicibus, Hymnus *Te Deum laudamus* intonatur legendo à primo Cantore in medio.

In Laudibus fit ut in veſperis ſemiduplicibus. In feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus: Officio parvo Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & ſimplici Defunctorum nullus Cantorum progreditur ad Chori medium, ſed in propriis locis intonant Pſalmos, & reintonant Antiphonas, & quæ in ſemiduplicibus dicuntur in medio à primo Cantore, in ſuprà enumeratis, dicuntur ab eodem Cantore in proprio loco ſtante: In Laudibus fit, ut in eorum Veſperis.

Quando canitur Matutinum, ambo Cantores in medio canent Invitatorium, & Pſalmum *venite exultemus*, & incipiunt Canendo Hymnum, & primum Pſalmum, & ad omnes Pſalmos incipiendos, & Antiphonas reintonandas in medium progrediuntur, & ſingulas Antiphonas, & Lectiones alternatim Fratribus præintonabunt, & diſtribuent.

In præintonatione Antiphonarum unuſquiſque Cantorum præintonabit Antiphonas fratribus in parte ſui

Chori

Chori exiſtentibus, à digniori incipiendo, eo modo, & ordine quo ſupra dictum eſt in Veſperis. In Lectionum etiam diſtributione eodem ordine ſe gerent à Fratribus Junioribus incipiendo ex nutu Cęremoniarii; Hymnus *Te Deum laudamus* à Cantoribus intonatur; ſi laudes canuntur, efficient omnia, ut in veſperis ſolemnibus, in quibus Antiphonæ præintonantur.

Si autem Matutinum canitur, & non laudes Antiphonæ ad Matutinum præintonantur, & non in Laudibus, excepta illa Cantici *Benedictus*. Quando verò in Cæremoniali adnotatur, quod in Matutino cani ſolummodò debent, Invitatorium, & Hymnus ſequens, Cantores ſe habeant, ut in reliquis feſtis duplicibus, canendo ſolùm Invitatorium, & Pſalmum *Venite exultemus, &c.* Intonantes canendo Hymnum poſt Invitatorium, poſt ultimam Lectionem, & poſt Capitulum in Laudibus Canticum *Benedictus*, & in fine *Benedicamus Domino*.

Ad primam, tertiam, ſextam, & nonam. In feſtis duplicibus, ambo Cantores in medio intonant Hymnum, & primum Pſalmum, & primus Cantor finitis Pſalmis reintonat in proprio loco Antiphonam.

Quando autem canitur hora Tertia in feſtis duplicibus, etiam primæ Claſſis, & Dominicis diebus, ambo Cantores in medio intonant Hymnum, & primum Pſalmum, & primus Cantor in proprio loco intonat alios duos Pſalmos, quibus finitis, ambo Cantores in medio reintonant Antiphonam, qua per Chorum Completa, diſcedunt, & dum in fine Orationis, dicitur, *qui tecum vivit &c*, ipſi pergunt ad medium, & canunt *Benedicamus Domino*. In ſemiduplicibus, primus Cantor intonat in medio Hymnum, & Primum Pſalmum, finitis Pſalmis, ipſe reintonat in proprio loco Antiphonam. In feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus, & Officio parvo Beatiſſimæ Mariæ Virginis nullus Cantor egreditur è proprio loco, ſed ſolus Cantor primi Chori in ſuo loco facit ut ſupra. Quando dicuntur Sermones S. P. Auguſtini,

ſtini, peracto completorio B. Mariæ Virginis, dicta ab Hebdomadario antiph. *benedicta tu &c.* Cantor primi Chori intonat Pſalmum *Domine Dominus noſter*; alii verò Pſalmi intonabuntur ab eo Cantore, à cujus parte fuerit dictum Gloria Patri, quod etiam quando dicuntur in Choro Pſalmi Pœnitentiales, aut Graduales obſervabitur.

Quotieſcumque Litaniæ Beatiſſimæ Mariæ Virginis, vel Sanctorum in Choro, vel extra ſolemnitèr, aut ſine Cantu à Conventu fuerint recitandæ, à duobus Cantoribus in medio genuflexis dicentur.

In ſingulis verò Sabbatis, & feſtivitatibus Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſe gerent, ut in proprio loco notatur.

Ea tandem quæ Cantores efficere debent in Exequiis Defunctorum, in Abſolutione ad Tumulum, in proceſſionibus, in recitatione Pſalmorum Gradualium, vel Pœnitentialium, in Miſſa ſolemni, & in oratione ſerotina, propriis in locis habentur.

De Officio Verſiculariorum. Cap. X.

VErſiculariorum munus eſt incipere Antiphonas, quæ, ex inſtitutione Beati Ambroſii, à ſingulis cani debent. Quoniam S. Ignatius tertius à B. Petro Antiochenus Epiſcopus, ut legitur in Tripartita Hiſtoria, ſuper quendam Montem Angelorum exercitum ſonorè canentem audivit.

Hinc enim Verſiculariorum erit Antiphonas ante Pſalmos alternatim intonare, omnia ℟. brevia, & Verſiculos recitando, vel canendo altius, vel dimiſſius, ſi opus fuerit dicere, vel intonare.

Verſicularius autem, qui exiſtit in illa parte Chori, in qua eſt Tabella cum inſcriptione *Chorus*, dicitur primus Verſicularius, vel Verſicularius primi Chori, & alter manens in altera parte, dicitur ſecundus Verſicularius, ſeu Verſicularius ſecundi Chori.

Ad

Ad Veſperas in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus ſecundus Verſicularius in proprio loco, facie ad Altare verſa (ſi non præintonantur Antiphonæ) intonat recitando, vel canendo ſecundam, & quartam Antiphonam, & primus Verſicularius, intonat tertiam, & quintam; Antequam incipiantur ultimi verſus Hymni, qui ſunt loco *Gloria Patri*, ambo Verſicularii ſint in medio, & finito Hymno, dicant verſum, & Choro reſpondente, redeant ad propria loca. Finita prima oratione, dum dicitur, *Qui tecum vivit*; pergant ad medium, ſi facienda eſt aliqua Commemoratio, aliter non diſcedunt à propriis locis; finita Antiphona Beatæ Mariæ in fine Completorii pro tempore dicenda, primus Verſicularius, dicit verſum in proprio loco genuflexus (excepto tempore Paſchali) & Dominicis diebus, quo tempore non genuflectitur, ſic etiam dicet verſus ad alias horas, quoties terminatur officium licet officium non ſit duplex.

Quotiès ſunt faciendæ Commemorationes in officio duplici, & in Veſperis Dominicæ, verſiculi dicentur in medio ab utroque Verſiculario, & ſi occurrerit, ut idem ſit verſus Feſti, de quo fit Officium, & ejus de quo fit Commemoratio, mutetur verſus pro quo fit Commemoratio, itaut in Veſperis ſumatur ex Laudibus, & in Laudibus ſumatur ex primis Veſperis ejuſdem communis, niſi aliter aſſignetur.

In Feſtis ſemidupl. Antiphonæ antè Pſalmos à verſiculariis inchoantur alternativè, ut ſupra. Finito Hymno primus Verſicularius dicit in medio verſum. Si faciendæ ſint Commemorationes, omnes Verſiculi dicentur in medio ab eodem verſiculario. In Feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus, & officio parvo Beatæ Mariæ, ac ſimplici Defunctorum, Antiphonæ ante Pſalmos inchoantur alternativè ut ſuprà. Finito Hymno Verſicularius primi Chori omnia faciet, ut ſuprà in ſemiduplicibus, nunquam tamen diſcedendo à proprio loco.

Ad Completorium in Feſtis duplicibus, dum dicitur

Ca-

Capitulum, ambo Verſicularii tendunt ad medium, & ibi dicunt ℟.brevia,quibus finitis ſtatim diſcedunt.Completa oratione, dum Hebdomadarius dicit, *Qui tecum vivit, & regnat*, &c. ipſi pergunt ad medium, & finita Antiphona Beatæ Mariæ Virginis pro tempore dicenda, ambo in eodem loco erecti canunt verſum,licet officium ſit ſimplex, vel de Feria, & ſtatim genuflectunt, ſi eſt genuflectendum, uſque dum dicantur Antiphonæ Commemorationum S. P. Auguſtini, S. Joſeph Confeſſoris,& Protectoris totius noſtræ Congregationis, & Sancti Nicolai de Tolentino, quibus finitis dicent Verſiculos, & deindè ad propria loca redibunt, ſi autem verſus non eſt canẽdus Primus Verſicularius in proprio loco illũ dicet. In ſemiduplicibus idem Verſicularius, faciet ſupradicta, ipſe tantum in medio progrediendo. In feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus, officio parvo Beatæ Mariæ faciet ut ſupra in proprio loco primus Verſicularius.

Ad Matutinum in Feſtis duplicibus Verſicularius ſecundi Chori recitando incipit ante Pſalmos ſecundam Antiphonam primi Nocturni, & primam, & tertiam ſecundi Nocturni, & ſecundam tertii Nocturni. Verſicularius primi Chori incipit tertiam Antiphonam primi Nocturni, & ſecundam ſecundi Nocturni, & primam, & tertiam tertii Nocturni, quas Chorus ſemper proſequitur. Dum dicitur ℣. *Sicut erat in principio*, &c. in fine tertii Pſalmi cujuslibet Nocturni, ipſi pergunt ad medium, & ibi dicunt Verſum ante Lectiones, reſpondente Choro. Ad Laudes fit, ut in Veſperis. In Feſtis ſemiduplicibus incipiunt Antiphonas ante Pſalmos, ut in Feſtis duplicibus. Primus Verſicularius dicit in medio Verſum primi, & tertii Nocturni, & ſecundus Verſicularius dicit verſum ſecundi Nocturni. Ad Laudes fit, ut in Veſperis. In feſtis ſimplicibus, diebus ferialibus, officio parvo Beatæ Mariæ, ac ſimplici Defunctorum,ſecundus Verſicularius intonat ſecundam Antiphonam ante Pſalmos, & primus Verſicularius incipit tertiam, & ſic

E al-

alternatim proſequuntur. Verſus poſt Pſalmos dicitur à primo Verſiculario in proprio loco ſtante. Ad Laudes fit, ut in Veſperis. Ad horam primam, tertiam, ſextam, & nonam in feſtis duplicibus dum dicitur Capitulum, ambo Verſicularii pergunt ad medium, ibique dicunt ℟. brevia, & ſolum in medio primi Verſus, & ℣. *Gloria Patri*, &c. pauſam facient: Et dicto ab eis ultimo verſu, ſtatim redeunt ad propria loca. Si canitur hora Tertia, ambo Verſicularii in medio canunt ℟. brevia.

In Feſtis ſemiduplicibus, primus Verſicularius in medio; in ſimplicibus verò, ferialibus diebus, & officio parvo Beatæ Mariæ in proprio loco, dicit ſupradicta.

Finita Miſſa Conventuali, & cantata Antiphona *Ave Regina Cælorum*, *&c.* ambo Verſicularii erecti, canunt in medio Verſum, *Ora pro nobis Sancta Virgo Virginum*, cui tempore Paſchali, additur *Alleluja*. In principio Orationis mentalis, dicta Antiphona *Veni Sancte Spiritus*, &c. primus Verſicularius genuflexus dicit ℣. *Emitte ſpiritum tuum*, &c. poſtea in fine dicta Aña. *Sub tuum præſidium*, &c. Idem Verſicularius, dicit ℣. *Ora pro nobis Sancta*, &c. Sed tempore Paſchali, ambobus Verſibus additur *Alleluja*. In Oratione Serotina finita Salve Reginà, primus Verſicularius dicit ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*. In fine horarum omnium, dicto *Sacroſanctæ*, &c. primus Verſicularius, etiam in proprio loco genuflexus, dicet ℣. *Beata viſcera*, &c. reſpondente Choro, *& Beata ubera*, &c. Quoties in Choro, Oratorio, Capitulo, vel alio loco Communitatis dicendus eſt aliquis verſus, ſemper Verſiculariorum, vel Verſicularii primi Chori erit eum incipere, & recitare, niſi aliter in proprio loco habeatur.

De Officio Lectoris. Cap. XI.

LEctor à legendo dicitur, cujus munus eſt legere, ſeu cantare divinas lectiones, & ejus Officii inventorem, Eſdram fuiſſe, legimus, quoniam ipſe primus eo uſus fuit, *ut habetur num. cap.* 7., & hoc Jeſus Chriſtus Dominus noſter implevit, quando in medio ſeniorum librum Iſajæ Prophetæ aperiens, legit, dicens: *Spiritus Domini ſuper me*, &c. Lector Chori, lectiones, & alia, quæ erunt legenda prius apud ſe perlegere tenetur, ne ob ejus incuriam aliquid legendo improvidè proferat, quod Chorum perturbet, & quoties in Choro aliquid legere debet, ſemper in medium debet progredi, licet Officium ſit ſimplex, vel de feria. Lectionem non incipiat, donec Fratres omnes ſederint, ne ſtrepitus, ſedentes ab audienda lectione impediat, leget clara, & intelligibile voce, expreſsè, & diſtinctè pauſando ad ſingulas virgulas, & puncta, advertens, ne reſpirationem faciat, niſi ubi coma (ſi facilè ſit) vel duo puncta fuerint, & ubi erit unum punctum, majorem faciat reſpirationem, ne ſenſus lectionis confundatur, ſed audientes verborum omnium ſenſus facillimè percipere poſſint; Leget etiam voce ſuavi, & devota, ut audientium animos ad compunctionem, & devotionem Dei valeat excitare.

Durand. rational. divin. de Sacram. rati. 1.

Ex Conſt. noſtris p. 1. cap. 9. §. 3.

Ad Completorium Dato à Præſidente ſigno, ipſe in medio facta Altari debita reverentia, inclinans ſe profundè verſus Hebdomadarium petit ab eo clara, alta, & intelligibili voce benedictionem, dicens: *Jube Domne benedicere*, & ſic inclinatus expectat, donec compleatur benedictio, & dum per Chorum reſpondetur *Amen*, ipſe vertit ſe ad Altare, & ſtans dicit clara voce Lectionem brevẽ, *Fratres Sobrii, &c.* & in fine eodẽ tono, dicit *Tu autem Domine*, &c. genuflectens verſus Altare, nec ſurgit, niſi verſiculo finito, & facta debita reverentia

Cærem. Parid. Craſſ. lib. 2 cap. 37 Cerem. Epiſc. lib. 2. cap. 5.

diſcedit, & ſi Celebrans ſit in medio Chori, Lector verſus Celebrantem benedictionem petens ſemiconverſus ſtabit caput verſus Celebrantem vertens, & inclinans ne terga Altari vertat, & hic modus eſt ſemper ſervandus à cunctis lectionem legentibus.

Ad Matutinum. In officio novem lectionum, ipſius erit tres lectiones primi Nocturni legere niſi fuerint comendandæ; In officio etiam trium lectionum, leget lectiones, niſi fuerint ex aliqua Homilia, quia tunc eas leget Lector tertii Nocturni. In officio quoque parvo Beatæ Mariæ, & in officio ſimplici Defunctorum, ac quando dicuntur Sermones S.P. N. Auguſtini, ipſe leget lectiones, & poſt ſingulas, verſum Reſponſorii dicet.

Ad horam Primam Lectio Martyrologii quotidiè legitur à Lectore Chori, ad primam ante ℣. *Pretioſa*, excepto Triduo ante Paſcha, quibus diebus omittitur; cum Hebdomadarius in fine orationis, *Domine Deus*, &c. dicit *Qui tecum vivit*, &c. Lector cum Martyrologio pergat ad medium Chori, ibique facta debita reverentia, Martyrologium abſolute legat incipiendo à *Kalendis*, *Nonis*, *vel Idibus*, pronunciando poſtea quantitatem Lunæ ejuſdem ſequentis diei, & ad inveniendam Lunæ quantitatem aſſumat litteram Martyrologii, nam ſub ipſa poſitus eſt numerus dierum Lunæ, quæ littera prima die Januarii incipit, & ultima die Decembris finit, nec unquam (licet annus bixeſtilis ſit) mutatur.

Legitur ſemper in Martyrologio, prçcedenti die, lectio illa, quæ memorias Sanctorum ſequentis diei continet, & feſta, de quibus eo die fit officium, ſemper primo loco ponuntur, quod etiam intelligitur de Feſtis Mobilibus, & de Feſtis propriis particularium Eccleſiarum. Ideo Feſta Sanctorum loci, vel Eccleſiæ, ſeu quorum corpora, vel notabilis Reliquia in noſtris Eccleſiis fuerint, & quorum feſta in noſtris Eccleſiis celebrantur, licet non ſint in primo loco lectionis Martyrologii, vel fortaſſe non ſint in Martyrologio notata, primo tamen lo-

co

co legenda ſunt, ſi de illis ibidem agatur officium aliquo die determinato. Commemoratio autem Sanctiſſimi Sacramenti, quæ feria quintà celebratur, ſicut, & Commemoratio Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, quæ die Sabbati ſingulis Menſibus, Feſto novem lectionum non impedito celebratur, nec non Commemorationes S. P. N. Auguſtini, S. Matris Monicæ, & S. Nicolai de Tolentino in lectione Martyrologii non leguntur.

Feſta, quæ transferuntur, non pronunciantur in Martyrologio die antecedenti eorum celebrationi, ſed eo die, quo pronunciari debent, ſi translata, non eſſent, ut patet de feſto S. Pauli primi Eremitę, quod celebratur die 15. Januarii, & in Martyrologio legitur die decima, & de Sanctis Martyribus, Cornelio, & Cypriano, qui celebrantur die 16. Septembris, & in Martyrologio leguntur die 14. Dies infrà octavam nunquam legitur in Martyrologio, ſed ſolum ipſa dies octavę, Feſtorum tamen non mobilium, quia Feſtorum mobilium, non legitur dies octava, ut patet in Martyrologio de octava Paſchæ, Aſcenſionis, & Pentecoſtes.

In fine Lect. Martyrol. cujuslibet diei, Lector ſemper addet, *& alibi aliorum plurimor. Sanctor.*, &c. Et Chorus reſpondet *Deo gratias*, interim Lector facta debita reverentia diſcedit. Dum Hebdomadarius dicit Orationem, *Dirigere, & Sanctificare*, &c. Lector pergit ad medium, & legit lectionem brevem ad abſolutionem Capituli ſub fine primæ, & dicto à Choro ℣. Deo gratias ſtatim ipſe ſubjunget, *Commemoratio Fratrum, Sororum, Familiarium*, &c., & facta reverentia redit ad proprium locum.

De Officio legentium Lectiones ad Matutinum. Cap. XII.

LEctores lectionum ſingulis hebdomadibus per communem Tabellam deſignari debent, qui ut ritè, & perfectè hoc officium exequantur, debent obſervare tres primos §. poſitos in Superiori capite Lectoris. In officio novem lectionum, lectiones primi Nocturni ſemper legentur à Lectore Chori, Lectiones ſecundi Nocturni legentur à Lectore hebdomadę antecedentis, exiſtente ex parte ſecundi Chori; Lectiones verò tertii Nocturni legentur ab aliquo Diacono, ſeu Sacerdote ex parte primi Chori, & ſi Lector Chori fuerit Diaconus, legat Lectiones tertii Nocturni tantum, & Lectiones primi Nocturni ab aliquo alio legantur.

Finitis Pſalmis, qui lecturus eſt lectionem, dum dicitur Verſiculus, procedit ad medium Chori, & faciet debitam reverentiam; & reſponſo per Chorum *Amen*, poſt abſolutionem, ipſe inclinans ſe profundè verſus Hebdomadarium petit ab eo intelligibili voce Benedictionem, ut dictum eſt in cap. prçcedenti. Qui primam, quartam, ſeptimam, & nonam lectionem legerit, illas nunquam incipiat quouſque Fratres ſederint, & ſtrepitus ſedentium conquieſcat, & legens, vel Cantans Textum Evangelii non ſignet Breviarum, nec ſeipſum, neque manus junctas teneat, ibique dicto à toto Choro Reſponſorio, verſum Reſponſorii dicat. Notare debet hic Lector, quod dum petit benedictionem à Celebrante, ſi Celebrans ſit in parte primi Chori, ipſe terga vertere debet parti ſecundi Chori, & ſi Celebrans eſt in parte ſecundi, Chori ipſe terga vertere debet parti primi Chori.

Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 5.

Tituli Lectionum, ſi ſint in Breviario litteris nigris no-

notati, leguntur, alias minimè; Lectiones ſecundi Nocturni ſi fuerint ex aliquo Sermone, vel Tractatu, leguntur cum titulo, & nomine Auctoris, alias non, quod idem faciat Lector tertii Nocturni proponendo titulum, & nomen Auctoris, cujus eſt Homilia, & ſi Sermo, vel Homilia eſt S. P. N. Auguſtini, dicatur, Sermo, ſeu Homilia S. P. N. Auguſtini Epiſcopi.

Si nona Lectio fuerit alicujus Sancti ſimplicis, ſine titulo legitur. Quod enim in Breviario notatum eſt litteris rubeis (pro Sancto) non eſt Titulus, ſed rubrica, ut etiam patet in Rubr. general. Breviar. 26. num. 10. ſicuti etiam, quando dicitur Matutinum de Sancto ſimplici, prima lectio, ſeu etiam ſecunda legitur de Scriptura, & tertia ſeu etiam ſecunda lectio legitur de Sancto, nunquam tamen proferendo clara voce ante lectionem Sancti (pro Sancto) ſi autem lectio fuerit ex aliquo ſermone, legatur cum titulo, & nomine Auctoris, ut in Feſto S. Petri ad Vincula, prima die Auguſti, ante nonam dicitur ſermo S. Gregorii Nazianzeni.

Uſus Baſil. S. Petri, & cæterarum Baſilicarum Urbis.

In officio novem Lectionum, in quo dicitur nonum Reſponſorium, nona Lectio non legitur de Sancto ſimplici eodem die occurrente, ſed de Homilia. Et ſi in tali officio novem lectionum non dicitur nonum reſponſorium, & Sanctus ſimplex tunc veniens non habet propriam Lectionem in proprio Sanctorum, ſed in Communi Sanctorum aſſignatam, nona lectio non erit de Sancto, ſed de Homilia, ſi autem Sanctus ſimplex habuerit propriam Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto, & ſi habuerit duas Lectiones, ex duobus Lectionibus fiat una Lectio, omiſſa nona Lectione prædicti officii noven Lectionum. Quod ſi eodem die occurrat Dominica, vel Feria, quæ habeat Homiliam, nona lectio, quæ erat Sancti ſimplicis, omittitur, & ejus loco legitur lectio de Homilia Dominicæ, vel Feriæ.

Brev. Rubr. 9. n. 10.

Brev. rub. 9. num. 10., & rub. 12. n. 9., & rub 26. n. 3.

Brev. rub. 16. num. 4.

Quando canitur totum Matutinum, Lectiones comendan-

dantur à Cantoribus; Tunc ſinguli ſingulas lectiones canent, & primam Lectionem cantabit Frater aliquis ex inferioribus ex parte primi Chori, & ſecundam Lectionem cantabit alius ex inferioribus ex parte ſecundi Chori, & ſic gradatim, & alternatim procedendo ab inferioribus ad digniores aſcendetur. Qui Lectionem eſt cantaturus perget ad medium, priuſquam præcedens lectio finiatur. Ad *Tu autem Domine*, ambo ſimul in medio genuflectant, & reſponſorii verſum ſimul dicant. In Matutinis autem Tenebrarum, & in Matutino cantato Defunctorum, ſecundus Cantor ultimum Reſponſorii verſum dicet cum Lectore nonæ Lectionis.

Nonam Lectionem, cum in ſolemnioribus Prior, vel alius Pluviali indutus cantabit, inter duos Ceroferarios, convenit eam canere, capite detecto, petendo benedictionem à Digniori alta voce dicendo, *Jube Domne*, &c. & dignior benedictionem dabit dicendo, vel *ad Societatem*, vel per *Evangelica dicta* prout feſtivitas exiget; Interim toto Choro erecto ſtante, & capite detecto; Et ſi ob concurſum Populi in aliquibus ſolemnitatibus, Lectiones ante Altare cantantur, tunc ſolus Celebrans erit Pluviali indutus, & à duobus Ceroferariis, & Thuriferario aſſociatus. Alii autem Lectores ſine veſtibus Sacris, & ſine Ceroferariis procedent, egredientes per Oſtiolum à latere Evangelii, & regredientes per Oſtiolum à latere Epiſtolæ.

Cærem. Epiſc. lib. 2 cap. 5.

De Officio Diaconi in Miſſa ſolemni. Cap. XIII.

S. Iſidor. de offic. Eccleſ. lib. 2. c. 8. Durand. ration. divin. lib. 2. cap. 9.

Diaconorum uſus à Tribu Levi initium ſumpſiſſe legitur, & inde Levitæ, ideſt aſſumpti vocabantur, quoniam ad Sacerdotum auxilium aſſumpti ſunt, ut Eleazar, & Ithamar. Dominus enim præcepit Moyſi dicens: *Applica Tribum Levi, & fac*

ſtare

ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, ut miniſtrent ei; num. cap.3. Diaconatus tamen Ordo ſumpſit initium à Chriſto Domino, et executioni demandatus in primitiva Eccleſia ab Apoſtolis, quando ſeptem Diaconos ordinarunt, ut habetur in actib. Apoſt. cap. *6*.

Pulſatis ergò prima vice Campanis, prò Miſſa ſolemni, Diaconus pergit ad Sacriſtiam, accipit duo Miſſalia, ſcilicet pro Celebrante, & pro Evangelio cantando, & in utroque ſignacula ordinat ad ea, quæ dicenda ſunt, abluit manus dicendo: *Da Domine &c.* Se induit à dextris Celebrantis, Acolytho adjuvante, & primò accipit Amictum, Cruce in medio oſculata, albam, cingulum, Manipulum, Stolam, coloris tempori convenientis, prius in medio, ubi eſt Crux deoſculatam, ſuper humerum ſuum ſiniſtrum imponens, quam ſub brachio dextro Acolythus aptabit, poſtea accipit Dalmaticam, ſeu Planetam plicatam, prout tempus requirit. Interim ad ſingula, ſingulas Orationes in Miſſali aſſignatas, ſecretò dicere poterit, & ſic omnibus veſtibus ſacris, & convenientibus indutus, Miſſam in Miſſali Celebranti, ut eam perlegat, oſtendat. *Cerem. epiſc. lib. 1. cap. 4. & Biſſa litter. D. n. 123. §. 1.*

Finita hora tertia, Diaconus in Sacriſtia miniſtrat naviculam Celebranti pro imponendo thure in thuribulo, & deindè ad Altare poſt Subdiaconum, immediatè ante Celebrantem procedit, capite cooperto, manibus ante pectus extra Dalmaticam ſimul junctis, quod, & per totam Miſſam (excepto cum aliquid facit) ſervabit; accedens ad Altare, ante Acolythum, & Subdiaconum tranſeat, & non retrò, & ſtans à dextris Celebrantis, caput diſcooperiat, poſtea ſimul cum Subdiacono in plano ante Infimum gradum genuflectat, licet in Altari non ſit Sanctiſſimum Sacramentum, ſed ſolum Crux. Dominicis diebus pergit à dextris Celebrantis, & miniſtrat ad Aſperſionem aquæ benedictæ, ut habetur lib. *3*.; una cum Subdiacono, ſubmiſſa voce, & manibus ante pe- *Biſſ. litt. D. n. 123 §. 2.* *Biſſa lit. D n. 123. §. 3.*

ctus junctis reſpondet Celebranti,dum recitat Pſalmum, & facit Confeſſionem. Cum Celebrans dicit, *In nomine Patris, & Filii, &c.* & ℣. *Adjutorium noſtrum &c. Indulgentiam, &c.* ſe ipſum eodem tempore ſimul cum Celebrante ſignabit ſigno Crucis. Ad ℣. *Gloria Patri, &c.* & quoties Celebrans ſe inclinat, & ipſe ſe inclinabit,præter quam dùm Celebrans dicit *Confiteor Deo &c.* tunc enim Diaconus, & Subdiaconus erecti ſtabunt.Cum Diaconus in *Confiteor* dixerit tibi *Pater, & te Pater*,verſus Celebrantem ſe inclinabit,dicens *mea culpa,&c.* dextera ter pectus, ſiniſtra infra pectus poſita, percutit; ad *Miſereatur veſtri, &c.* Ad *Indulgentiam abſolutionem &c.* verò, ſe erigat, ſignat ſe ſigno Crucis cum Celebrante, & ad verſu *Deus tu converſus*, *&c.* iterum ſe inclinabit, & ſic inclinatus ſtabit uſque quo Celebrans dixerit: *Oremus*, inclinatus verſus Altare manebit.

Dicto *Oremus*,& aſcendente Celebrante ad Altare,ipſe paritèr aſcẽdit elevando ſiniſtra Albã celebrantis,dextera pectori admota,ſi per primum Acolythum ejus Alba elevabitur,ſin autem propria manu Albam elevare poterit,ne habeat in Aſcenſu Altaris impedimentum;Dũ Cebrans Altare oſculatur ipſe ſtans in ſupremo gradu ante, vel ſupra Bradellam à parte Epiſtolæ verſa facie ad Altare, accipit de manu Thuriferarii Naviculam, & deoſculato chocleari incenſo pleno intrà Naviculam, quam antè Celebrantem apertam tenet, & parum ſe inclinans verſus Celebrantem, dicit *benedicite Pater Reverende*. Dum Celebrans àccipit Choclear cum incenſo, Diaconus manum ejus dexteram oſculatur, & impoſito Thure, in Thuribulum, depoſitoque per Celebrantem chocleari intra Naviculam, Diaconus ejus manum, & choclear oſculatur. Naviculam primo Acolytho tradit, & Thuribulum manu dextra per Manubrium, & ſiniſtra propè Vaſculum à Thuriferario accipit, & deoſculata Catenularum, ſeu manubrii ſummitate, Thuribulum Celebranti porrigit, ſummitatem catenularum in ejus ſini-

Ceremepiſc. lib. 1. cap. 9.

Cær. epiſc. lib. 1. cap. 9. & Biſſ. lit. D. n. 123. §. 3.

ſiniſtra ponens, & catenulas propè vaſculum in ejus dextera, quam ſimiliter deoſculabitur. Dum Altare incenſatur ipſe ſtans ſupra Bradellam à dextris Celebrantis aliquantulum retrò, poſteriorem partem Planetæ prope humerum aliquantulum ſublevatam ſiniſtra manu uſque ad finem Incenſationis Altaris tenebit, dextera manu pectori admota. Quoties Celebrans incenſando ſe Cruci inclinat, Diaconus ſemper genuflectit, licet ibi non ſit Sanctiſſimum Sacramentum. Thurificato Altari ipſe ſtans à latere Epiſtolæ extra Altare ſupponendo dexteram ſuam dexteræ Celebrantis, ipſamque oſculando, accipit Thuribulum, quo à Celebrante depoſito accipit ſiniſtra manubrium, & ipſum oſculatur, parumque retrogrediens in plano ante ultimum gradum lateralem à parte Epiſtolæ, mediocriter à Celebrante diſtans factis inclinationibus antea, & poſtea, triplici ductu Celebrantem ſolummodò Thurificat, & Thuribulum Thurifera-rio reddit.

Biſſ. lit. D. n 123. §. 4.

Bauld. n. 8 Biſſ. loco ſupracit. §. 5.

Deinde aſſiſtit manibus junctis à dextris Celebrantis in cornu Epiſtolæ, dum Celebrans legit Introitum ſimul cum ipſo ſe ſignans, ibique ſtans reſpondet alternatim ſubmiſſa voce, ad *Kyrie eleyſon*, cum verò Celebrans ad medium procedit, ut intonet Hymnum *Gloria in Excelſis Deo*, ſimul cum Subdiacono poſt terga Celebrantis vadit ad primum gradum ante bradellam, ſi competens diſtantia fuerit, alias in ſecundum, ne veſtes Sacerdotis tangat. Mox intonato Hymno ad illud verbum, *Deo*, inclinat Caput, factaque ibi genuflexione aſcendit ad Altare à dextris Celebrantis, & ſubmiſſa voce Hymnum cum eo proſequitur uſque in finem, ita ut non præeat, ſed potius ſubſequatur vocem Celebrantis, caput inclinando, dum dicitur, *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, & cum dicitur bis *Jeſu Chriſte*, & etiam *Suſcipe deprecationem noſtram*, & in fine, ſe ſignat dicendo: *cum Sancto Spiritu*, *&c.* non tamen deoſculatur Altare, ibique ſtat, quoſque Chorus finiat Hymnum,

 in-

inclinans caput cum in Choro verba ſuprà dicta, ad quæ inclinari oportet cantantur; Dum autem à Choro dicitur *Cum Sancto Spiritu &c.* ipſe facta ſimul ſuper Bradellam cum Subdiacono genuflexione, vadit poſt terga Celebrantis eodem modo, & ordine quo ſupra. Dum Celebrans intonat *Gloria in excelſis Deo*, ut dictum eſt. Quoties Celebrans verſus Populum, dicit ℣. *Dominus vobiſcum*, ipſe ſtat in medio capite parum inclinato verſus Celebrantem, poſtea vadit ad cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem. *Ad Oremus* ſimul cum Celebrante ſe inclinat. Si dicendum eſt *Flectamus genua*, illud genufleciens dicit. Ad Nomen Sanctiſſimi *Jeſu*, *& Mariæ* quoties in Miſſa dicitur, & ſimiliter ad nomen Sancti, de quo fit Officium, vel Commemoratio, & in Oratione cum nominatur Summus Pontifex vivens caput inclinat.

Uſus Baſilic. S. Petri & cæterarum Baſilicarum Urbis.

In fine ultimæ Orationis, ad Miſſale Celebrantis accedit, & à dextris ejus aſſiſtit in ſupremo gradu ante Bradellam, dum celebrans ſubmiſſa voce legit Epiſtolam cum graduali, ſeu Tractu, vel ſequentia, & in fine Epiſtolę reſpondet; *Deo gratias*. Dum Celebranti aſſiſtit, ſi opus erit, folia, ſeù paginas volvat, ibique maneat, donec Celebrans incæperit in alio latere legere Evangelium. Legente Celebrante Evangelium, Diaconus accipit à primo Acolytho Miſſale, ſi prius à Subdiacono non acceperat, & deferens illud clauſum ante pectus, ambabus manibus infra illud poſitis, deſcendit in planum à latere Epiſtolæ, & facta genuflexione in medio, aſcendit gradus, & Miſſale deponit ſuper medium Altaris. Poſtea finito à Celebrante Evangelio, accipit Naviculam à Thuriferario, & miniſtrat incenſum ut ſupra, finita benedictione incenſi, ſtatim genuflectit in medio ſupra gradum ſuperiorem Altaris, ideſt ſupra Bradellam, & manibus junctis ante pectus, Oculiſque ad Deum intentis dicit *Munda cor meum, &c.* poſtea ſurgit, accipit ambabus manibus librum de Altari, &

Cært. epiſc. lib. 1. cap. 9.

Biſſ. lit. D. n. 123. §. 12.

rur-

rurſus genuflexus in ſuperiori gradu facie ad Celebrantem converſa, petit ab eo benedictionem dicens *jube Domne benedicere*, & accepta benedictione, ejus dexteram ſuper Miſſale poſitam oſculatur.

Deinde portans, ut ſupra antè pectus Miſſale clauſum deſcendit ante gradus Altaris, & in plano cum aliis facta genuflexione, licet ibi non ſit Sanctiſſimum Sacramentum, (imò ſi ſuper Altare Sanctiſſimum Sacramentum eſſet expoſitum, tunc genuflexio fieri debet unico tantum genu,) pręcedentibus Ceroferariis, & Subdiacono, ultimus omnium accedit ad locum Evangelii, ubi dextrum brachium verſus ipſum cornu Evangelii, & ſiniſtrum verſus Populum tenens, aperit Miſſale, & ponit in manibus Subdiaconi, junctiſque ante pectus manibus dicit cantando voce ſonora, *Dominus vobiſcum*, & cantans v.g. *Sequentia*, pollice dexteræ manus ſignat ſigno Crucis librum in principio Evangelii ſiniſtra ſuper librum poſita, & cantans, *Sancti Evangelii*, ſignat ſe in fronte eodem ſigno, ſiniſtra infra pectus poſita, & dicens, *Secundum*, ſignat eodem modo labia, & *Joannem* vel N. ſignat ſibi pectus. Notare debet hic Diaconus, quod ſignare non debet os ſuum, & labia, dum aliquid legendo pronunciat, ſed dicto Sancti Evangelii pauſet tantiſper, ut ſignare labia ſua ſigno Crucis poſſit, & hoc maxima facere debet cum circumſpectione, ita ut circumſtantes nullo modo poſſint animadvertere. Dum Chorus reſpondet *Gloria tibi Domine*, accipit ſine oſculis Thuribulum, & incenſat Evangelium, ſemel in ejus medio, ſemel ad dexteram, & ſemel ad ſiniſtram libri, ita citò, & modeſtè, ut Evangelium immediatè poſt Chori reſponſionem continuet, redditoque Thuribulo Thuriferario, junctis manibus incipit, atque proſequitur Evangelium. Cum profert nomen *Jeſus, vel Mariæ* caput verſus librum inclinat, non autem cum profert nomen Chriſti ſolum. Illa autem verba, *Verbum Caro factum eſt*, & etiam *procidentes adoraverunt* eum, & ſi-

Cærē. epiſc. lib. 1. cap. 9. Biſſ lit. D. n. 123. §. 16.

Cærē. epiſc. lib. 1. cap. 9. Biſſa litt. D. n. 123. § 17.

Cærem.Par. Cras lib. 1. cap. 5. ſimilia, genufleƈtendo, & nihil de tempore prætermittendo, cantabit.

Biſſa lit. D. n.123 §.18. Evangelio finito, ſi folium debet volvi, quia principium Evangelii, quod celebrans oſculari debet, eſt in antecedenti folio, ſtatim illud volvat, & accipiens in eodem loco Thuribulum à Thuriferario, dum Celebrans librum oſculatur, pergit ad medium altaris ante infimum gradum, ibique faƈta prius Cruci genuflexione, & Celebranti profunda inclinatione ipſum triplici duƈtu in cornu Epiſtolæ adhuc ſtantem incenſat, advertens ne aliud incenſum, præter id quod ante Evangelium à Celebrante poſitum fuit addat, licet tota fumigatio fuerit omninò finita, & conſumpta. Deinde reddito Thuribulo Thuriferario, poſt Celebrantem ſtabit, donec intonet ſi dicendum eſt, *Credo in unum Deum &c.* Et

Biſſa litt. D. n.d §. 18. tunc faƈta capitis inclinatione *ad Deum*, & poſtea genuflexione, aſcendit, & ſtans à dextris ejus, cum eodem, & Subdiacono ſubmiſſa voce proſequitur ſymbolum, itaut non præire, ſed potius ſubſequi debeat Celebrantem, ſimul cum eo ſe inclinans ad *Jeſum Chriſtum*, & ad *ſimul adoratur*. Sed ad *Et Incarnatus eſt* cum eis manibus junƈtis Altare non tangentibus, genufleƈtet, & in fine dicens, (*& vitam venturi ſæculi*) ſe ſignet ſigno Crucis à fronte ad peƈtus ibique ſimul cum Celebrante, & Subdiacono Altari genuflexione faƈta ſuper Bradellam. Quando ad ſedendum pergere debent, quod ſolummodò in noſtris Eccleſiis praƈticatur, quando à Muſicis Miſſæ ſolemniter canuntur, & tunc per breviorem viam pergant, at quando redeunt ad Altare, per longiorem viam procedant: Cum eis per gradus laterales Epiſtolæ deſcendit, & à dextris Celebrantis accedit ad ſcamnum, ubi elevans ſiniſtra poſteriorem planetę partem Celebrantis, ad ejus dexteram ſedet, manibus ſupra genua expanſis, digitis omnibus ſimul junƈtis; quod etiam eodem ordine fieri debet, & ad *Kyrie*, & ad *Gloria in excelſis*, & ad Graduale quando Celebrans, & mi-

niſtri

niſtri ſedere debent, ut ſupra dictum eſt; ſi aliquid dicitur, ad quod ſit inclinandum quando ſedent, detegant caput, & ſedendo ſe inclinent. In tribus autem Miſſis Nativitatis Domini, & in die Annunciationis Beatiſſimę Virginis Mariæ, Celebrans cum miniſtris ſemper genuflectit ad illa verba *& incarnatus eſt &c.* *Biſſ. lit. D. n. eodem. §. 20.* *Miſſal. rub. 17. n. 3. Biſſ. lit. D. n. 21.*

Cantato Verſu *& Incarnatus eſt*, Diaconus ſurgit, & Celebranti capite inclinato, quod ſimiliter faciet, quoties ante ipſum tranſit, accedit ſolus ad Abacum, accipit burſam cum corporali, quam ad oculos uſque elevatam, ambabus manibus defert ad Altare, itaut ejus pars aperta ipſum reſpiciat, incedens cum primo Accolitho gravi, & decoro inceſſu, factaque genuflexione in medio ante infimum gradum, aſcendit ad Altare, Cruci ſe inclinat, trahit ex burſa Corporale, quod in medio Altaris extendit, locans à parte Evangelii burſam, citò ſe expediens, ut Celebrantem comitetur, Cruci iterum ſe inclinat, deſcendit, & genuflexione ante Altare in medio facta, ad ſedem vadit, ſalutat Celebrantem, & ſedet. Dum à Choro canitur ℣. *Et vitam venturi ſeculi*, facta genuflexione ante Altare in medio, ſimul cum Celebrante, aſcendit, & remanet poſt illum in medio, ſed ſi non dicitur, *Credo*, Subdiaconus burſam cum Calice ad Altare deferre debet. Dicto à Celebrante *Dominus vobiſcum, & Oremus*, genuflectit, aſcendit ad Altare, à dextris Celebrantis, ideſt ad cornu Epiſtolę, diſcooperit Calicem velo magno, quem accipit de manu Subdiaconi ſine parvo velo, & collocat ſuper Altare, pallaque depoſita, patenam cum hoſtia Celebranti porrigit, ejus manum oſculando. Si aliæ Hoſtiæ ſeu particulæ, pro communione Miniſtrorum, vel Populi ſunt conſecrandæ, ponit pixidem diſcoopertam ante Celebrantem, quam etiam aliquantulum elevat, & ſtatim reponit ſuper Corporale. Deinde tenens manu ſiniſtra Calicem per nodum, accipit ampullam vini ſine oſculis à Subdiacono; & infundit vinum in Calice, & facta obla- *Cærē. epiſc. lib. 1. cap. 9.* *Cærē. epiſc. lib. 1. cap. 9.*

oblatione Hoſtiæ cooperit Pixidem, et retrò poſt Calicem ponit. Poſtea admixtas vino per Subdiaconum paucas aquæ guttas, tunc per Celebrantem benedictæ, dextera manu, Calicem per pedem Celebranti porrigit manum ejus oſculando, tangenſque dextera Calicis pedem, vel Celebrantis brachium ſuſtentans, cum ipſo dicit, *Offerimus tibi Domine*, *&c.* et depoſito per Celebrantem Calice ſuper corporale, ipſe illum palla cooperit. Subdiacono deinde ſtante in cornu Epiſtolæ in ejus manu dextera cooperta velo magno ponit Patenam, cujus pars interior Subdiaconum reſpiciat, quam cooperit extremitate veli ab ejus humero dextero pendentis.

Cæré. epiſc. lib. 1. cap. 9. Miſſal. de ritu ſervand. tit. 7. n. 9. Bauld. aut. 7. n. 7. Gavãtus, & Biſſ. bic.

Accedente deinde Thuriferario, naviculam ad incenſi benedictionem miniſtrat, ut ſupra dicens, *Benedicite Pater Reverende*, Thuribulumque poſt impoſitum incenſum Celebranti cum oſculis tradit: Dum incenſantur oblata, ipſe ſtans à dextris Celebrantis, ſiniſtra elevat fimbriam caſulę propè humerum dextrum Celebrantis; dextera verò pedem Calicis tenet, ne dum Celebrans oblata thurificat, Thuribulo tactus è loco removeatur, vel aliquid ex illo effluat. Poſt incenſationem oblatorum dextera Calicem è medio removet, et ad partem Epiſtolæ extra corporale retrahit, ut Sacramentum, vel Crux facile Thurificari poſſit, qua thurificata, Calicem in eundem locum iterum reponit, et hoc tam ſollicitè, et diligenter faciat, ut ſimul cum Celebrante, debitam reverentiam ante, et poſt incenſationem Crucis faciat: Altari Thurificato, Celebrantem ut ſupra cum debitis reverentiis ter ducens thuribulum incenſabit, et facta genuflexione ante Altare in medio, deferens Thuribulum accedit ad Chorum, per oſtiolum à latere Epiſtolæ, omneſque thurificabit prout habetur in lib. 3. Egrediens poſtmodum per oſtiolum à parte Evangelii, ſtans ibi in pavimento thurificat Subdiaconum duplici ductu, facta ei ante, & poſtea capitis inclinatione, &

Cæré. epiſc. lib. 1. cap. 9. Bauld. p. 3. c. 17. n. 2.

po-

poſtremò reddito Thuribulo Thuriferario, aſcendit ad ſuum locum poſt Celebrantem, & facta Altari genuflexione, & poſtea facie ad cornu Evangelii verſa, ab illo, & ipſe duplici ductu thurificabitur, ſtans interim junctis manibus ante pectus, ibique poſt Celebrantem manet uſque ad finem Præfationis. *Ad gratias agamus* ſe inclinet, & in fine paulo antequam dicatur *Sanctus*, genuflectit, aſcendit ad dexteram Celebrantis, & cum eo ſine pectoris percuſſione, dicit inclinatus, *Sanctus*, & quæ ſequuntur uſque ad Canonem, & dicens *benedictus qui venit*, ſignat ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus, deinde accedens ad ſiniſtram Celebrantis aſſiſtit ei dum dicitur Canon.

Quoties Diaconus vadit à dextera ad ſiniſtram, vel à ſiniſtra ad dexteram Celebrantis, ſemper genuflectit in loco, à quo diſcedit, & ad quem accedit licet in Altari ſit, vel non ſit Sanctiſſimum Sacramentum, niſi aliter in propriis locis notetur; Quando tamen eſt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Chriſti Fidelium venerationi expoſitum, quod contingit in Oratione quadraginta horarum, aut altera ſimili occaſione, ſemper genuflecti debet unico tantum genu, & in loco à quo diſcedit, & ad quem accedit, & antè medium Altaris; cum Celebrans dicit, *Quam oblationem &c.* ad ejus dexteram in Superiori gradu Altaris accedit, & Pixidem diſcoopertam ante eum ponit, & dum Hoſtia Conſecratur, ipſe ſtat inclinatus, & ſimul cum Celebrante genuflectit facie ad Altare verſa, ut Thuriferarius Sacramentum Thurificare poſſit, fimbriam planetæ, id eſt extremam partem in medio genuflexus elevat, & ſine oſculo deponit, poſitaque Hoſtia ſuper corporale, & facta genuflexione à Celebrante, ſimul cum eo ſurgit, & Calicem detegit, & Pixidem cooperit, & ſtatim inclinatus, dum Calix conſecratur, genuflectit ſimul cum Celebrante, & poſteriorem Planetæ partem genuflexus ſublevat, & depoſito Calice ſuper corporale ſurgit ſimul cum Ce-

Bauld. p. 3. cap. 11. de Miſſ. ſolem. art. 7. n. 22.

Cærẽ. epiſc. lib. 1. cap. 9.

lebrante, & Calicem palla cooperit, & ſimul cum Celebrante genuflectit. Poſtea redit ad librum in parte Evangelii, & tranſeundo retrò poſt Celebrantem non genuflectit. Celebranti aſſiſtit, et miniſtrat, et cum Celebrans dicit, *nobis quoque peccatoribus*, ſimul cum eo pectus percutit, et ibi manet uſque dum ille dicat *per quem hæc omnia, &c.* et tunc facta ibi genuflexione, tranſit ad dexteram Celebrantis, ibique cum celebrans dicit, *Benedicis, & præſtas nobis*, Calicem diſcooperit, et ſimul cum Celebrante genuflectit, ac ſurgit; ſed cum Celebrans Hoſtia Calicem ſignat dicens, *per ipſum & cum ipſo*, ipſe ſtabit profundè inclinatus, & repoſita Hoſtia ſuper corporale tegit Calicem palla, genuflectit cum Celebrante, & ſurgit.

Miſſal. de rit. ſervand. tit. 8. n. 8. Bauld. art. 8. n. 3. & 4. 5.

Quando Celebrans incipit *Pater noſter*, ipſe facta Sacramento genuflexione vadit retrò poſt Celebrantem, ibique ſtat uſque quo dicit & *dimitte nobis debita noſtra*, nàm tunc facta ſimul cum Subdiacono ibidem genuflexione, unuſquiſque in loco, ubi eſt, aſcendit ſupra Bradellam ad cornu Epiſtolæ ad dexteram Celebrantis, & facie ad Altare verſa patenam à Subdiacono ei oblatam diſcooperit, accipit, & purificatorio abſtergens, dat Celebranti, illius manum accipientem oſculando. Cum Celebrans ſupponit Patenam Hoſtiæ ipſe detegit Calicem, & cum Celebrante adorat, eique dicenti, *Pax Domini*, *&c.* reſpondet parum inclinatus ſubmiſſa voce, *& cum ſpiritu tuo*, & poſita per Celebrantem particula Hoſtiæ in Calicem, illum tegit, & ſimul cum Celebrante genuflectit, dicitque inclinatus ter *Agnus Dei*, *&c.* percutiens interim dextera ter pariter pectus, ſiniſtra pectori admota.

Cære. epiſc. lib. 1. cap. 9.

Dum Celebrans dicit Orationem, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis pacem*, *&c.* à dextris ejus genuflexus expectat pacem, et cum Celebrans oſculatur Altare, ipſe ſe erigens ſimul oſculatur illud extra corporale, et à Celebrante dicente: *Pax tecum*, comple-

Cære. epiſc. lib. 2. cap. 8. Cærem. par. Craſſ. lib. 1. cap. 10 Biſſ. lit. B. n. 123. §. 41.

plexus accipit inclinatus pacem ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus, et leviter tangentibus, eique reſpondet, *& cum ſpiritu tuo*, poſtea iterum Sacramento in Altari genuflexione facta, vertit ſe ad Subdiaconum, et nulla mutua ad invicem inclinatione præmiſſa, pacem eo modo, quo Celebrans ei dedit, ipſe Subdiacono inclinato dabit dicendo: *Pax tecum*, et deinde mutuo ſibi invicem inclinationem faciant. Poſt datam Subdiacono pacem, vadit ad librum, genuflectit, et ſurgit, et cum Celebrans dicit: *Domine non ſum dignus*, ſtat profundè inclinatus, ter pectus percutiens, et dum Celebrans ſe communicat; ſtant ipſe, et Subdiaconus profundè ſimilitèr inclinati verſus Altare, aſſumptaq; Hoſtia à Celebrante, ſi Subdiaconus abſit, Diaconus ſtans à parte Evangelii, Calicem debitis genuflexionibus diſcooperit. *Biſſa litt. D. n. d. §. 42.*

Si facienda eſt Communio non diſcedat à dextera Celebrantis, etſi particulæ non ſint ſuper Altare, aperit Oſtiolum Tabernaculi, genuflectit ſimul cum Celebrante; accipit Pixidem, et ponit ſuper Corporale, et genuflectit cum Celebrante, et ſtans ad latus Epiſtolæ profundè inclinatus, junctiſque manibus dicit humili, et intelligibili voce, *Confiteor Deo*, et ſic inclinatus manebit dum Celebrans dicit: *Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Domine non ſum dignus &c.* Dum fit fratrum Communio, Diaconus purificationem miniſtrat, qua finita ſtatim aſcendit ad Altare, et cum genuflexionibus cooperit Pixidem, quam intra Tabernaculum reponit, factaque genuflexione claudit Oſtiolum.

Celebrante purificato, Diaconus, et Subdiaconus locum mutare debent, et ideo deſcendent ab Altari eodem tempore, et unus poſt terga alterius in medio ſimul genuflectent, Diaconus Miſſale Celebrantis apertum cum pulvino ad Cornu Epiſtolæ deferendo, ubi reperit poſt communio, et ſtatim vadit poſt Celebrantem, ibique ſtat, dùm dicuntur poſt communio, *Dominus vobiſcum*, et Oratio, vel Orationes. *Bauld. art. 9. n. 1.*

G 2 Dicto

Dicto à Celebrante poſt ultimam Orationem, *Dominus vobiſcum*, et ſubmiſſa voce, *Ite miſſa eſt*, Diaconus genuflectit, et manibus ante pectus junctis convertit ſe ad populum à ſiniſtro latere ad dexterum, ideſt per latus Epiſtolæ, et cantat ſillabatim voce ſonora, *Ite Miſſa eſt*, quo dicto, ad Altare ſimul cum Celebrante per eandem viam cornu Epiſtolæ ſe convertit. Si *Benedicamus Domino* dicendum erit, non ſe vertat ad populum, ſed verſus Altare illud dicat. Ad benedictionem ſtat genuflexus ſupra gradus Altaris ante, vel ſupra Bradellam à latere Epiſtolæ, et dum legitur Evangelium aſcendit ſuper Bradellam, ſtat ibidem erectus linea recta contra Subdiaconum, et Celebrante dicente. *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectit verſus Crucem. Finito Evangelio pergit ad medium, et cum Celebrante facit debitam reverentiam, deſcendit ſimul cum eo, et ante infimum gradum ſimul cum aliis miniſtris genuflectit in plano, ſurgit, caput cooperit, et ordine quo venerat ad Sacriſtiam revertitur: ubi capite diſcooperto, et inclinato, Sacriſque veſtibus depoſitis, genuflexus orat, et recedit.

In Miſſa ſolemni pro Defunctis.

IN Miſſa ſolemni pro Defunctis Diaconus utitur dalmatica, finita Confeſſione non miniſtrat incenſum, quia ad introitum non incenſatur Altare. Dum in ſequentia dicuntur illa verba: *Qui Mariam abſolviſti &c.* Accipit Miſſale, & ponit ſuper Altare, & genuflexus dicit *munda cor meum &c.* non tamen petit benedictionem, neque oſculatur Celebrantis manum. In principio Evangelii non incenſatur liber neque Celebrans in fine.

Miſſ. tit. 13. n. 2.

Poſt offertorium, cum Subdiaconus defert Calicem ad Altare, Diaconus accipit Burſam, extrahit corporale, & extendit in medio Altaris, dat Patenam cum Hoſtia

ſtia Celebranti, miniſtrat vinum, & incenſum; Subdiacono autem non dabit Patenam ſubſtinendam. Diaconus in hac Miſſa, & in Abſolutione ad Tumulum dans, vel miniſtrans aliquid Celebranti, nunquam ejus manum, nec rem, quam tradit, vel recipit, oſculetur, quod & cæteri Miniſtri obſervabant; Thurificato Altari, Celebrantem ſolummodò incenſabit, quoniam nec Chorus, neque ullus alius incenſatur: Dicto à Celebrante, Orate fratres, Diaconus reſpondet, *Suſcipiat, &c. ad Agnus* non percutit ſibi pectus, nec pacem à Celebrante accipit, & in fine Miſſæ facie ad Altare verſa dicit: *Requieſcant in pace*; licet pro uno ſolum dicatur Miſſa. Quæ Diaconus efficere debet in Abſolutione ad Tùmulum, & in Exequiis Defunctorum, in propriis locis habetur.

De Officio Subdiaconi in Miſſa Solemni. Cap. XIV.

SUbdiaconi apud Gręcos Hypodiaconi vocantur, in veteri autem Teſtamento Nathinęi, ideſt in humilitate Domino ſervientes, appellabantur, ut in Eſdra lib. 1. cap. 8. legitur, quandò David dederat Nathinęos ad Miniſteria Levitarum, & dicuntur Subdiaconi, quia officiis Diaconorum ſubjacent, & illis neceſſaria Altari miniſtrant, debentque Subdiaconatus Ordine eſſe inſigniti, nam Subdiaconi Officium exerceri non poteſt à Clerico in minoribus conſtituto, licèt adſit Subdiaconorum penuria, & contraria reperiatur conſuetudo.

Durand. rat. diu. lib. 2. c. 8. & diſt. 25. per lectis.

Sac Rit. Congr. in una Gerunden. 21. Auguſti 1601.

Dato primo ſigno pro Miſſa ſolemni, Subdiaconus ad Sacriſtiam pergit, perquirit, & legit Epiſtolam canendam, abluit manus dicendo Orationem: *Da Domine virtutem manibus &c.* Calicem adaptat cum purificatorio, Patena, Hoſtia, Palla, & ſuper Pallam ponit Burſam intus habentem corporale plicatum, à ſiniſtris Celebrantis veſtibus Sacris ſe induit, ſcilicet amictu Cru-

ce

Cære. epiſc. lib. 1. cap. 10. ce in medio oſculata, Alba, & Cingulo, et deindè accipiet Manipulum, & poſteà Tunicellam, oſculata prius ejus Cruce, interim ad ſingula, Orationes in Miſſali aſſignatas ſecretò dicere poterit.

Finita Tertia, poſt Acolythos immediatè ante Diaconum, capite cooperto, manibus extra Tunicellam ante pectus junctis, (quod etiam in tota Miſſa, dum in aliquo non eſt occupatus, obſervabit) ad Altare procedit, ad quod accedens ante infimum gradum ante Accolytum tranſiet, & à parte Evangelii ſe collocans, caputium ſuum aptabit, ſimulque cum Diacono in plano ante infimum gradum genuflectat, licet in Altari non ſit Sanctiſſimum Sacramentum, ſed ſolum Crux. Si eſt dies Dominicus pergit ad Altare à ſiniſtris Celebrantis, & aſſiſtit ad Aſperſionem aquæ benedictæ ut habetur lib. 3. *Cer. epiſc. lib. 1. cap. 10.*

Ad Confeſſionem ſimul cum Diacono ſubmiſſa voce reſpondebit, cum Celebrans dicit: *In nomine Patris &c.* ſe ſigno Crucis ſignat, quod ſimilitèr faciet cum Celebrans ſe ſignabit ad ℣. *Adjutorium noſtrum*, & ad *Indulgentiam*, *&c.* & ad ℣. *Gloria Patri*, & quoties Celebrans ſe inclinat, & ipſe ſe inclinabit, præter quam dum Celebrans dicit: *Confiteor Deo*, *&c.* cum ipſe in Confeſſione dixerit tibi *Pater*, *& te Pater*, verſus Celebrantem ſe inclinabit, & dicens *mea culpa*, *&c.* dextera ter pectus, ſiniſtra infra pectus poſita, percutit. Dum Celebrans dicit *Miſereatur*, *&c. Indulgentiam*, *&c.* ipſe erectus manebit, ad verſum verò *Deus tu converſus*, & ad ſequentes, ipſe verſus Altare inclinatus manebit.

Cære. epiſc. lib. 1. cap. 9. Dicto *Oremus*, Celebrante ad Altare aſcendente, ipſe pariter aſcendit elevando dextera Albam Celebrantis ſiniſtra pectori admota. Dum miniſtratur incenſum, exiſtit à parte Evangelii ſuper, vel ante Bradellam. Dum Altare incenſatur, ipſe à ſiniſtris Celebrantis aliquantulum retrò ſtans ſupra Bradellam, poſteriorem Planetæ partem propè humerum aliquantulum ſublevatam dextera manu uſq; ad finem incēſationis Altaris tenebit,

ſini-

ſiniſtra manu pectori admota, & quoties Celebrans incenſando ſe Cruci inclinat, ipſe ſemper genuflectet, licet ibi non ſit Sanctiſſitaum Sacramentum; incenſato Altari, ipſe abſque genuflexione pergit per gradus poſt Diaconum, & ſtat à ſiniſtris ejus parum retrò junctis manibus, donec Diaconus Celebrantem incenſaverit. *Gavät. tom. 1. par. 2. tit. 4. n. 7. Bauld. par. 1. cap. 13. art. 1. n. 8.*

Cum à Celebrante legitur Introitus, ipſe à dextris Diaconi à parte Epiſtolæ manibus junctis aſſiſtit, & ſimul cum Celebrante ſe ſignat, & ad ℣. *Gloria Patri*, caput inclinat, ibique ad *Kyrie eleyſon* alternativè ſubmiſſa voce reſpondet, poſtea dum Celebrans in medium pergit, ut intonet *Gloria in Excelſis*, & ipſe ibidem ſimilitèr pergens ſtat in plano poſt Diaconum, & præintonato à Celebrante Hymno, ad verbum illud, *Deo*, caput inclinat, ibique facta ante infimum gradum genuflexione, dum in Choro inchoatur, & *in terra pax*, & non prius ad Altare aſcendit à ſiniſtris Celebrantis, ubi voce ſubmiſſa ſimul cum eo, & Diacono, ſtans manibus junctis, Hymnum uſque ad finem proſequitur. Celebrantis vocem non præcedendo, ſed potius ſubſequendo. Cum ab eis dicitur, *Adoramus te*, *gratias agimus tibi*, & cum dicitur bis *Jeſu Chriſte*, & etiam *Suſcipe deprecationem noſtram* caput inclinat, & in fine ſe ſignat dicendo: *cum Sancto Spiritu*, *&c.* Non tamen deoſculabitur Altare cum Celebrante. Hymno dicto ibidem manet uſque ad finem Hymni cantati, & ſe inclinat ad verba, ad quæ inclinari oportet, dum à Choro canuntur. Poſtea finito Hymno, factaque ſimul ſuper Bradellam cum Diacono genuflexione, pergit poſt tergaDiaconi, itaut inter ambos gradus, maneat vacuum, ibique ſtat in medio junctis manibus. *Biſſlit. S. n. 196. §. 2.*

Quoties Celebrans verſus populum dicit, *Dominus vobiſcum*, ipſe ſtans in medio poſt Diaconum, caput parum verſus Celebrantem inclinet, poſtea accedens ad cornu Epiſtolæ ſtat poſt Diaconum, ibique ad *Oremus* caput incliaet. Ad nomen Sanctiſſimum *Jeſu*, & *Mariæ*

quo-

quoties in Miſſa nominatur, & ſimiliter ad nomen Sancti de quo ſit officium, vel Commemoratio, & in Oratione cum nominatur Summus Pontifex vivens, caput inclinabit. Si dicitur *flectamus genua*, cum cæteris genuflectet, & omnium primus ſurgens, eodem toto reſpondet, *Levate*.

Dùm dicitur ultima oratio, ſtans ibidem in cornu Epiſtolæ accipit à primo Accolytho Miſſale, & defert illud clauſum ſupra pectus, utraque manu ſuppoſita Miſſali, & genuflexione facta ante Altare in medio, eum primo Accolytho comitante redit ad cornu Epiſtolæ contra Altare, ante omnes gradus Altaris in plano, facie ad ipſum Altare verſa, ubi manibus ſibi librum uſque ad oculos elevatum tenens, cantat clara voce Epiſtolam: Si profert Nomen *Jeſu*, vel *Mariæ* caput verſus librum inclinabit, non autem cum profert nomen Chriſti ſolum.

Biſſ. lit. S. n. 196. §. 3. Illa autem verba, *in Nomine Jeſu, uſque ad Inferorum* incluſivè, genuflectendo, & nihil eo tempore prætermittendo, cantabit.

Finita Epiſtola claudit librum, & illum defert, ut ſupra, facit verſus Altare genuflexionem in medio, & ad Celebrantem revertens à parte Epiſtolæ in ſupremo gradu laterali genuflexus, flectit Superiorẽ libri partem verſus Celebrantem, cujus dextram ſupra librum clauſam poſitam deoſculatur, & inclinato capite ab illo benedicitur, dat deinde librum primo Accolytho, vel Diacono,

Cerem. Epiſ. lib. 1. cap. 10. & ſtatim defert Celebrantis Miſſale apertum cum Cuſſino ad latus Evangelii, facta prius in medio genuflexione, Celebranti miniſtrat. Dum Evangelium legit ſtans

Biſſ. lit. S. n. 146. §. 4. ſupra Bradellam manibus junctis à ſiniſtris Celebrantis, ad ſingula reſpondens, & ſi neceſſe eſt, folia vertens, & in fine dicit: *Laus tibi Chriſte*: Poſtea deſcendit in planum ante cornu Evangelii, ibique Diaconum expectet.

Ad Evangelium, facta in medio ante infimum gradum à ſiniſtris Diaconi ſimul cum eo genuflexione, pergit ante eum, manibus junctis, & extra cornu inferioris

la-

lateris gradus Evangelii ſiſtit, vertens renes non quidem Altari, ſed verſus ipſam partem dexteram, quæ pro Aquilone figuratur, accipit à Diacono librum, quem manibus infra librum poſitis, apertum ante pectus tenet, ſtans facie ad faciem ejus medius inter duos Accolythos, & licet Diaconus proferat verba, ad quæ eſt inclinandum, vel genuflectendum, ipſe tamen nunquam ſe inclinet, vel moveat, immobile marmoreum legile repręſentans, pręcipuè ne folium, vel Cantantis viſum turbet. *Cęrem. Epiſ. lib. 1. n. 10.*

Finito Evangelio Miſſale adhuc apertum tenens, nulla facta genuflexione, nec ulli alteri reverentia, aſcendens per gradus à parte Evangelii, illud ſic apertum offert Celebranti oſculandum in loco, ubi eſt principium Evangelii cantati, quo oſculato, clauſo libro, tunc, & non ante Miſſalis oſculationem (ne Evangelium Celebranti reverentiam facere videatur, cui Celebrans potius reverentiam exhibere tenetur) verſus Celebrantem reverenter ſe inclinet, parum ſe retrahendo, & dat librum Accolytho, qui ad credentiam defert. Si verò Miſſæ aſſiſteret, ideſt permanentèr, aliquis S. R. E. Cardinalis, aut aliquis Archiepiſcopus in propria Provincia, vel Epiſcopus in propria Diœceſi, tunc Subdiaconus primum defert Evangelium oſculandum S. R. E. Cardinali, vel Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, & nullam faciat eiſdem reverentiam, niſi poſtquam librum ſunt oſculati, & tunc clauſo libro, eis reverentiam profundam faciat, & deinde Miſſale deferat Celebranti. *Cęrem. Epiſ. lib. 1. cap. 10. Biſſa lit. S. n. 196. §. 10.*

Dum intonatur *Credo*, ſtat poſt terga Diaconi, & inclinato capite ad illud verbum, *Deum*, factaque ibi genuflexione, aſcendit ad Altare à ſiniſtris Celebrantis, & cum eo Symbolum ſubmiſſa proſequitur voce, cum debitis inclinationibus ad *Jeſum*, & ad *ſimul adoratur*. Cum dicitur verſus, *incarnatus eſt*, genuflectit una cum Celebrante, manibus junctis, & Altare non tangentibus, & in fine ſe ſigno Crucis ſignat. Deinde facta Altari genuflexione ſimul cum Celebrante per gradus laterales E-

piſtolæ deſcendit,& ad ſedendum cum aliis pergit,& poſteriorem partem Planetę Celebrantis,ſimul cum Diacono elevat,& ad ejus ſiniſtram ſedeat.Si dum ſedent(quod ſolũmodò ſolet fieri in noſtris Eccleſiis,quando ab extraneis Cantoribus Miſſa ſolẽniter canitur)aliquid cantetur, ad quod inclinari debet, ipſe, detecto capite, ſedendo ſe inclinet.Dum Diaconus facit reverentiam Celebranti ſedenti,Subdiaconus ſimul cum Celebrante, eum reſalutet capitis inclinatione, & aperitione. Dum canitur à Choro ℣.*Et vitam venturi*,&c.per planum pergit cum Celebrãte ad medium Altaris, & in plano genuflectit. Dicto à Celebrante *Dominus vobiſcum*, ipſe ibidem cum primo Accolyto genuflectit, et præcedente eodem Accolytho, accedit per planum ad Abacum, et extenſo ibi per Acolythum circa humeros velo ſerico longo, quo Calix, & alia ſuper Menſam cooperiebantur, itaut à latere dextero longius pendeat, accipit ſiniſtra manu nuda Calicem in nodo cum purificatorio, patena, Hoſtia, et palla ſolummodò, ſed ſi non dicitur *Credo*, ſuper pallam erit burſa cum corporali, quæ omnia tegit extremitate veli ſibi pendente à latere dextero,et dexterã manum leviter ſuperponit velo, ne aliquid decidat, et per breviorem viam graduum lateralium ad cornu Epiſtolæ Altaris accedit, ſubſequente primo Accolytho ampullas deferente; Et Calice à Diacono detecto, dat omnia in manibus Diaconi, & amota à Diacono patena cum Hoſtia, Subdiaconus Calicem purificatorio abſtergit, atque vini ampullam ab Accolytho ſibi traditam Diacono porrigit, & recepta à Diacono vini ampulla, eam Accolytho reddit, à quo accipit ampullam aquæ, quam dextera aliquantulum elevata Celebranti oſtendit, eique parum inclinatus, humili voce dicit: *Benedicite Pater Reverende*, & dum Celebrans dicit: Per hujus aquæ, &c. ipſe infundit paululum ipſius aquæ, ideſt paucas guttas in Calicem.

Biſſ. lit. D. n. 123. §. 20.

Cęrem. Epiſ. lib. 1. cap. 10.

Cooperto poſt oblationem per Diaconum Calice, Sub-

Subdiaconus in cornu Epiſtolæ facie ad Altare verſà, erectus exiſtens ſupra Bradellam, dextera manu cooperta velo magno, accipit à Diacono Patenam, cujus pars interior ipſum Subdiaconum, ſeu Populum reſpiciet, quam Diaconus cooperit extremitate veli, ab ejus humero dextero pendentis, deinde Subdiaconus poſt Celebrantem vadit ante medium Altaris in plano, & facta genuflexione ſtat ibi ſubſtinens eam elevatam uſque ad orationem Dominicam, tenens ſiniſtram ante pectus. Dum fit Altaris thurificatio ſemper ſtat in medio plani, & Celebrante genuflectente, vel inclinante, ipſe non genuflectit, nec inclinatur. Cum Celebrans dicit: *Orate Fratres*, &c. reſpondet genuflexus: *Suſcipiat*, &c., & cum à Diacono ipſe incenſatur, converſus ad eum, caput ei ante, et poſt inclinet. *Biſſ.lit.S.n. 2.§.15.*

Dum dicitur Præfatio, ſtat retrò poſt Diaconum in medio: *Ad gratias agamus* caput inclinat, et ſtat ibi erectus, ut prius. Dum elevatur Sanctiſſimum Sacramentum *genuflectit* poſt terga Celebrantis in medio ſupra infimum gradum Altaris, vel in plano, et peracta Sacramenti Elevatione, ſurgit, et ſtat in medio ante infimum gradum. Quando Celebrans in oratione Dominica profert illa verba: *Et dimitte nobis debita noſtra*, etc. facta ſimul cum Diacono genuflexione, aſcendit ad cornu Epiſtolæ ſuper Bradellam ad dexteram Diaconi, ibi ſtans erectus facie ad Altare verſa, Patenam coopertam Diacono offert, quam Diaconus detegit, et accipit, & ſtatim primus Accolythus velum ab ejus humeris pendentem amovet, et Subdiaconus, genuflexione ibi facta, ad locum ſuum in medio retrò poſt Celebrantem deſcendit, ſtans ibi erectus. *Cerem.Epiſ. lib.1. cap.10.*

Cum *pax Domini* dicitur, ipſe genuflexionem facit, et ad ſiniſtram Celebrantis accedit, ibique ſimul cum Celebrante, et Diacono genuflexione exhibita pectus dextera percutiens, ſiniſtra pectori admota, inclinatus dicit cum eis ter ſubmiſſa voce, *Agnus Dei*, &c., et in-

terim facta ibidem genuflexione poſt Celebrantem redit ante ſupremum gradum, et ibi poſtea à Diacono pacem recipit mutuo amplexu, ſiniſtris ſibi invicem genis appropinquantibus, illique dicenti, *Pax tecum*: reſpondet, *& cum ſpiritu tuo*, et facta ibidem ſibi invicem inclinatione, deſcendit ante infimum Altaris gradum in medio, et facta Sacramento genuflexione, Subdiaconus in Chorum pergit, et debitis peractis reverentiis, dat pacem, ordine infra lib. 3. præſcripto.

Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 10.

Data in Choro pace, revertitur ad Altare, et ante ultimum gradum in medio genuflexione facta, dat pacem Thuriferario, qui eum comitatus fuerat, & illicò ad dexteram Celebrantis aſcendit, genuflectit, & ſurgit. *Ad Domine non ſum dignus*, ſe profundè inclinat, & pectus percutit. Dum Celebrans ſe communicat, ipſe ſtat verſus Altare profundè inclinatus, diſcoöperit Calicem, & ſimul cum Celebrante genuflectit, & ſurgit. Deinde acceptis à primo Acolytho ampullis, prius vinum, & poſtea vinum, & aquam Celebranti miniſtrat. Si facienda ſit communio; Vide, quæ *habentur infra lib. 3.* Purificato Celebrante ante tabellam ſecretorum transferat modeſtè ad partem Evangelii pallam. Poſtea Subdiaconus ſimul cum Diacono poſt ejus terga in medio genuflectit, vadit ad cornu Evangelii, ibi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena, & Palla cooperit, plicat corporale, reponit intra Burſam, quam ponit ſuper Calicem, quem, facta in medio ante gradus Altaris genuflexione, præcedente primo Accolytho, ad credentiam reportat, poſtea rediens, & genuflexione ante gradus exhibita, ſtat retro poſt Diaconum in parte Epiſtolæ, dum dicuntur orationes. Si aliquod particulare Evangelium erit legendum, dicto, *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, ipſe librum cum cuſſino transfert ad cornu Evangelii, & tranſeundo genuflectit in medio poſt Diaconum. Ad Benedictionem ſtat ante, vel ſupra ſupremum gradum à parte Evangelii genuflexus, ſeque ſignan-

Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 10.

Biſſa lit. S. n. antec. §. 28.

gnan-

gnando,Benedictionem recipit, poſtea ſurgit, & dum legitur ultimum Evangelium, ſtat ſupra Bradellam ad ſiniſtram Celebrantis, miniſtrans ei tabellam Evangelii. Dum dicitur, *& Verbum caro factum eſt*, cum Celebrante genuflectit, quo finito, reſpondet *Deo gratias*, & cum Celebrante pergit ad medium Altaris, & debitam facit reverentiam, deſcendit cum eo, & ante infimum gradum ſimul cum aliis genuflectit, ſurgit, caput cooperit, & dum revertuntur, junctis ante pectus manibus, poſt Ceroferarios ordine, quo venerat, procedit. Sacriſtiam ingreſſus, capite diſcooperto, ſe inclinat à parte ſiniſtra Celebrantis,deinde depoſitis veſtibus,brevi peracta oratione, diſcedit.

In Miſſa ſolemni pro Defunctis.

IN Miſſis Defunctorum Subdiaconus utitur Tunicella, cantata Epiſtola, manum Celebrantis non oſculatur, nec ab eo benedicitur, neque Miſſale Diacono tradit, ſed Subdiaconus Celebrantis librum ad latus Evangelii defert, eique, dum illud legit, miniſtrat. Ad locum Evangelii, librum, dum canitur Evangelium, tenebit, quo finito, librum Celebranti oſculandum non defert, ſed illicò clauſum Thuriferario tradit. *Biſſ. l. S. n. 196. § 9.*

Ad offertorium Calicem velo parvo coopertum cum omnibus illius ornamentis, ac etiam burſa corporalium ex credentia accipit, ſed ejus humeris velum magnum non imponitur, infundens aquam in Calice non petit à Celebrante benedictionem. Oblatione completa, ſtat poſt Celebrantem junctis manibus ſine velo, & ſine patena. Dicto à Celebrante *Orate fratres*, ipſe non reſpondeat *Suſcipiat*, ſed Diaconus, & paulò antequam dicatur *Sanctus*, aſcendit ad Altare, & dicit *Sanctus* cum Celebrante.

Ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, impoſito per Thuriferarium thure in Thuribulo, illud ab eo accipit,

Uſus Baſilicarum Urbis.

pit, & genuflexus ſuper gradus laterales cornu Epiſtolę, debitis inclinationibus Sacramentum triplici ductu incenſat, & depoſito Thuribulo, poſt terga Celebrantis revertitur. Ad *Agnus Dei*, pectus non percutit, ſed Diacono ad librum aſſiſtente, ipſe à dextris Celebrantis manebit, & cum opus erit, Calicem detegit, & cooperit, & cum Celebrante genuflectit, eiq; vinum, & aquam miniſtrat, & Calicem ut ſupra aptatum ad credentiam reportat. Quæ Subdiaconus efficere debet in abſolutione ad Tumulum, & in Exequiis Defunctorum, in propriis locis habentur.

De Officio Thuriferarii. Cap. XV.

OFficium Thuriferarii eſſe munus Angelicum, Scriptura teſtante, neminem latere poteſt, qui divinę paginæ operam dedit, ſic enim legitur lib. Apocalip. cap. 8. *Stetit Angelus ante Altare habens Thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa*. Thuriferarius debet eſſe aliquantulum fortis, & robuſtus, quia Thuribulum grave, & navicula non levis aliquando eſſe ſolent, eaque elevatis equaliter manibus tenere debet, videlicet Thuribulum dextera propè manubrium, cujus catenularum longitudo erit quatuor palmorum, coopertorio aliquantulum elevato, ita ut Thuribulum ſit per duos digitos apertum, ut fumus ſpirare poſſit, ne ignis extinguatur; ſiniſtra manu pedem naviculæ clauſæ cum incenſo, & cochleari ante pectus aliquantulum remotum cautè geſtabit, ſuperpellicei manicam dextera accomodabit, & quanto remotius poteſt, à ſe ipſo Thuribulum amovebit, ne fortè contingat manicam cum Thuribulo implicari, aut comburi. Thuriferarius quoties à Choro diſcedit, ut ad Altare pergat, per oſtiolum à latere Evangelii ſemper egreditur, & quoties ab Altari ad Chorum tendit, per oſtiolum à latere Epiſtolæ ſemper ingreditur.

Cerem. Epiſ. lib. 1. cap. 11.

In Veſperis ſolemnibus; Dato pro Veſperis primo ſigno, Thuriferarius pręparabit Thuribulum, & Naviculam cum incenſo, & Chocleari, & vas cum prunis accenſis, ſi per Sacriſtam præparata non fuerint, & lotis manibus, ac ſuperpelliceo, ſeu cotta indutus, in Sacriſtia Pluviale cum ſtola coloris tempore convenientis, Albam, Cingulum, & Amictum pro Celebrante ſuis aptabat in locis, & illum ſe induentem adjuvabit. In Choro extendet tapete, vel pannum in loco Celebrantis, ibique legile nudum locabit, ſi non fuerint per Sacriſtam antea præparata. Ad Chorum ante Ceroferarios, manibus intra manicas poſitis ſine Thuribulo procedit, & ad oſtium Sacriſtiæ, ſeu Chori, aſperſorium cum oſculis Celebranti porrigit, & in medio Chori facta ſimul cum aliis genuflexione Altari, & Pręſidenti reverentia, ad ſuum locum poſt Ceroferarios pergit. Incæpto penultimo, vel ultimo Pſalmo, factis in medio debitis reverentiis, egreditur cum Acolythis ad Thuribulum, & Naviculam pręparandam, & revertitur dum dicitur Hymnus, & factis in medio Chori debitis reverentiis expectat Celebrantem, quem venientem reverenter Capite ſalutabit, & facta in medio ſimul cum aliis genuflexione, primus omnium egreditur per oſtiolum Evangelii, & perveniens ad Altare, retrò poſt Celebrantem, caputium ejus aptabit, & ſimul cum aliis genuflectet.

Aſcendente Celebrante ad Altare, ipſe pariter aſcendet, & tradit manu dextera Naviculam ſemiapertam primo Acolytho, & ſubſtentans Thuribulum ſiniſtra per annulum minorem, elevat dextera Thuribuli operculum, & accipiens dextera catenulas prope operculum ſtat. à dextris primi Acolythi in ſupremo gradu Altaris aliquãtulum à latere Epiſtolæ, facie tamen ad Celebrantem, & ad partem Evangelii converſa, Vaſculum per catenulas elevatum ſubſtentabit, ut thus carbonibus accenſis Celebrans immittere poſſit, & ſic manebit, donec incenſum in Thuribulo fuerit immiſſum, & benedictum,

quo

quo clauſo,tenens manubrium dextera, illud oſculatur, & catenularũ ſummitatem in ſiniſtra Celebrantis ponit, & tenens ſiniſtra catenulas prope Vaſculum, ponit eas in dextera Celebrantis,eam deoſculando,ſupponens manum ſuam ſiniſtram dexterę Celebrantis. Dum Altare incenſatur, ipſe ſtat ſupra Bradellam, parum retrò à dextris Celebrantis, elevans manu ſiniſtra anteriores fimbrias Pluvialis. Quoties Celebrans genuflectit, vel ſe inclinat, ipſe ibi ſemper cum primo Acolytho ſimul genuflectit.

Finita Altaris Thurificatione, Thuriferarius ſtans à latere Epiſtolæ manu dextera recipit Thuribulum per catenulas prope manubrium, ſupponẽdo dexteram ſuam ſiniſtræ Celebrantis,& ſiniſtram ſuã dexteræ illius prope Thuribulum, illam oſculando, & depoſitis catenulis à dextra Celebrantis, ipſe oſculabitur manubrium. Facta cum aliis in medio genuflexione, ante alios ingreditur Chorum à latere Epiſtolæ, in cujus medio factis cum aliis debitis reverentiis, primo incenſat Celebrantem, & omnes alios in Choro, deinde Ceroferarios, ſi ipſi erunt extra Chorum, & poſtea in Eccleſia populum ſecundum ordinem deſcriptum in lib. 3. Procuret autem Thuriferarius ante Orationem finire incenſationem Chori; quoniam ad præſentiam figurati ceſſat omnis figura.

Finita incenſatione, defert naviculam, & Thuribulum in Sacriſtiam, & dicta Antiphona, & Oratione Beatiſſimæ Mariæ Virginis in fine Veſperarum, cum Celebrante in Sacriſtiam revertitur, eodem ordine, quo in Chorum venerat. In Veſperis ſolemnibus pro Defunctis non defertur incenſum; quia nulla fit Thurificatio, ut dictum eſt lib.2. Ad Matutinum ſolemne incenſum non fertur niſi ad Laudes, in quibus fit, ut in Veſperis ſolemnibus.

In Miſſa ſolemni.

AD Miſſam ſolemnem,dato primo ſigno, Thuriferarius, Thuribulum, & Naviculam, cum incenſo, & cochleari, vas etiam cum prunis accenſis, ſi non erat antea per Sacriſtam preparatum, opportunè parabit, & lotis manibus, Superpelliceo, ſeu cotta indutus, una cum Accolythis omnia paramenta Celebrantis, & Miniſtrorum ſuis aptabit locis, niſi fuerint per Sacriſtam antea preparata, & Celebrantem ſe induentem adjuvabit. Dum canitur hora tertia Miſſale apertum, ſi ad Introitum non incenſatur ſupra pulvinum locabit in Altari à latere Epiſtolæ. In Die Dominico ſuper credentiam Planetam prius à parte exteriori, & poſteriori plicatam ponet, ſit etiam ibi Manipulus ſuperpoſitus; omnia etiam ad celebrationem Miſſæ ſolemnis neceſſaria, ſuper credentiam ordinabit, antequam Celebrans pergat ad Altare, prout habetur infra lib.3.

Dominicis diebus, finita hora tertia, procedit, ante omnes, ad Altare nihil deferens, manibus intra Superpelliceum poſitis,facta genuflexione Altari, accipit à credentia manu ſiniſtra, non per manubrium, ſed per pedem vaſculum aquæ benedictæ intro habentem aſperſorium,& ſtans erectus in plano à dextris Diaconi offert illi ſine oſculis vaſculum intro habens aſperſorium,& facta Aſperſione Altaris,atque genuflexione,ipſe primusomniũ per oſtiolum Epiſtolæ procedit ad Chorum, (ſervando tamen omnia ea,quę dicentur in cap. de aſperſione aquę benedictę) ubi factis debitis reverentiis ſiſtit ſe ad dexteram Diaconi ,ut Celebrans facilius ſumere poſſit aquam. Deinde eos pręcedens revertitur per oſtiolum Evangelii ad Altare:finita aſperſione,depoſitoque aſperſorio à Diacono intra vaſculum,Thuripherarius illud ad Credentiã defert, & finita oratione, accipit ab humeris Celebrantis Pluviale, & ad Sacriſtiam redit, accipit Thuribulum cum prunis accenſis, non tamen fumigans, & navi-

culam, & revertitur ad Altare. Si non eſt dies Dominicus, finita hora tertia, accipit Thuribulum cum navicula à Sacriſtia, eo modo, quo dictum eſt ſupra in Veſperis, & procedit ante illos ante Altare; Thuribulo fumigante, & perveniens ad Altare poſt terga Celebrantis Caputium ejus aptabit, & ſimul cum aliis genuflectet, & ſurget. Dum fit Confeſſio, ſtat erectus à parte Epiſtolę propè credentiam Thuribulum per catenulas elevatum dextera tenens, leviter illud continuo movebit, ne ignis extinguatur.

Cęrem. Epiſ. lib. 1. cap. 23. Finita Confeſſione accipit Thuribulum ſiniſtra, & Naviculam dextera, & facta genuflexione in plano ante gradus, aſcendit, & tradit Diacono ſine oſculis Naviculam ſemiapertam, ita ut puppam ejus apprehendat, & tenens Thuribulum ſiniſtra per manubrium, dextera ejus operculum per annulum minorem elevabit; & catenulas in medio accipiet, & ſtans in ſuperiori Altaris gradu parum à latere Epiſtolæ, facie ad Celebrantem, & ad partem Evangelii converſa, Thuribulum dextera elevatum tenebit, donec thus fuerit immiſſum, & benedictum, quo facto claudit Thuribulum, & tradit Diacono catenularum ſummitatem in dextera, & Thuribulum in ſiniſtra illius ponens, ut Celebrans Thuribulum commodiùs capiat. *Cęrem. Epiſ. eod. lib. 1. cap. 23.* Nunquam Diaconi, vel Subdiaconi manus, cum aliquid eis porrigit, vel ab eis recipit, deoſculetur, nec rem, quam eis exhibet, vel ab eis accipit. Navicula ab Accolytho accepta, eam ſuper credentiam ponit.

Dum Altare incenſatur, ipſe ſtat erectus à parte Epiſtolæ ante infimum gradum lateralem. Altare Thurificato, ipſe ſtat à ſiniſtris Diaconi parum poſt eum, & Celebrante incenſato, Thuribulum dextera per manubrium accipit, & facta ibidem genuflexione Altari, diſcedit cum Thuribulo.

Cantata Epiſtola, revertitur ad Altare deferens dexterà Thuribulum cum prunis ardentibus, accipit à credentia Naviculam, & præcedendo Acolythos cum Can-

de-

delabris accenſis accedit ad Altare,& facta cũ illis in medio genuflexione, expectat donec Celebrans legerit Evangeliũ,quo finito ipſe ſtans in Superiori Altaris gradu, Thuribulum miniſtrat, ut in principio Miſſæ; Impoſito incenſo in Thuribulo, & à Celebrante benedicto, ipſe recepta à Diacono Navicula, eam deponit, & ante Infimum Altaris gradum revertitur, ubi cum Diacono, & aliis miniſtris facta genuflexione, remanet poſt Diaconum, & ſtans retrò poſt dexteram ejus, Thuribulum leviter movet, ne ignis extinguatur. Diacono canente ſequentia,vel initium, ipſe tenens manubrium dextera, & vaſculum per catenulas ſiniſtra à dextris Diaconi; dat ei Thuribulum fumigans, & clauſum, ponens manubrium in ſiniſtra illius, & catenulas propè vaſculum in dextera, ut ſic commodè librum incenſare poſſit; reaſſumpto manu dextera Thuribulo, ſtans poſt Diaconum verſus ad illum,operculo per catenulam elevato, Thuribulum leviter agitabit, non ut cantans incenſetur, ſed ne ignis extinguatur, inclinans, & genuflectens ſimul cum Diacono, ſi opus erit. Maximè autem caveat, ne in Thuribulo incenſum, dum canitur Evangelium, aut eo finito, ipſe immittat, licet fumigatio thuris omninò conſumpta fuerit.

Finito Evangelio Thuribulum clauſum modo prædicto Diacono porrigit, & Celebrante incenſato Thuribulum reaſſumit, & facta Altari genuflexione in medio,diſcedit cum Thuribulo. Quando Celebrans, Diaconus, vel Subdiaconus, aut Chorus dicunt aliquod, ad quod eſt inclinandum, vel genuflectendum, ipſe etiam niſi impeditus ſit, ſimul cum aliis ſe inclinet, vel genuflectat verſus Altare. Si Celebrans ad ſedendum vadit,ipſe facta ſimul cum aliis genuflexione ante infimum gradum lateralem Epiſtolæ ſedeat medius inter Acolythos, & ſi canitur aliquid,ad quod eſt inclinandum, ſedendo, cum aliis ſe inclinet, ſi autẽ eſt genuflectendum,ſurgendo,genuflectat. In regreſſu ad Altare ſimul cũ aliis genuflectit.

Ad Offertorium iterum egreditur Thuribulum deferens, accipit de credentia Naviculam, dictoque: *Veni Sanctificator*, &c. Poſt oblationem Calicis facta genuflexione ante infimum gradum, tradit Diacono Naviculam, & poſtea in ſupremum Altaris gradum aſcendens, miniſtrat Thuribulum, ut dictum eſt ſupra in principio Miſſæ. Incenſato Altari, & Celebrante ſtatim cum Diacono ante Altare in medio genuflectens, illum præcedit ad incenſandum Chorum, ingrediendo per oſtiolum Epiſtolæ, & facta in medio Chori genuflexione ſtat aliquantulum retro à ſiniſtris Diaconi Thurificantis, cum eo genuflectens, & inclinans in medio. Thurificato Choro factiſque ibi debitis reverentiis, Diaconum pręcedens, egreditur à latere Evangelii, ſtat parum retrò à ſiniſtris Diaconi, donec Subdiaconus incenſetur; tunc accipiens Thuribulum à Diacono, eique antea, & poſtea inclinationem faciens, duplici ductu eum incenſat, & ſemel Acolythos, & deinde facta genuflexione Altari, thurificat populum eodem modo, quo dictum eſt ſupra, & ſtatim Altari iterum genuflectit.

In fine Præfationis, dicto *Sanctus*, regreditur cum Thuribulo, accedit ad credentiam, & cum tempus erit, ponit incenſum in Thuribulo ſine benedictione, accedit ad infimum Altaris gradum lateralem Epiſtolæ, ibique genuflexus in ſupremo, vel medio Altaris gradu, dum elevatur Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu illud thurificat, ita ut ſinguli ductus Thuribuli, ictibus Campanulæ correſpondeant, & ante, & poſt profundè ſe inclinat, quod ſimiliter faciet ad elevationem Sanguinis. Finita elevatione Sanctiſſimi Sacramenti deſcendit, & facta ante infimùm gradum lateralem genuflexione, accipit à credentia Naviculam, & ad Sacriſtiam pergit, & depoſito Thuribulo, & Navicula amplius in Miſſa non utendis, redit ad Altare, & ſtat à parte Epiſtolæ in plano propè credentiam erectus. Dum Celebrans dat Pacem Diacono, ipſe ſtatim propè

Sub-

Subdiaconum accedit, ibique in plano ſimul cum eo genuflectens, illumque præcedendo, ingreditur Chorum à parte Epiſtolę, & ſimul cum eo factis in medio debitis reverentiis, expectat, donec oſculum pacis Subdiaconus dederit, deinde peractis iterum in medio Chori convenientibus reverentiis, & ante infimum Altaris gradum genuflexione in medio, Thuriferarius accipit pacem ab eodem Subdiacono, reſpondens illi, *& cum ſpiritu tuo*, factaque poſtea Subdiacono inclinatione, Accolythis circa Altare manentibus, pacem dabit eo modo, quo eam recepit, facta poſtea, & non antea ad invicem ſimul inclinatione.

Dum dicuntur Orationes ſtat à parte Epiſtolæ propè credentiam, ad benedictionem cum aliis genuflectit. Quando in Evangelio genuflectendum eſt, facie ad Crucem verſa genuflectit; finita Miſſa Acolythos præcedendo, ordine, quo venerat, in Sacriſtiam revertitur, & Celebrantem dum Sacra veſtimenta deponit, adjuvat; deinde ea quæ ſuper credentiam fuerint, in Sacriſtiam defert, & adjuvantibus Acolythis, Celebrantis, & Miniſtrorum paramenta, ſuoſque ſuperpelliceos plicabit. Quæ efficere debet Thuriferarius in miſſa quæ cantatur cum tribus tantum Acolythis, ſine Diacono, & Subdiacono, & in Miſſa quæ canitur cum uno tantum Accolytho habentur lib. 3.

In Miſſa Solemni pro Defunctis.

IN Miſſis Solemnibus pro Defūctis Thuriferarius neceſſaria prępарabit, & miniſtrabit, ut ſupra. Quando Celebrans pergit ad Altare, Thuriferarius non defert Thuribulum, ſed manus intra manicas habens præcedet omnes. Ad Confeſſionem, & Orationes, quæ dicuntur ante Epiſtolam, & etiam poſt Communionem, & ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti uſque ad *pax Domini* ſemper genuflexus propè credentiam erit. Ad

In-

Introitum, non defertur Thuribulum; quia Altare non incenſatur, ipſe tamquam Cæremoniarius defert librum Subdiacono pro Epiſtola, & deinde Diacono pro Evangelio canendis, eo ordine quo habetur in capite Acolythorum. Ad Evangelium aſſiſtit loco ſolito, ſed ſine Thuribulo, quia nec liber, nec Celebrans thurificantur. Cantato Evangelio accipit à Subdiacono librum, & ad credentiam defert.

Poſt offertorium incenſatis Oblatis, Altari, & Celebrãte, Thuriferarius reaſſumpto Thuribulo, recedit, quia nihil aliud eſt thurificandum. Ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti Thuriferarius non incenſabit Sacramentum, ſed imponet thus in Thuribulum, quod Subdiacono thurificaturo tradet. *Ad Agnus Dei* non percutit ſibi pectus in hac Miſſa. In Abſolutione ad Tumulum, & in Exequiis Defunctorum Thuriferarius porrigendo aliquid Celebranti, vel miniſtris, nunquam oſculatur eorum manus, neque rem, quæ porrigitur. Quæ Thuriferarius efficere debet in Abſolutione ad Tumulum, & in Exequiis, in propriislocis habetur.

De Officio Accolythorum. Cap. XVI.

ACcolythorum, ſeu Ceroferariorum eſt luminaria deferre ad Signum lętitiæ demonſtrandum, vel ſub typo luminis corporalis illa lux Spiritualis oſtenditur, de qua in Evangelio Joan. 1. legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Et ipſi Ceroferarii ab Aaron & filiis ejus Sumpſerunt initium, ut habetur Exod. cap. 27. *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de Arboribus Olivarum puriſſimum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii, & collocabunt eam Aaron, & filii ejus, & uſque mane luceat coram Domino.*

Durand rat. divin. lib. 2. cap. 47.

Cær. epiſc. lib. 1. cap. 1. Cærem. Par. de Craſſ. lib. 1. cap. 19.

Pro Veſperis, & Miſſis ſolemnibus duo tantum Acolythi, ſeu Ceroferarii, nec plures permittantur ſtatura

quantum poſſibile fuerit, ęquales eligi debent, & lumina æqualiter teneant, & deferant; cumque capturi ſint candelabra tres palmos non excedentia, ita ea accipiant, ut qui à parte dextera erit, ponat manum dexteram ad Candelabri medium, & ſiniſtram ad illius pedem, qui autem erit à ſiniſtris, e contra ponat ſiniſtram in medio, & dexteram in pede, manibus nudis, & diſcoopertis, cerei, qui ab Acolythis ſuper Candelabra deferuntur, debent eſſe quinque, vel ſex unciarum ad minus.

Eundo, & redeundo ſemper pari paſſu, inceſſu gravi, & modeſto incedant. Dum aliquid facere debent, nunquam inter miniſtros Altaris tranſeant, ſed retrò poſt ipſos, & tranſeundo ante Altare, ſemper genuflectent, licet ibi non ſit Sanctiſſimum Sacramentum, quod ſimiliter Thuriferarius faciet, genuflexiones, & inclinationes, ſimul ęqualiter, & eodem tempore alter alterum obſervans, ipſi facere debent, dum genuflectunt, ut citò ſurgant, uſque ad terram dexterum genu curvent, cum autem ſe inclinant, mediocriter ſe inclinabunt, quod in omnibus inclinationibus obſervabunt, dum tenent candelabra. Dum aſſiſtunt manibus tenentes candelabra accenſa, oculis terram aſpiciant, & corpore ſint firmi, & immobiles, ac ſi duo marmorea ſimulacra eſſent, & ideo ſi tunc nominatur *Jeſus*, *vel Maria*, aut aliquod ſimile ipſi caput non inclinent; & ſi intonatur Hymnus ſpiritus Sancti, *Veni Creator Spiritus*, vel Beatiſſimæ Virginis *Ave Maris Stella*, vel in Miſſa *Veni Sancte Spiritus*, vel dum canitur Evangelium, Si genuflectendum eſt, ac propterea omnes genuflectunt, ipſi firmi ſtabunt, ac ſi immobiles eſſent, quia duo ſimulacra Marmorea repreſentant. Si autem aſſiſtunt manibus candelabra non tenentes, dum Celebrans, Diaconus, Subdiaconus, vel Chorus dicunt aliqua verba, ad quæ inclinandum, vel genuflectendum eſt, ipſi ſe inclinent, vel genuflectant.

Cær. epiſc. lib. 1. cap. 11.

Dato pro Veſperis, vel Miſſa ſolemni ſecundo ſigno, Aco-

Acolythi lotis manibus, & Superpelliceis, ſeu cottis induti, egredientes è Choro, primus per oſtiolum Epiſtolæ, & ſecundus per oſtiolum Evangelii manibus intra manicas poſitis, æqualiter procedendo, ante infimum Altaris gradum ſimul genuflectunt, unus à parte Evangelii, & alius à parte Epiſtolæ, & ſimul accipiunt virgas cum candelulis, eaſque accendunt, e flamma lampadis, & iterum genuflectunt, & aſcendunt ſupra ſupremum Altaris gradum hinc inde, parum diſtantes à medio, & ſimul accendunt cereos, quilibet à ſua parte, incipiendo à propinquioribus Cruci, quibus accenſis, ablatiſque parvis candelabris, qui pro Celebratione Miſſarum privatarum deſerviunt, eodem modo, & ordine, quo venerant revertuntur. Finitis Veſperis ſolemnibus, comitatoque in Sacriſtiam Celebrante redeunt ad Altare, & facta genuflexione, uterque accipit inſtrumentum extinctorium, & intorticia ante Altare hinc inde manentia, terga vertentes populo, & facies Altari, ſimul, & eodem tempore extinguunt, & poſtea cereos in Altari ardentes, eodem modo quo illos accenderunt, incipiendo tamen à remotioribus Cruci non removendo à candelis inſtrumenta extinctoria, donec fumus fuerit conſumptus, & hunc ordinem in accendendis, & extinguendis cereis inviolabiliter obſervabunt.

In Veſperis Solemnibus.

DAto pro Veſperis primo ſigno, Accolythi ad Sacriſtiam continuò pergant, & lotis mani bus, ſuperpelliceis, ſeu cottis ſe ſè induant, & Celebranti ſe induenti (ſi opus eſt) ſerviant. Ante quam detur tertium ſignum procedunt ad Altare, & factis reverentiis, accendunt cereos in Altari, & ſtragulam, ſeu tegumentum ſuper Altare poſitum plicabunt, & ab Altari removebunt, poſtea accendunt in Sacriſtia Cereos in duobus candelabris, ab ipſis deferendis, & intra oſtium

Sa-

Sacriſtiæ Celebrantem expectant, quò cum ille venerit, mediocriter ſe illi inclinant, & ibidem, vel ante oſtium Chori genuflexi aſperguntur, procedentes inde poſt Thuriferarium ad medium Chori hinc inde ſimul cum Celebrante genuflectunt, eique aſſiſtunt facie ad invicem verſa donec intonet Antiphonam, qua intonata, facta ei inclinatione, & in medio genuflexione, candelabra in gradu, vel plano inferiori, aut in plano ante Altare, ſed melius eſſet ſuper credentiam, hinc inde deponunt, & extinguunt, & poſtea poſt omnes Clericos hinc inde manebunt, ut ſupra dictum eſt.

In principio penultimi, vel ultimi Pſalmi, factis in medio debitis reverentiis procedunt ad Altare, eodem modo, & ordine ut ſupra, & cum candelulis ambo ſimul, & eodem tempore accendunt intorticia ante Altare manentia, vertentes terga populo, & facies Altari, deinde accendunt, & accipiunt Candelabra, & revertuntur in Chorum, & facta in medio genuflexione, ad Celebrantem accedentes, illum inclinatione ſalutant, atque faciebus ad invicem converſis, hinc inde ei aſſiſtunt uſque quo dictum ſit Capitulum, & intonatus Hymnus, quo inchoato, vel ſi eſt Hymnus de Spiritu Sancto, *veni Creator Spiritus*, vel de Beata Maria, *Ave Maris Stella*, poſt quatuor primos verſus, dum omnes ſurgunt mediocriter ſe Celebranti inclinant, & recedentes ante inferiores Chori ſedes facie ad invicem verſa hinc inde ſtabunt, donec perficiatur Hymnus, & Celebrans intonato *Magnificat*, ad medium procedat, & tunc ei facta inclinatione, mox ad Altare converſi, ſimul cum Celebrante recta linea genuflectunt. Per Oſtiolum Evangelii poſt Thuriferarium procedunt ad Altare, quò pervenientes, & factis genuflexionibus, deponunt ut ſupra Candelabra accenſa, & primus Acolythus accipit à Thuriferario Naviculam, & miniſtrat cum oſculis Celebranti incenſum, dicens: Benedicite Pater Reverende, ſecundus Acolythus elevat fimbriam Pluvialis, ne Ce-

lebrans impediatur, & accipit à primo Acolytho naviculam, quam ſuper Credentiam deponit. Dum Celebrans Altare incenſat, primus Acolythus aſſiſtit ad ejus ſiniſtram, & Thuriferarius ad dexteram, anteriores partes Pluvialis elevantes. Interim ſecundus Acolythus ſtat ante gradus laterales Epiſtolæ. Altari Thurificato ſtatim accipiunt candelabra, & ante infimum gradum ſimul cum Celebrante genuflectunt, & per Oſtiolum Epiſtolæ ordine, quo venerant in Chorum revertuntur, & facta in medio ſimul cum Celebrante genuflexione, & Celebranti inclinatione, ante ultimas Chori ſedes conſiſtent facie ad invicem verſa. Dum repetitur Antiphona Cantici, ipſi, facta genuflexione in medio, accedunt ad Celebrantem, & facta ei inclinatione, hinc inde faciebus ad invicem verſis, ei aſſiſtunt, quouſque dicta ſit Oratio, vel Orationes.

Dum canitur *Benedicamus Domino*, ipſi pergunt ad medium, ubi Celebrans debet facere reverentiam, & dicto *Fidelium animæ &c.* Statim cum Celebrante, & aliis genuflectunt verſus Altare, ſi eſt genuflectendum. Incæpta Antiphona, *Sacro Sanctæ*, ſurgant, & factis genuflexionibus ſimul cum Celebrante, ordine quo venerant, redeunt ad Sacriſtiam, & benedictione ab eo accepta extinguunt Cereos ſuorum Candelabrorum, & poſtea intorticia, & Cereos Altaris.

In Veſperis Solemnibus pro Defunctis, dum canitur Canticum *Magnificat*, Accolythi accendunt candelas in Candelabris deferendis, & cum eis Celebranti, dum dicit verſus, & Orationem, aſſiſtunt, ut dicetur lib. 2. c. 12.

Ad Matutinum ſolemne dato ultimo ſigno, procedunt cum Candelabris accenſis ad Chorum poſt Thuriferarium, facta in medio genuflexione, accedunt ad Celebrantem, eique aſſiſtunt, ut ſupra, uſquequo dictum ſit Alleluja, & tunc facta Celebranti Inclinatione, recedunt, & candelabra deponunt, ut ſupra, & extinguunt. Dum canitur *Octava lectio*, Candelabra reaccendunt, &

Ce-

Celebranti nonam lectionem canenti aſſiſtunt. Finita lectione, & inchoato ab eo Hymno *Te Deum laudamus* facta Celebranti inclinatione, & poſtea in medio genuflexione, diſcedunt, & candelabra deponunt; Si verò Laudes etiam canendæ ſunt, ùt contingit in feſtivitatibus Paſchatis, & Pentecoſtes, tunc non deponunt candelabra, ſed ad totum Hymnum *Te Deum* ſtabunt ante altare cùm candelabris facie ad invicem verſa, & ad verba *In te Domine ſperavi* denuò accedunt ad Celebrantem, eique facta capitis inclinatione aſſiſtunt, quouſque intonaverit primam Antiphonam, qua intonata diſcedent, & candelabra deponent, & deindè ad verſ. *Laudate eum in cimbalis* reaſſument, ut Celebranti ad Capitulum, & hymn. aſſiſtant, ut ſupradictum eſt. Si autem Celebrans, non in Choro, ſed ante Altare lectionem cantaverit, ipſi non prius diſcedunt, quam Celebrantem in locum ſuum reduxerint. Ad Laudes aſſiſtunt ad Capitulum, Incenſationem, & Orationem ſicuti in Veſperis.

In Miſſa Solemni.

DUm canitur hora tertia, Accolythi accendunt ſex Cereos in Altari, & poſtea in Sacriſtia duos in candelabris ab ipſis deferendis. Finita hora tertia poſt Thuriferarium procedunt, & pervenientes ante infimum Altaris gradum, hinc inde in plano ante angulos facie ad Altare verſa, Celebrantem expectant, ante ſe ei locum tranſeundi præbentes, eique ſe parum inclinantes, & genuflexione facta ſimul cum aliis, candelabra accenſa ſuper Credentiam reponunt, & redeunt ad aptanda Miniſtrorum Caputia. *Cær. epiſc. lib. 2. cap. 8.*

Si fit aſperſio aquæ benedictæ, dum Celebrans aſpergit Chorum, ipſi ſtant erecti hinc inde ante gradus Altaris facie ad Altare verſa, & primus Accolythus facta genuflexione Altari, accipit à Credentia Miſſale Celebran-

tis, & redit ad locum ſuum lateris Epiſtolæ, & cum opus fuerit, illud Diacono tradit. Dum dicitur Oratio, ſecundus Accolythus accipit à Credentia manipulum manu dextra, & Planetam ſiniſtra, & porrigit manipulum Subdiacono. Finita Oratione primus Acolythus accipit Miſſale à Diacono, & defert ad Credentiam. Diaconus ſoluit Pluviale Celebrantis, & Thuriferarius depoſito vaſculo, accipit Pluviale Celebrantis ab humeris, & ſecundus Accolythus ſtans in plano, vel in infimo gradu, induit Celebrantem planeta, & Subdiaconus manipulo, facta ante Altare in medio genuflexione manibus intra manicas ſuperpellicei poſitis, oculis demiſſis vultibuſque ad invicem verſis aſſiſtunt Confeſſioni hinc inde genuflexi extra gradus inter Celebrantem, & Altare. Dum Celebrans aſcendit ad Altare, ipſi ſurgunt, & ſtant erecti ante gradus hinc inde facie ad Altare verſa.

Finita benedictione Incēſi, primus Accolythus accipit à Diacono Naviculam, quam Thuriferario tradit; Dum Celebrans incenſat Crucem, primus Accolythus facta in proprio loco genuflexione accipit à Credentia Cuſſinum cum Miſſali aperto Celebrantis, & incenſato cornu Epiſtolæ, factaque genuflexione ante gradus laterales Epiſtolæ, illud ſuper cornu Altaris locabit apertum, & iterum facta ubi ſupra genuflexione, redit ad locum ſuum. Cum Celebrans thurificando Altare inclinatur, vel genuflectit, ipſi non inclinantur, nec genuflectunt.

Dicto Dominus vobiſcum, ſi una tantum Oratio eſt dicenda, ſi autem plures, dum dicitur penultima Oratio, primus Accolythus facta Altari genuflexione in medio, accipit à Credentia Miſſale clauſum, quod aliquantulum elevatum ambabus manibus ferens ſine oſculis tradit Subdiacono, ſe illi parum inclinans & ſimul cum eo in medio genuflectit, & ad locum Epiſtolæ poſt eum accedit, & aperto Miſſali à Subdiacono, ipſe digito indicat, & oſtendit ei Epiſtolam canendam, ibique retrò poſt eum à parte dextera uſque ad finem manet, & quando il-

le

le genuflectit, vel ſe inclinat, ipſe etiam idem faciat. Finita Epiſtola, ſimul cum Subdiacono genuflexionem in medio faciet, & oſculata à Subdiacono Celebrantis manu, accipit ab eo Miſſale (ſi non accipitur à Diacono) illud poſtea Diacono tradit, cum Celebrans incipit Evangelium. Celebrante Evangelium legente, Accolythi candelabra accenſa accipiunt à Credentia, & præcedente Thuriferario, ante Altare accedunt, debitiſque genuflexionibus ante Altare peractis æqualiter inter ſe diſtantes expectant, quouſque procedendum ſit ad cantandum Evangelium, tunc enim cum Diacono, & aliis ſimul genuflectentes, & Subdiaconum præcedentes, accedunt ad latus Evangelii, ibique unus ad Subdiaconi dexteram, & alter ad ſiniſtram vultibus ad Diaconum, vel ejus latera verſis, uſque ad Evangelii finem aſſiſtent. Si dum canitur Evangelium, Diaconus ſe inclinat, vel genuflectit, ipſi immobiles manebunt. Finito Evangelio, redeunt ad medium, ubi genuflexione facta, deponunt candelabra ſuper Credentiam, quæ amplius non removentur, niſi in fine Miſſæ, & ſtatim primus Accolythus ſiſtit ſe in parte ſuperiori ſcamni, ſecundo Accolytho in ejus parte inferiori manente; & cum Miniſtri ſedere debent, primus ex eis poſteriorem Dalmaticæ Diaconi partem, alter Tunicellæ Subdiaconi, manibus elevabunt, & in gradu Altaris non ſedent, neque in ſcamno, medium inter ſe Thuriferarium habentes. Si eo tempore canitur aliquod, ad quod eſt inclinandum, ſe inclinent, ſi autem eſt genuflectendum, genuflectant, & poſtea redeant cum aliis ante Altare.

Dicto à Celebrante *Dominus vobiſcum*, primus Acolythus facta ſimul cum Subdiacono genuflexione in medio, procedit cum eodem ad Credentiam, ubi velum longum accipiens, humeris Subdiaconi imponit, ita ut longius pendeat à parte dextera, & ſumens ambabus manibus pelviculam cum ampullis vini, & aquæ manutergiolo coopertis, eum immediate ſequitur ad Altare, ampul-

pullas opportunè ipſi Subdiacono in cornu Epiſtolæ porriget, & vino, & aqua ex illis in Calicem miſsis, eas ad Abacum reportabit.

Finita benedictione Incenſi; Dum Celebrans Thurificat Crucem, ſecundus Accolythus acipit Miſſale Celebrantis apertum cum Cuſſino, quod extra Altare tenebit uſque ad peractam incenſationem lateris Evangelii, interim primus Accolythus accipit à credentia pelviculam cum ampulla aquæ, quam in cornu Epiſtolæ, Celebrante thurificato, debitis reverentiis ad Celebrantis ablutionem miniſtrat, & reponit pelviculam cum ampulla aquę, & manutergiolo in Credentia.

In fine præfationis dum dicitur *Sanctus*, primus Accolythus Campanulam ter moroſè pulſabit, & ſimul cum ſecũdo Accolytho debitis genuflexionibus ante infimum gradum hinc inde factis, accendunt intorticia in Candelabris magnis ante Altare manentibus, quæ non extinguuntur niſi communione Celebrantis peracta. Et ſi aliqui ſunt Communicandi, tunc non extinguuntur, donec ab omnibus Sanctiſſimum Sacramentum ſumptum fuerit, & ante infimum Altaris gradum hinc inde ęqualiter inter ſe diſtantes in plano genuflectunt. Ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti; primus Accolythus Campanulam more ſolito pulſabit. Calicé elevato, & ſuper Corporale repoſito Accolythi ſurgunt, & ſtant erecti in locis ſuis, hinc inde facie ad Altare verſa. In aliquibus autem diebus ſolemnioribus primæ Claſſis accenſis intorticiis propè Altare manentibus, Accolythi deferunt à Sacriſtia intorticia Accenſa, & elevato Calice diſcedunt.

Miſſ. rit. 8. n. 8. & Cær. Epiſc. lib. 2. c. 8.

Dicente Celebrante *Nobis quoque peccatoribus*, pectora percutiunt; Circa finem Orationis Dominicæ ſcilicet *Pater noſter*, primus Acolythus, Sacramento genuflexione peracta, aſcendit poſt Subdiaconum, & accepta à Diacono Patena de manu Subdiaconi, ipſi velum ab ejus humeris accipit, & facta ante infimum gradum genuflexione, illud plicatum in Credentia deponit, & redit

ad Altare, & ſtat erectus, ut primum.

Ad *Agnus Dei* parum inclinati, & ad *Domine non ſum dignus* genuflexi ter pectora ſibi percutiunt more ſolito, ſecreto illa verba proferentes; & ſtatim ſurgunt, pacem ante Altare recipiunt, ut habetur lib. 3. cap. penult: ſumpta à Celebrante Hoſtia, primus Accolythus facta Sacramento genuflexione, accedit ad credentiam, accipit ampullas, quas in cornu Epiſtolæ Subdiacono miniſtrat, & poſtea ad credentiam reportat. Secundus Acolythus Subdiaconum Calicem ad credentiam deferentem præcedit, & eodem modo ad Altare revertitur, factis ante, & poſt in medio ſimul cum illo genuflexionibus. Dum ſecundus Accolythus facit ultimam genuflexionem cum Subdiacono, primus Acolythus ſimul cum illis Altari genuflectit, & ſtatim ſimul cum alio Accolytho extinguunt candelabra accenſa ante Altare manentia, & dum dicitur Oratio removent inſtrumenta extinctoria. Ad benedictionem genuflectunt hinc inde in plano, & ſigno Crucis ſe ſignant, & ſtatim ſurgunt, & accipiunt à credentia candelabra accenſa, & redeunt ante Altare, ubi iterum facta genuflexione, ſtant erecti facie ad Altare verſa, Ad illa verba Evangelii, *& Verbum Caro factum eſt*, genuflectunt.

Finita Miſſa, cum aliis Altari, ut in principio, genuflectunt, & procedendo ordine, quo venerant, pergunt ad Sacriſtiam, ubi ſimul ſe Celebranti inclinantes, deponunt, & extinguunt candelabra, & miniſtros adjuvant, dum Sacra veſtimenta deponunt: Poſtea extinguunt candelas Altaris, ut ſupra dictum eſt in præſenti capite, deinde ſe ipſos Superpelliceis ſpoliantes, ea plicabunt, & diſcedent. Quæ efficere debent Accolythi, in Miſſa, quæ canitur cum tribus tantum Acolythis ſine Diacono, & Subdiacono, habetur lib. 3.

In Miſſa ſolemni pro Defunctis. Accolythi procedunt ad Altare poſt Thuriferarium more ſolito cum candelabris accenſis ex cera communi, ad Confeſſionem, & Orationes *Cær. Epiſc. lib. 2. cap. 11.*

tiones

tiones ante Epiſtolam, & poſt Communionem, & ad Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti uſque ad *Pax Domini* erunt genuflexi. Nullus Accolythorum defert Miſſale Subdiacono pro Epiſtola, nec Diacono pro Evangelio ſed Thuriferarius qui in hac Miſſa non eſt Thuribulo impeditus. Ad Evangelium Accolythi aſſiſtunt, ut ſupra, ſine tamen candelabris, tenentes manus intra manicas ſuperpellicei.

Miſſal. rit. 13. *n.*2.

In Proceſſionibus Eccleſiarum noſtrarum, Accolythi, candelabra accenſa deferentes, ſemper in eorum medio habebunt Cruciferarium, & ſi eſt tranſeundum per anguſtum locum, Ceroferarii eum precedent.

Ad Matutinum ordinarium, ſi Campanarius Nocturnus lucernas accenſas in Chorum non detulerit, primus Accolythus eas deferet, accendat etiam lucernam in medio pro lectionibus legendis, & etiam ante Capitulum; ſi Officium non eſt ſimplex, vel de feria, pergendo ad medium quinque, vel ſex verſus antequam finiatur Pſalmus; Dum dicitur Antiphona Beatiſs. Virginis, vel Sacroſanctæ, primus Accolythus, vel ambo, lucernas è Choro removebunt. Finita gratiarum actione, prout in Conſtitutionibus habetur, ſi Campanarius non accendit lucernas, primus Acolythus eas accendet.

Quando ad Matutinum præintonantur Antiphonæ, lucerna in medio Chori poſita ſemper erit accenſa, uſque ad *Te Deum laudamus*, vel uſque ad finem officii, ſi laudes canuntur.

Si Oratio mentalis matutina fit ante horas canonicas. finita oratione primus Accolythus lucernas accenſas in Chorum defert, ſi erit ante lucem diei. Quoties Fratres diſcedunt noctis tempore è Choro, vel Refectorio, vel alio loco, ipſorum Accolythorum erit lumen ante eos deferre, & ante eorum Cellas genuflexi, lumen eis præbere, antiquior à Priore, & junior à Supp riore incipiendo.

Feria quarta, & Sabbato, vel ſaltem ſemel in hebdomada

mada in die Sabbati lucernas Fratrum purgabunt, & cum opus fuerit oleum, ac ellichirium immittent; omni autem die purgabunt, & præparabunt lucernas Chori, & illas ab eis deferendas, necnon lucernas Superiorum, & Lectorum Phil.& Theol.Quoties unus Ceroferariorum deficit in aliquo circa ſuum officium, alter ſtatim ſuppleat, & adjuvet, ne aliquid erroris contingat.

De Officio Miniſtri in Miſſis privatis. Cap. XVII.

QUi ad ſerviendum tremendo, & Sanctiſſimo Miſſæ ſacrificio fuerit vocatus, nunquam ſe aliquo impedimento excuſet, ſed ſuam indignitatem, & Dei benignitatem recolens, tanquam Angelus Dei ad nuptias Cęnæ Agni immaculati Chriſti, hilari fronte humiliter accedat, & lotis manibus, orans in Sacriſtia, Celebrantem potiùs expectet, quam expectetur ab eo. Si Vicario Generali, vel alicui extraneo Prælato, vel Provinciali in propria Provincia eſt miniſtraturus, Superpelliceo ſe induet. Cum Sacerdos Sacras ſibi veſtes adaptat, miniſter capite diſcooperto, Amictum ita applicet, ut ejus Crux ſit in medio Capitis, & Albam ambabus accipiens manibus à dextris Sacerdotis capiti ejus imponat,& manu dextera manicam dexteram extenſam tenens, ſiniſtra manu brachium ejus dexterum veſtit, & ſimiliter ſiniſtram manicam, manu ſiniſtra extenſa, manu dextera brachio ſiniſtro adaptat. Cucullam accõmodat, Cingulum à tergo ſub brachiis ęqualiter pendens utraque manu porrigit, & circum circa Albam elevat, ita ut veſtes tegat, & ad latitudinem digiti, vel circiter ſupra terram ęqualiter fluat, plicaturas ejus ęquè in girum dividendo. Stolam ita accomodet, ut ejus Crux ſit in Colli medio. Sudariolum Sacerdoti porrigit. Caveat ne Calicem, Patenam, Pallam, aut Purificatorium nuda manu tangat; Prævideat, & interroget Sacriſtam in quo Altari ſit Celebrandum, & an omnia ſint in Altari præparata.

Miſſal. rit. 1. num. 3.

Cum erit eundum ad Altare, dicat ſubmiſſa voce Celebranti, quale eſt Miſſale, & quod ſibi oſtenſum fuerit accipiet, & pectori inclinet, ſiniſtra ſcilicet ſubter poſitâ ſuſtinendo illud, & dextera applicata ad medium ipſius. Imagini principali in Sacriſtia exiſtenti, cum Sacerdote ſe profundè inclinet, & eum præcedat cum Miſſali, & aliis ad Celebrandum neceſſariis, niſi fuerint anteà præparata. Perveniens ad fontem aquæ benedictę, dextera accipit aſperſorium cum aqua benedicta, eumque reverenter oſculans porrigit Celebranti, ut ab eo genuflexus, aſpergatur, pulſet Campanulam, uno vel duobus, & ad ſummum tribus ictibus, procedat ad Altare parum ante Celebrantem facie erecta, oculis demiſſis, & inceſſu gravi.

Si per Chorum tranſiens dicitur in Choro *Gloria Patri*, inclinatus manebit, donec omnes eleventur, ſi contingerit ante Altare majus tranſire, vel ante Altare, in quo reliquiæ diſcoopertæ, vel imago devota, & mirabilis, ſimul cum Celebrante profundè ſe inclinet. Et ſi ibi eſt Sanctiſſimum Sacramentum, dextero genu uſque ad terram parum retrò poſt Celebrantem genuflectet. At ubi elevatur, vel miniſtratur, ambobus genibus in terram poſitis Sanctiſſimum Sacramentum adoret, nec ante ſurgat, donec Celebrans repoſuerit Calicem elevatum ſuper Corporale.

Cum pervenerint ante infimum Altaris gradum, à parte Evangelii ſiſtat, & ſi Celebrans à parte Evangelii venerit, ipſe retrogrediens, Celebrantem tranſire ſinat, & aliquantulum poſt Celebrantem manu dextera Cucullam accommodet. Sed ſi Celebrans eſt Pręsbiter ſęcularis, miniſter ſiſtat ſe à parte Epiſtolę, ſtans aliquantulum retrò, ut cum Celebrans ei birretum porrigit, ipſe poſſit dextera accipere illud oſculando. Si ibi eſt Sanctiſſimum Sacramentum ſimul cum Celebrante aliquantulum tamen retrò dextero genu uſque ad terram genuflectat, & ſi non adeſt Sacramentum profun-

dè

dè ſe inclinet. Sed in genuflexione, inclinatione, erectione nunquam præveniat, neque ſubſequatur Celebrantem. Facta genuflexione, illicò elevatur, aſcendat ad Altare non per gradus anteriores, ſed à latere cornu Epiſtolæ, ubi ſupra pulvinum deponit Miſſale clauſum, non tranſverſaliter, ſed ut pars inferior libri Altare tangat, Superior verò pulvino hæreat, tum per eoſdem gradus deſcendat. Si habet in manu birretum Celebrantis deponat loco ſolito, extra Altare. Si Candelæ accenſæ non fuerint, ſtatim eas accendat, & perſpiciat, an in ampullis ſit vinum, & aqua. Poſtea facta in medio genuflexione Sacramento, vel Cruci profunda reverentia, redit ad latus Evangelii, & genuflectit ante infimum gradum Altaris parum retrò poſt Celebrantem ad ejus ſiniſtram; Et ſi Altare plures ordines graduum habuerit, ante infimum Superioris ordinis genuflectat, manibus intra manicas poſitis. Sacerdote dicente *in nomine Patris*, &c. Miniſter ſe ſigno Crucis muniat, & Antiphonam,& Pſalmum cum Celebrante alternatim recitabit, voce non ita ſubmiſſa, quod à circumſtantibus non audiatur, nec ita elevata quod Celebrantis vocem traſcendat, ſed tonum, & vocem Celebrantis in quantum poteſt ſemper imitando. Ad ℣. *Gloria Patri* &c. caput inclinat, & ad ℣. *Adjutorium noſtrum*, &c. ſe ſigno Crucis ſignat.

Cum Celebrans dicit *Confiteor*, &c. miniſter non inclinatur, nec cum ille dicit: *Mea culpa*, Miniſter ſe percutit, nec in fine reſpondet *Amen*; finito à Celebrante *Confiteor*, ſtatim miniſter dicit: *Miſereatur*, &c., & poſtea dicit: *Confiteor Deo*, capite inclinato, nec illud erigit, donec Celebrans aſcenderit ad Altare. In *Confiteor* dicet, *Beato Patri Auguſtino*, & cum dicit *tibi Pater*, *& te Pater* ſemper ſe aliquantulum inclinet verſus Celebrantem, & cum ter dicit mea *culpa*, &c. ter percutit ſibi pectus. *Ad Indulgentiam*, &c. ſe ſignat. Diligenter advertant Suppriores, & Magiſtri Novitiorum *Miſſ. rit. 3. num. 9.*

& Profeſſorum, ut Miniſtri tam magno Sacrificio inſervientes, omnia verba, & Syllabas, & etiam litteras, rectè, & diſtinctè proferant, ne eos ſæculares, irrideant, & Deus iraſcatur.

Aſcendente Celebrante ad Altare, ſi plures ante Altare ſint gradus, Miniſter ſurgens ſupra infimum gradum Altaris ad partem Evangelii genuflectit, ſed ſi Altare non habuerit gradus, ſed ſolum bradellam in plano, ſeu pavimento, ſtabit genuflexus uſque ad graduale, vel tractum, aut finem ſequentiæ. Officium, vel aliam orationem vocalem nunquam perſolvat, neque aliquem librum, quamvis ſpiritualem, & devotum legat, ne aliquam negligentiam committat, vel ſuo murmure Celebrantem diſturbet, ſed oculos, & attentionem ad Altare habeat, ad *Kyrie eleiſon* alternatim reſpondeat. Si Celebrans dicit *flectamus genua*, ipſe reſpondet. *Levate*. Cum miniſter reſpondet Celebranti, *& cum ſpiritu tuo*, vel aliud, ſemper genibus flexis, & capite aliquantulum inclinato reſpondeat. Cum nominatur *Jeſus, vel Maria*, aut nomen Sancti, de quo dicitur Miſſa, ſemper parum caput inclinet, & ad primam, & ultimam orationem in fine reſpondet, *Amen*.

In fine Epiſtolæ reſpondet, *Deo Gratias*, & ſi ſunt plures Epiſtolæ, vel Prophetiæ, poſt ſingulas dicet *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ lectionis Danielis Prophetæ in Sabbatis quatuor temporum, & in fine Lectionum feriæ ſextæ in paraſceve, ac etiam Sabbati Sancti. Circa finem *gradualis*, vel *tractus*, aut *ſequentiæ*, ſurgit, & facta in medio debita reverentia, expectat poſt dexteram Celebrantis, & non tamen propè, ne eum conturbet, finitis *verſibus*, aut *ſequentia* accipit *Miſſale apertum cum Cuſſino*, & facta iterum in medio debita reverentia, transfert illud apertum ad alteram partem in cornu Evangelii, tranſiens non per gradum Superiorem, ſed ante illum, & locat *Miſſale* prope cornu Evangelii,

itaut

itaut ejus pars poſterior reſpiciat ipſum cornu Altaris,& non parietem, vel ad partem ejus contra ſe directam, ut Celebrans verſus illud commodè legere poſſit. Advertat dum librum transfert, ne ejus ſignacula moveantur, aut Altari, vel Celebranti terga vertat, poſtea deſcendat poſt infimum Altaris gradum, & facta in medio debita reverentia, pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi capite parum inclinet ſtans facie ad Evangelii latus converſa Celebranti reſpondeat. Cum dicitur, *ſequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii*, ſe ſignet pollice dextero in fronte, ore, & pectore, & ſic etiam faciet in principio Evangelii in fine Miſſæ reſpondendo, *Gloria tibi Domine*, ſed quando dicitur *paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum* N. nihil reſpondetur, nec dum legitur paſſio extinguuntur candelæ, quæ ſunt ſuper Altare accenſæ, neque in fine reſpondetur, *Laus tibi Chriſte*. Dum legitur Evangelium ſimul cum Celebrante ſe inclinabit, & ſimul genuflectet ſi opus erit. In fine Evangelii reſpondet, *laus tibi Chriſte*, quod etiam dicitur in fine illius partis paſſionis, quæ legitur in tono Evangelii, preter quam in Paraſceve.

Miſſ. rit. in Dom. Palm.
Miſſ. rub. in rub. 10. n. 6.

Miſſ. ibid.

Quando transfert Miſſale ab una Altaris parte ad aliam, nunquam ponat pedes ſupra Bradellam, quia Bradella ſignificat Sancta Sanctorum, qui eſt locus ſolius Celebrantis, & tranſiens ab uno Altaris latere ad aliud, ſemper in medio profundè ſe inclinet, & ſi ibi eſt *Sanctiſſimum Sacramentum*, dextero genu uſque ad terram genuflectat.

Finito Evangelio, genuflectit ut ſupra in cornu Epiſtolæ. Cum dicitur *Credo* ad illa verba, & *Homo factus eſt*, terram oſculatur. Dicto offertorio accedit ad feneſtrellam, accipit manutergiolum, quo extenſo in cornu Epiſtolæ, revertitvr ad accipiendam utraque manu pelviculam cum ampullis ſine operculis. Ante ſupremum Altaris gradum genuflectit, ſi diu morandum eſt, & accedente ibi Celebrante ſurgit, & ſtans in coruu Epiſtolæ

ſtolæ extra Altare,facta reverentia, oſculataque ampulla vini, illam non madefactam dextera ei per pedem tradet, ſuſtentando peluiculam ſiniſtra, & dum ille vinum Calici infundit, ipſe dextera ampullam aquæ accipit, & repoſita in peluiculam à Celebrante ampulla vini, affert ei cum oſculo ampullam aquæ quam in peluiculam recipiet, tenens dextera ampullam vini.

Advertat ne ampullinæ ſint plenæ uſque ad os, ſed ſolum uſque ad Collum, & ne pedes ſint madefacti, vel
Miſſ.rit. 7.n. 4. unam ampullam pro alia Celebranti miniſtret, & quando eas porrigit roſtrum Candelabra reſpiciat, & in porrigendo ſemper illos oſculetur, & nunquam ponet ampullam ſupra Altaris mappam, nec brachiis Altari adhæreat. Reaſſumptis ampullis, factaque reverentia, revertitur
Miſſ.ibid. ad feneſtrellam, & depoſita ampulla vini, tenet manu ſiniſtra peluiculam, & ante ſupremum gradum, ſeu ante Bradellam elevat in medio Manutergiolum parum ſurſum, & ſtans erectus extra Altare, itaut Celebrans manus abluat, non ſuper, nec ante Altare, ſed extra, & facta reverentia,teneat peluiculam per ſpatium quatuor digitorum ſub manibus Celebrantis, & per idem ſpatium ſuper eas teneat dextera per pedem ampullam aquæ, quam in medium peluiculæ ad ablutionem digitorum infundit, & iterum inclinatione facta, revertitur, & aquam effundit, intra vas ad hoc in quolibet Altari præparato, advertens ne manutergiolum ſuper Altare remaneat, & aſſumpta Campanula genuflectit, ut ſupra, in cornu Epiſtolæ.

Si Sanctiſſimum Sacramentum, erit ſuper Altare expoſitum miniſter non aſcendet ad Altare, ſed extra gradus in plano ejuſdem lateris Epiſtolæ conſiſtet, ibique miniſtrabit Celebranti ad primum gradum deſcendenti aquam ad lotionem digitorum; Cum Sacerdos dicit, *Orate Fratres*, miniſter reſpondet non ſtatim, ſed completo Celebrantis circulo, ſubmiſſa, & intelligibili voce, *Suſcipiat*, &c. ſine Amen, candelas extinguet, ſi

opus

opus eſt, quod taliter faciet, ut Celebrantem non perturbet, advertens ne cera quidpiam maculetur.

Ad præfationem reſpondet genuflexus in cornu Epiſtolæ. Dum Celebrans dicit *Sanctus*, ipſe ter pulſat moroſe, non tamen continuatè campanulam cum parva diſtantia inter duos ictus pro ſingulis ternis vicibus, qua pulſata, eam erectam ponit in ſupremo gradu, ſurgit, accipit virgam, aptat in illius apice candelulam, quam ex candelabro Altaris à parte Epiſtolæ accendet, & cum ea accendet Intorticium in Candelabro magno ex parte Epiſtolæ conſiſtente, quod non extinguitur, niſi poſtquam Celebrans ſe communicaverit, & ſi alii ſunt communicandi, exinguitur poſt communionem aliorum. In diebus ſolemnibus primæ Claſſis in Altari majori accenduntur duo intorticia, primo illud quod eſt in cornu Epiſtolæ, deinde aliud ex parte Evangelii: advertat autem accendendo intorticium, ne Altari; aut Celebranti terga vertat; ſed quam primum ſe expediat, & Celebrantem obſervet; an ad actum Conſecrationis pervenerit, tunc enim depoſita virga, campanulam genuflexus pulſabit, intorticio in accenſo relicto. Accenſo intorticio genuflectit in ſupremo Altaris gradu ante Bradellam parum à latere Epiſtolæ, & cum Celebrans genuflectit *ad elevationem Hoſtiæ*, ipſe ſiniſtra elevans fimbrias poſteriores Capſulæ, ne Celebrantem in elevatione *Corporis, & Calicis* impediat, dextera ter percutit Campanulam, primò cum Celebrans genuflectit, dabit duos ictus, & duos alios dum Hoſtia eſt in Altum elevata, ſtans tunc ipſe capite inclinato, & alios duos cum Hoſtiam ſuper Corporale reponit, qua depoſita, miniſter Capſulæ fimbrias abſque illius oſculo, dimittit, faciens ſolum ſignum oſculandi, terram, ſeu Bradellam oſculari debet, poſt elevationem *Hoſtiæ*, & etiam *Calicis*, & hæc ſimiliter faciat ad *Calicis* elevationem.

Miſſ. rit. 7. n. 8.

Miſſ. rit. 6. n. 8.

Miſſ. rit. 8. n. 6.

Calice elevato, deſcendit, & dextero genu uſque ad terram genuflectit, & redit ubi prius ad infimum gradum la-

lateris Epiſtolæ, ibique genuflexus campanulam ante ſe deponit, & manet uſque ad Communionem, indeque reſpondebit quoties res poſtulaverit. Dum Celebrans ſilentium obſervat, miniſter ſilenter orabit. Cum dicitur *nobis quoque peccatoribus*, dextera pectus ſibi percutit. Ad *pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, reſpondet, *& cum ſpiritu tuo*, ſe ſignans in fronte, ore, & pectore. Cum dicitur *Agnus Dei*, &c. ter percutit ſibi pectus, niſi Miſſa ſit pro Defunctis; dum dicitur *Domine non ſum dignus*, ipſe genuflexus, & capite inclinato, ter ſuum percutit pectus.

Sumpta à Celebrante *Hoſtia* ipſe accedit ad feneſtrellam, & depoſita Campanula, acceptiſque per pedes ampullis abſque operculis, vini dextera, aquæ verò ſiniſtra ad latus Epiſtolæ ante ſuperiorem gradum procedit, & ſi non dum Celebrans ſanguinem ſumpſerit, genuflexus ibi expectabit, donec illum ſumat, & ad purificandum Calicem, ſi erit neceſſarium propter longitudinem Altaris aſcendere ſupra Superiorem gradum, aſcendat, ſed ſi non erit neceſſe, ſiſtat ſe ante Superiorem gradum, & ſtans erectus infundit ſine oſculis in medium *Calicis* dextera extenſa, & à Calice quatuor digitis elevata vinum ſolum, facta reverentia antea, & poſtea, & ſtans extra Altare, factaque iterum reverentia, manu dextera vinum, & ſiniſtra aquam ad ablutionem Celebranti miniſtrat. Advertens ne gutta quędam extra *Calicem* decidat, tantumque vini, & aquæ miniſtret, donec Celebrans ei ſignum fecerit, & facta reverentia, reponit eas in feneſtrellam, & operculis cooperit.

Deinde extinguit Cereum, & ſi ſunt duo, prius extinguitur ille, qui eſt à parte Epiſtolæ operculum ſuper illum relinquens, & defert *Miſſale apertum cum pulvino*, debitis reverentiis ad cornu Epiſtolæ, & deſcendens reponit operculum, quo Cereum extinxerat, & genuflectit in cornu Evangelii, ut in principio Miſſæ uſque ad benedictionem incluſivè, Si Celebrans reliquerit *Miſſa-*

le

le apertum, dicto *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, illud defert cum puluino ad partem Evangelii debitis reverentiis, antequam Celebrans populum benedicat. A Sabbato Sancto Reſurrectionis incluſivè, uſque ad Dominicam in Albis excluſivè, ad *Ite Miſſa eſt*, reſpondet *Deo gratias Alleluja, Alleluja*.

Ad benedictionem genuflectit à parte Evangelii, & cū Celebrans dicit, *Pater, & Filius*, &c. ipſe capite inclinato, ſigno Crucis ſe muniens, reſpondet *Amen*, ibique ſtans reſpondebit Celebranti. Dum legitur Evangelium, facta debita reverentia in medio accipit Miſſale, & cum dicitur: *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectit verſus Crucem, & extinguit Candelam à parte Epiſtolæ, Finito Evangelio reſpondet *Deo gratias*, & extinguit aliam Candelam, & debita reverentia ſimul cum Celebrante Altari facta, parum illum præcedens, eodem ordine, & reverentiis, quo ad Altare venit, ad Sacriſtiam revertitur. Si Celebrans eſt Pręsbiter Sęcularis, dum dicitur ultimum Evangelium, miniſter ſumit Birretum, & tradit Celebranti poſtquam deſcenderit de Altari. In Sacriſtiam perveniens conſiſtat, & Celebranti ſe inclinans expectet, donec ille tranſeat, deinde procedens parum retrò inclinat ſe profundè ſimul cum eo imagini principali, & poſtea reponit Miſſale in locum ſuum, & Sacerdotem ſe expoliantem adjuvat, & brevi habita oratione, recedit.

Si facienda eſt Communio *intra Miſſam*, miniſter ſupra ſcamnum extendit linteum, ſi non erat extenſum, & antequam Celebrans *Hoſtiam* ſumat, Communicaturis annuat, ſi opus erit, ut ad Altare accedant, & poſt ſanguinis ſumptionem antequam infundat vinum *in Calicem*, genuflexus à latere Epiſtolæ, vultum habens verſus çornu Evangelii dicit: *Confiteor Deo*, &c. Cum Celebrans finierit *Miſereatur*, ipſe reſpondet *Amen*, & ſimiliter ad *Indulgentiam*. Poſtquam Celebrans communicare incęperit, ipſe dextera manu, tenens vas vitreum *Miſſ. rit. 10. num. 6.*

cum vino, & aqua, vel cum aqua ſolum, ſiniſtra verò mappulam aliquantulum poſt Celebrantem Communicatis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum; ſed mappulam ita explicatam teneat, ut poſtquam ſinguli ſe purificaverint, partem unam communicatis porrigat, ut ora ſibi tergant, altera verò Vaſis labrum ipſe leviter extergat. Si Celebrans cum Sacramento ante Miniſtrum tranſierit, ipſe dabit ei locum, & genuflectet, quouſque Celebrans tranſierit; Si communicantur Fratres, non ſinat inter eos eſſe Sęculares, & multo minus mulieres.

Si autem in fine Miſſæ Communio eſt facienda, dum dicitur *Evangelium S. Joannis*, extendit linteum, ſi non erat extenſum, & finito Evangelio, ipſe genuflexus in cornu Epiſtolæ dicit, *Confiteor*, & alia facit ut ſupra. Finita Communione, vaſculum ad abluendos digitos Sacerdoti porrigit, & ad benedictionem genuflexus reſpondet *Amen*.

In Miſſa coram Prælatis.

SI Miſſa Celebratur coram Cardinale, aut alio Prælato, ut habetur *in cap. de Miſſa coram Prælatis*. Miniſter cotta indutus quotieſcumque tranſit ante Altare, ſemper debet genuflectere; licet ibi non ſit *Sanctiſſimum Sacramentum*, & quoties tranſit ante Prælatos, convenientem reverentiam illis faciet, ſcilicet profundam Cardinali ubique locorum, Nuncio verò, ſeu Legato Sedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopo in ſua Provincia, & etiam Epiſcopo in ſua Diœceſi, genuflexionem. Prælatis autem extra locum eorum juriſdictionis, & Principibus Sæcularibus in proprio Dominio, faciet reverentiam mediam, advertens ne cum genuflectit Altari, terga Prælatis vertat.

Dum Celebrans facit *Confeſſionem* in cornu Evangelii, ipſe in cornu Epiſtolæ facie ad Celebrantem converſa

ge-

genuflexus reſpondet, ibique manet uſque ad finem Epiſtolæ, & dicens in confeſſione *Tibi Pater, & te Pater*, ſe inclinat aliquantulum ſemper verſus Celebrantem. *Miſſ. rit. 3. num. 9.* Delato per Miniſtrum Miſſali cum debitis reverentiis in cornu Evangelii, Miniſter manet in eodem cornu extra gradus laterales in plano facie ad Celebrantem converſa.

Finito Evangelio Miniſter accipit *Miſſale Celebrantis* (ſi à Cappellano Prælati non accipitur) & defert Prȩlato *Miſſale apertum* deoſculandum, indicans ei principium Evangelii lecti, & advertat, ne ullam prius reverentiam faciat verſus Prȩlatum, niſi poſtquam fuerit liber deoſculatus, & clauſus, ne *Textus S. Evangelii* videatur quodammodo humiliari ante Prȩlatum. Deoſculato, & clauſo libro, miniſter profundam faciet reverentiam. Si cum Epiſcopo loci eſſent alii Prælati exteri, ſeu etiam ipſo majores, ut Cardinalis, vel Archiepiſcopus, *Cȩrem. Epiſ. lib. 1. cap. 30.* aut alii, *Liber Evangelii* defertur oſculandus ſemper majori, ſeu omnium digniori. Sed ſi eſſent plures ȩquales nulli dabitur. Librum ad Altare reportat, & ſupra pulvinum reponit.

Ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ſcutiferi Prælati deferent Intorticia accenſa, & aſſiſtant uſque ad elevatum Calicem, debitis reverentiis ante, & poſtea peractis, miniſter accendet Intorticia in Candelabris conſuetis ante Altare manentibus, poſteriores fimbrias Planetæ elevabit, & campanulam pulſabit. Dicto *Agnus Dei* miniſter cum inſtrumento defert Pacem Prælato (ſi ab ejus Cappellano non defertur) eo modo quo dicetur lib. 3. cap. de modo dandi pacem. Finita Miſſa, factaque Altari genuflexione, ſimul cum Celebrante facit Prælato debitam reverentiam.

In Miſſis Defunctorum non defertur liber oſculandus Prælato, neque inſtrumentum Pacis.

De Officio Prædicatoris. Cap. XVIII.

Concionator in habitu noſtro quotidiano priuſquam aſcendat pulpitum (quod in Eccleſia à parte Evangelii ſi facile fieri poteſt) locatum erit, plus diſtans à parte Eccleſiæ, quam ab Altari majori pallio coloris tempori convenientis coopertum(excepta feria ſexta in paraſceve) in qua velut Altaria nudum eſſe debet, flexis genibus verſus Altare, brevi oratione Deum orabit, ſeipſum,ſuoſque auditores eidem comendans, poſtea vadit ad pulpitum, & cum eo conſcenderit, aliquantulum quieſcit, & ſe componit. Deinde diſcooperto capite, facit debitam reverentiam Altari;Crucifixus à latere pulpiti, & ex parte, quæ reſpicit Altare majus, firmatus eſſe debet, & ſtatim ſalutabit Prælatos, ſi adfuerint, & nobiles; deinde populum circumſtantem, & aliquantiſper quieſcens, extendit, & jungit manus ante pectus, & elevatis in Cœlum oculis,dicit ſecreto: *Munda cor meum*,&c.*Dominus ſit in corde meo*,&c.prout in Miſſali habetur, & in fine ſe ſignat ſigno Crucis, & mox verſus Altare genuflexus dicit voce intelligibili, & devota *Salutationem Angelicam*, ſcilicet *Ave Maria*, &c. Etiam tempore Paſchali,qua finita, caput cooperit, & pallium in manibus ſocii deponit, ſurgit, & ſermonem incipit, & proſequitur uſque ad finem. Poterit tamen in Dominica Reſurrectionis Domini, & duobus ſequentibus diebus dici Antiphona Regina Cœli, &c. ubi talis eſt conſuetudo.

Cærem.Epiſ. lib.1.cap.22. Advertendum eſt, quod concio debet regulariter fieri *infra Miſſam* finito Evangelio, & ſermo, qui fit *infra Miſſam*,debet eſſe regulariter de *Evangelio* currenti. Finita concione dicitur Credo, ſi dicendum ſit, ſin minus dicitur Offertorium. Si autem habendus eſt Sermo extraordinariè, velut ad publicandum Jubileum, aut pro gratiarum actione, ſeu in adventu maximi Principis,

vel

vel alia quacumque occaſione, non debet infra *Miſſam fieri*, ſed ea finita, nec tùnc à Prælato petitur benedictio.

Si Celebrans eſt Sermonem facturus poſt *Evangelium*, ſedebit cooperto capite ſupra Bradellam à parte Evangelii: Miniſtri autem Altaris in eadem parte extra Altare ſedebunt. Sed ſi *Sanctiſſimum Sacramentum* erit ſuper Altare expoſitum, licet Sermo habeatur in pulpito, vel per Celebrantem ante Altare in cornu Evangelii; Concionator tamen capite ſemper diſcooperto per totam concionem manebit. *Cærem. Epiſ. loco ſup.*

Cum nomen *Jeſus*, vel *Mariæ*, aut *Summi Pontificis viventis* inter concionandum pronunciaverit, caput detegens reverenter inclinet, & ſi hæc nomina erunt ſępius repetenda, ne ſibi, & auditoribus ſit incommodum, ſub Chriſti, vel Salvatoris, ſeu Redemptoris, & Beatæ Virginis, vel Matris Dei, aut alio modo poterit repetere: Finita Concione populo ſemel tantum benedictionem dabit. In lectionibus, quæ poſt Veſperas fiunt, omnia ſupradicta obſerventur.

Si aliquis Prælatus, veluti Epiſcopus, aut alius in loco ſuæ juriſdictionis, cum ad Eccleſiam noſtram accedit ad Concionem audiendam, baldachino uti voluerit, ponetur ei prope Altare majus aliquo convenienti loco, quo faciem Concionatoris facilè aſpicere poſſit. *Ex decret. Sac. Congr. Rit.*

Si Infra miſſam ſolemnem præſente Cardinale Legato Sedis Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo in loco ſuæ Juriſdictionis Concio habenda fuerit, *cantato Evangelio*, Concionator facta debita reverentia Altari; ſimul cum Ceræmoniario accedit ad Pręlatum, & ante ipſum genuflexus, benedictionem petit; dicendo: *Jube Domne Benedicere*, cui Prælatus reſpondet *Dominus ſit in corde tuo*, &c. manumque ejus oſculatur, & mox ab eodem indulgentias petit (ſi eas ipſe publicare debet) dicendo, *Indulgentias Pater Reverendiſſime.* cui Prælatus concedit indulgentias, deinde ſurgens, & Prælato inclinationem, ac Altari debitam reverentiam *Cærem Epiſ. lib. 1. cap. 22.*

tiam

tiam exhibens, vadit ad pulpitum. Si autem Epiſcopus, aut alius Prælatus ei Superior non adeſt, Concionator benedictionem nullo modo petat.

Cære. epiſc. lib.2.cap.12.

Finita Concione, ſi publicandæ ſunt Indulgentiæ, Concionator non diſcedit, ſed capite detecto genuflexus in pulpito, expectat, donec Diaconus finiat Confeſſionem, & tunc ſurgit, & ſtans publicat memoriter ſine libro, verbis tamen latinis *Indulgentias* à Prælato conceſſas, quia *intra Miſſam* nunquam Indulgentiæ vulgari Sermone publicantur. *Poſt Miſſam* verò vulgari, & latino pronunciari poſſunt, publicabit ergo *Indulgentias* in forma ſequenti, mutatis mutandis. *Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus N. tituli, N.S.R.E. Presbyter, vel Diaconus Cardinalis, & Epiſcopus noſter N. digniſſimus dat, & concedit omnibus, & ſingulis hic præſentibus centum dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta; Rogate Deum pro fælici ſtatu Sanctiſſimi Domini noſtri N. divina providentia Papæ N.. & dominationis ſuæ Eminentiſſimæ, & S. Matris Eccleſiæ.*

Cerem. Par. lib.1.cap.41.

Si autem Prælatus eſt ſolum Epiſcopus, Concionator dicet, *Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia hujus Sanctæ Eccleſiæ Epiſcopus dat, & concedit omnibus hic præſentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma, &c. ut ſupra.*

Ubi verò Indulgentiæ non à Concionatore, ſed ab alio publicari ſolent, Concionator finito Sermone, ſtatim diſcedit debita reverentia exhibita, cavens, ne ipſe tunc populum benedicat, quod ſi *indulgentiæ* non ſint concedendæ, nec ſit danda per Prælatum benedictio, vel ſolum adſit aliquis Prælatus magnus, extra tamen locum ſuæ juriſdictionis, Concionator priuſquam populum benedicat, Prælato ſe profundè inclinabit, & mox ex altera parte populum benedicet. Advertendum eſt tamen, quod *Indulgentiæ* nunquam publicãtur in *Veſperis*, nec in *Ma-*

Cerem. Epiſ. lib.2.cap.1., & Cærem. Par. Craſſ. lib.2.cap.40.

tuti-

tutinis, neque in *Miſſis pro Defunctis*, nec unquam dantur bis in die.

Si in Miſſis Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti habendus eſt Sermo, tunc finita Miſſa, *& nullatenus* intra eam habeatur, antequam fiat abſolutio, Prædicator vadit ante medium Altaris, ubi genuflexus orat, ſurgit, & abſque aliqua benedictionis petitione à Prælato, ſed ſolum facta ei profunda reverentia, aſcendit in pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum Prælato reverentia, ſignat ſe ſigno Crucis, & non dicit publicè ſalutationem Angelicam, ſcilicet *Ave Maria*, nec divinam gratiam publicè implorat, ſicuti in aliis Sermonibus fieri ſolet, ſed abſolutè Concionem in Defuncti laudem pronunciet, quia aliter Sermo in laudem Dei, & aliter in laudem hominis mortui fieri debet, & finito Sermone Concionator ſtatim recedit. Si autem Sermo ſit in communi pro ſalute, & utilitate omnium animarum in Purgatorio exiſtentium, faciat omnia, quæ fiunt in ſermonibus, qui habentur in laudem Dei, hoc ſolum excepto, quod non petitur benedictio, ſi Miſſa fuerit pro Defunctis.

Miſſ. rit. 13. num. 3.

Cerem. Epiſ. lib. 2. cap. 11.

Si tamen incepta Concione venerit in Eccleſiam aliquis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, aut Epiſcopus in propria Diœceſi, aut Princeps Sæcularis in propria Juriſdictione, aut Principiſſa, tunc Concionator ſurgat, & caput diſcooperiat, & ſileat, quouſque hujuſmodi perſonæ oraverint, eique ſignum dederint, quo dato epilogare debet, quod ante talium perſonarum adventum dixerat, & deinde dicat: *Fin quì terminai il mio dire quando V. E., ò V. S. Illuſtriſſima, ò V. M., ò V. A. Sereniſſima giunſe*, & poſtea debet proſequi Concionem, aut Panegiricum; Et ſi ille Cardinalis eſt Legatus, vel Epiſcopus, aut ſi ibi adſit Epiſcopus in propria Diœceſi, benedictionem non dabit Concionator. Si tamen Cardinalis ille non ſit neque Legatus, neque Epiſcopus in propria Juriſdictione, Concionator ei exhibita profunda reve-

verentia, ab altera parte pulpiti populum benedicet, & ferè modo quo fit in Miſſa privata coram Cardinalibus, & Prælatis.

De Officio Sacriſtæ. Cap. XIX.

OFficium Sacriſtæ in ſingulis Eccleſiis valde neceſſarium eſt, ejus enim cuſtodiæ ſummus totius orbis Theſaurus, nempè Sanctiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus, eique Sanctorum Reliquiæ, res ſacræ, & benedictæ, ac vaſa, & ſupellectilia Eccleſiæ committuntur: Idcircò in Sacriſtam eſt eligendus aliquis Sacerdos quoad fieri poteſt; qui ad hujuſmodi officium fideliter, & ſtrenuè exercendum Idoneus, & aptus meritò cenſeri poſſit, cujus Socius, vel coadiutor erit Clericus, ſeu Converſus ad Superioris arbitrium.

Cær. Epiſc. lib. 1. cap. 6.

Ejus præcipua cura erit, ut Octavis, quibuſque diebus in feria quinta, vel die Dominico Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum renovetur ex Hoſtiis, quæ non ante viginti dies ad ſummum ſint confectæ. Oſtiolum Tabernaculi fida clave deaurata obſeretur, & ne facile ammitti poſſit, erit ſerica cordula alligata, & ſub alia clave conſervata, lampas ante Sanctiſſimum Sacramentum, diù, noctuque ſemper ardeat, diebus verò feſtivis omnes Eccleſiæ lampades, donec claudatur, ardebunt.

Cap. ſtatuimus de cuſtod. SS. Euchariſt.

Cær. Epiſc. loco ſupracitato.

Curabit etiam Sacriſta, ut vaſculum in quo Oleum Infirmorum, Seu extremæ unctionis conſervatur, ſit argenteum, vel ſtanneum figuræ rotundæ cum ſuo operculo, & litteris Majuſculis circumcirca Sculptis ſub hujuſmodi forma, *OLEVM SANCTVM PRO INFIRMIS*. Quod quidem Vaſculum ſemper erit intra parvam burſam ſericam violaceam, & intra capſulam ligneam intus ſerico rubro circumveſtitam, & nullibi, quam in Eccleſia prope Altare majus, vel in Choro, aut Sacriſtia in propria feneſtrella ſervetur, & clave claudatur, ſinguliſque annis feria quinta in Cœna Domini renove-

novetur, veteri in ſtuppis, vel bambaciis combuſto, & vaſe diligenter emundato, cineribuſque, & ablutionibus in *Sacrarium* projectis, ita ut ab illa die *vetus Oleum* nullatenus impoſterum adhibeatur, & hoc oleum in bambacio, ſeu re ſimili conſervetur, ad evitandum effuſionis periculum.

Advertat etiam, ut *Sacræ Reliquiæ* honorificè aſſerventur, & cum eas ex Armario ad Altare, vel è contra defert, ipſe ſit Cotta, & Stola coloris officio convenientis indutus, lumine præcedente. Quæ autem *Reliquiæ* debent publicè ſuper Altare exponi, & quomodò, & quando, habetur infra *lib.5. cap. de Reliquiis*. *Aquam benedictam* pro ſufficientia Eccleſiæ, & Conventus Sabbatis, ſuperpelliceo, & Stola violacea indutus, renovabit, veteri prius in Sacrarium projecta, & fonte pumice abluto. *Ex cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 6.*

Paramenta Sacra, vaſa, & ornamenta pro uſu Eccleſiæ, ac reliqua Supellectilia Eccleſiaſtica ſana, integra, & munda conſervabit, & pro qualitate temporum, & feſtorum Cappellas, & Altaria ornabit, turpè enim eſſet nos ab aliis Eccleſiaſticis in politia, & nitore divini cultus ſuperari, qui relicto ſæculo in clauſtris claudimur, ut excellentius, & perfectius Deo, ejuſque miniſterio vacare poſſimus.

Si In Veſperis debet fieri Officium de Sancto Martyre, vel à Capitulo, Altaria debent eſſe ante Veſperas parata rubeis paramentis etiam in feſtis ſimplicibus. Si autem Officium incipit à Matutino parabuntur de ſero ante ſignum *Ave Maria*; quod etiam ſervabitur in aliis feſtis alios colores requirentibus. Quandò canitur Miſſa pro Defunctis, pallium Altaris erit nigrum,& conopęum Tabernaculi violaceum, & peracto officio removebuntur. Tranſiens ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti ſemper dexterum genu uſque ad terram inclinabit, ante autem alias Altaria, profundam faciat reverentiam. Quot Cerei debeant ſuper Altare accendi, *habetur infra lib.3.*

Quotidie à Kalendis Octobris, uſque ad Kalendas Aprilis poſt auroram pulſabit Campanam majorem pro prima Miſſa dicenda, ut populus intelligat, quando incipiuntur Miſſæ, alio verò tempore pulſatio ad horam primam erit ſignum primæ Miſſæ, quæ dum dicitur hora prima, erit celebranda, ubi verò fuerint quatuor, vel quinque Sacerdotes, ad ſingulas Miſſas pulſabitur Campana major per ſpatium unius *De profundis*; & poſteà campana minor per ſpatium unius *Ave Mariæ*; Feſtivis autem diebus ambo Campanę ſolemniter pulſari debent, & in fine pulſabitur ut ſupra, Campana minor. Ad Miſſam Conventualem pulſabitur Campanula per ſpatium unius *Ave Mariæ*.

De mane fores Eccleſiæ aperiantur, & peracta Celebratione Miſſarum facta prius undique diligentia, ne quis intus exiſtat, claudantur. Ante Veſperas iterum aperiantur, & poſtea claudantur; Diebus verò feſtivis à Veſperis uſque ad ſolis occaſum erunt ſemper apertæ. Diebus autem ſolemnioribus *Nativitatis Dñi*, *Paſchatis Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, *Titularis Eccleſiæ*, *diebus Indulgentiarum*, & *Orationum* 40. *horarum* à mane uſque ad occaſum apertæ manebunt.

Providebit in fonte aquam pro lotione manuum, illumque ſępe abſterget. Stragulam, ſeu coopertorium ſingulorum Altarium de mane complicabit, & ad Sacriſtiam deferet, excuſſis prius caudis vulpinis à pulvere Altaribus, in medioque ante Crucem, impoſita, & collocata tabella Secretorum. Altaria prò temporum, & officiorum ratione parabit, & paramenta Celebrantium, ac miniſtrorum, omniaque alia ad functiones Eccleſiaſticas, & divina officia ſpectantia pro dierum qualitate diſponet, ut ritè, & ordinatè exequantur; Ampullas vitreas, ſeu Criſtallinas inter ſe pares lavabit, & unam vino, alteram verò aqua uſque ad collum tantum implebit, quas operculis vitreis, vel ſtanneis cooperiet, & in pelviculis locabit.

Ad-

Advertat diligenter, ut Miſſas Celebraturi, opportuno tempore, & ordinatè, ac ſucceſſivè exeant pro perſonarum qualitate, & populi concurſu. Antequam Celebrans ad Miſſam Celebrandam è Sacriſtia exeat, Sacriſta Miniſtrum advertat, in quo Altari ſit celebrandum, & ſi fuerit neceſſe, quod duæ Miſſæ ſimul Celebrentur, hoc non fiat niſi in Altaribus congruo inter ſe ſpatio diſtantibus, & cum unus Celebrans Sanctiſſimum Sacramentum elevaverit, vel Sanctus dixerit, tunc, & non prius alius Sacerdos celebraturus è Sacriſtia egrediatur, ne qui ad Celebrandum exivit poſterior, ad Sacriſtiam revertatur prior, quod quidem murmurationem apud Sęculares generare ſolet. Nulli extraneo Sacerdoti abſque expreſſa Superioris licentia Euchariſtiam miniſtrare ſinat, nullumque vagum, peregrinum, aut ignotum Sacerdotem ſine ſui Ordinarii litteris dimiſſoriis Miſſam Celebrare permittat.

In Sacriſtia prçcipuè tempore *Miſſarum* ſilentium inviolabiliter ſervetur, & ſi aliquid eſt dicendum nutu, vel breviſſimis verbis ſilenter indicabit, & de hoc Sacriſta alios modeſtè monebit, per Eccleſiam tempore Miſſarum, Prædicationum, aliorumque divinorum Officiorum, nec parvulos clamantes, neque mendicos, ſeu canes divina officia perturbantes, ulla ratione diſcurrere ſinat, ſed præ foribus ſtare curet. *Pius V. Conſtit. cum primum.*

Expleta Celebratione *Miſſarum* cooperiat ſtragulis *omnia Altaria* ſubtus in medio ſecretorum tabella manente, ſtatimque *ampullas omnes* clarificabit, & in Armario inverſas locabit, & ſimiliter earum pelviculas, Calices, & Celebrantium veſtimenta intra Armaria ſuis aptabit locis; *Calices pretioſiores pro* Miſſis ſolemnibus in ſacculis lineis conſervabit.

Mutentur *Corporalia* Celebrantium, & etiam illud ſub Pixide Sanctiſſimi Sacramenti, quoties opus fuerit, mundato prius tabernaculo interius, & exterius, advertendo, ne unquam aſcendat ſuper Altare, niſi detractis ſan-

daliis, & ſtragula ſuper Altare extenſa. *Tobaleæ magnæ Altarium mutentur* ſemel in menſe. *Tobaleæ autem parvæ*, ter in Anno, ſcilicet ante *feſtum Nativitatis Domini noſtri*, *Reſurrectionis ejuſdem*, *& Deiparæ Virginis Aſſumptæ*, ut nitidè conſerventur: Altaribus prius undique mundatis, & expolitis. *Tobaleæ verò pro lotione manuum*, & Albæ, Amictus, purificatoria, & linteola pro digitorum lotione, & expurgandis naribus bis in hebdomada mutentur. Decimaquinta quoque die *Hoſtias* pro Miſſarum Celebratione conficiet. Linteolo è retibus confecto *hoſtias* minores à fragmentis expurgabit, priuſquam conſecrentur, quas curabit eſſe integras, & bene rotundas.

Calices, *Patenas*, *Pixides*, *Cruces*, *Tabernaculum geſtatorium*, *Inſtrumentum pacis*, & alia ex argento, vel auricalco confecta mundentur, ante Feſtum *Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, *Paſchatis Reſurrectionis*, *& Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis*, *ac Titularis Eccleſiæ*, vaſa aurea, & argentea lineat Sapone molli, & per ſpatium quartæ partis horæ ſoli exponantur, ac inde lixivio calido laventur, & penicillo à ſordibus extergantur, primaque ac ſecunda ablutionis aqua ſacri vaſis in Sacrarium proiciantur. *Candelabra autem*, *Vaſculum Aquæ benedictæ*, *Lampadarium*, *& Thuribulum cum Navicula* ex Auricalco confecta, binis quibuſque menſibus mundentur cum pumicis, & corio bubulino, vel pulvere ex marmore decocto, & malo citreo cum panno lineo groſſiori, & nullo modo abluantur aqua, quæ quidem candelabra debent eſſe pagina, & linteo cooperta, ut ſemper lucida conſerventur. *Si Thuribulum* fuerit argenteum, & propter ignem denigratum, lavetur cum lixivio calidiſſimo, & Sale, ac penicillo extergatur. Res aureæ, & argenteæ, aut ex auricalco non manu nuda, ſed linteo cooperta pertractentur.

Ante feſtum Nativitatis Domini, & Paſchatis Reſurrectionis, vel Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ, ſeu Ti-

tularis

tularis Eccleſiæ Scopulis mundetur ſuperficies interior totius Eccleſiæ, ſacriſtiæ, & Chori, à Pavimento uſque ad tectum, & etiam Altarium Bradellæ à parte interiori, *Eccleſia & Sacriſtia*, tam in pavimento, quam in parietibus, aliiſque locis ſemper nitidæ appareant, preſertim ab aranearum telis, & pulvere, earumque pavimentum ſaltem bis in hebdomada, & pluries ſi opus fuerit emundabitur. *Ampullæ* ſingulis menſibus, ovorum putaminibus bene attritis, lixivio, vel aqua calida cum penicillo laventur, & ſimiliter ampullarum pelviculę. *Inſtrumenta etiam extinctoria* candelarum, ſingulis menſibus, aqua calida, & cinere mundentur. *Lampades* octavis quibuſque diebus aqua, & furfure laventur, optimoque elychinio aptentur.

Veſtimenta Sacra Celebrantium, & miniſtrorum, corporalia, Pallæ, Purificatoria, Tobaleæ Altarium, Conopęum Tabernaculi, Cuſſini Altarium, manutergia digitorum, Miſſalia, Breviaria, cæterique libri Eccleſiaſtici, Tabellæ quoque ſecretorum, & Candelabra lignea, aliaque hujuſmodi ad divinum cultum pertinentia, cum attrita, vel lacerata fuerint, ita ut nulli Eccleſiaſtico uſui adaptari poſſint, igne cumburantur, & Cineres in Sacrarium projiciantur; Figuræ, & Immagines Sanctorum, ac etiam ſtatuæ vetuſtate conſumptæ, & devaſtatę, *Altariaque portatilia*, vulgò petræ Sacratæ, ſi fuerint notabiliter fractæ, itaut ad Sacrificium deſervire non poſſint, reducantur in fragmenta, & in Sacrarium proiciantur, & ſi ſupradictæ ſtatuæ erunt ligneæ prius in fragmenta reductæ comburantur, & cineres poſtea in Sacrarium projiciantur.

Librum in Sacriſtia habeat, in quo ex una parte deſcribantur eleemoſynæ pro Celebratione Miſſarum, adnotando cujus generis ſit Miſſa Celebranda, ex altera verò parte deſcribantur Miſſæ, quæ quotidie celebrantur, animadvertendo, quod pro ſingulis ſatisfaciat ſecundum in-

ten-

tentionem expetentium, & eleemoſynas largientium. Liber etiam Mortuorum erit in Sacriſtia, in quo ex una parte deſcribantur omnes Fratres noſtri Defuncti, qui in illa Eccleſia ſepeliuntur, & ex altera parte erunt deſcribendi defuncti ſęculares in eadem Eccleſia ſepulti ſub hujuſmodi forma. *Anno N. Die N. Menſis N. Filius N. ex loco N. ætatis N. in domo N. animam Deo reddidit, cujus corpus ſepultum eſt in hac Eccleſia noſtra N. die N.*

Ex his, quæ profanis uſibus deſervierunt, poſſunt res Sacræ confici, ſi res profana mutat figuram, ſeu formam, nam ex veſte pretioſa poteſt fieri caſula, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ, & etiam retenta eadem figura, & forma, ſi ſecundum illam figuram, & formam aptæ ſunt ad aliquem uſum Sacrum, quia hoc nullibi eſt prohibitum, & ſi per uſum profanum aliquam maculam contraxerunt, per benedictionem purgantur, & ſic Domus Communes poſſunt in Eccleſias converti, nam Rotunda Romæ erat Templum Idolorum, & Bonifacius Papa Quartus conſecravit in honorem omnium Sanctorum.

Omnia ornamẽta Altaris, omneſque Sacræ veſtes etiã benedictæ poſſunt ſine ſcrupulo tangi, & lavari à Laicis, etiam fæminis; quia ita habet conſuetudo, & nihil habetur in jure contrarium. *Corporalia* autem, & *Pallæ* non poſſunt tangi, neque lavari etiam à Monialibus, licet eſſent Sacratæ, & idem intelligendum eſt de Purificatorio, nam licèt benedictum non ſit, tamen valdè propinquè attingit Sanguinem Domini, & fortaſſe interdum Reliquiæ Corporis, & Stillæ Sanguinis ei adjunguntur. Diaconus ergo, vel Sacriſta debet ea lavare, & aquam in Sacram Piſcinam projicere quantum ad primam & ſecundam lotionem, deinde poſſunt iterum per Moniales lavari, & reparari. In Octavis S. P. Auguſtini, S. Matris Monicæ. S. Nicolai de Tolentino, S. Thomæ de

C. Sacrat. diſt. 33. & de conſecr. diſt. 2. c. nemo.

Vil-

Villanova, S.Guillelmi, ac S. Jo: à S. Facundo, necnon Titularis Eccleſiæ ſemper aliquo ornatu ſpeciali eorum altaria, ſeu cappellæ, remaneant, ut dignoſcatur quod in noſtra Eccleſia Officium de Octava illius Sancti celebratur, quod etiam fiet in aliis Octavis cujuslibet Sancti, de quo fit in Eccleſia apud nos Officium Octavæ. Hoc etiam advertere ſummopere debet in aliis Sanctorum feſtivitatibus, quorum reperitur in noſtra Eccleſia altare, ſeu Cappella; Et ſi Sancti alicujus non reperiatur Cappella tamen ejuſdem Sancti reliquiæ apud nos remaneant, de quo fiet Officium, illas ſuper altare majus ornatum populorum cultui exponet, quod ſimilitèr faciat in feſtivitatibus Sanctæ Crucis, ſi ſalutiferum lignum in reliquiario cuſtoditum in Sacriſtia retineat.

De Officio Campanarii Diurni.
Cap. XX.

CAmpanæ ſunt vaſa ænea, & dicuntur Campanę à Campania Italiæ Provincia, ubi primo Campanæ inventæ, & Conſtructæ fuerunt, ut fideles excitentur ad Orandum, & laudandum Deum, & ut procul pellantur impetus tempeſtatum, & fulgurum, & grandinum, atque aereæ poteſtates proſternantur. *Paulinus Epiſcopus Nolanus Campanarum in Eccleſia auctor fuit.*

Theſſ. Sacerd.

Durand. lib. 1.

Cum officium *Campanarii* magnam exigat diligentiam, ne ejus incuria ſpiritualium exercitiorum tempus conteratur, perfectè pulſandi modum, tempus, quantitatem, & debita inter ipſas pulſationes intervalla callere ſummopere debet, hinc Capitulum hoc, & ambas Tabellas de pulſatione Campanarum diligentèr ſtudere curabit.

In aliquo loco apto noſtrarum Eccleſiarum, ſeu Conventuum ſint tantum duæ Campanæ mediocris una, parva

va altera, ut diſpar ſonus facile teneatur, nec plures ullibi permittantur, quæ quidem modo infraſcripto pulſari debent.

In Feſtivitatibus ſcilicet primæ, & ſecundæ Claſſis, & in omnibus feſtis Duplicibus, quæ ex præcepto, vel conſuetudine coluntur, ad primas, & ſecundas veſperas ter ambæ Campanæ, per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere* ſedatè dicti pro qualibet vice, ſono feſtivo pulſentur, hoc eſt majori campana per extenſum tracta, & minori frequentatis ictibus; ita ut conſonantiam, & harmoniam quandam faciant, ſpatio octavæ partis horæ inter illas vices mediante, & finita ultima pulſatione, pulſabitur immediatè Campana minor per ſpatium unius Pſalmi *De profundis*; eodemque modo fiat ad Matutinum, mediante tantum ſpatio unius Pſalmi *Miſerere* ſedatè dicti inter illas vices. Si verò prædictorum Feſtorum officia transferri debent, modo etiam, quo dictum eſt, non ratione officii, ſed ratione feſtivitatis, pulſabitur, ea verò die, qua officia prædictarum feſtivitatum Celebrantur, tranſlata, ſono feſtivo pulſandum non eſt.

In Dominicis autē diebus,ad primas Veſperas bis ambę Campanæ per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere* pro qualibet vice ſono feſtivo pulſentur, ſpatio ejuſdem Pſalmi inter illas vices mediante, & completa ultima pulſatione immediatè pulſatur Campana minor ut ſupra, idemque fiat ad Matutinum; at verò ad ſecundas Veſperas, ter ambæ Campanæ modo,quo ſupra dictum eſt de feſtis duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis pulſari debent.

In Feſtis ſemiduplicibus, ſimplicibus, & diebus ferialibus, ad primas, & ſecundas Veſperas, ac etiam ad Matutinum ſemel pulſatur Campana major per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*, & tranſacto ſpatio duorum Pſalmorum ejuſdem *Miſerere* pulſatur Campana minor ut ſupra.

Poſt Veſperas Sabbati, & Feriæ quartæ, Campanulam

lam exiſtentem in clauſtro, vel alio ſecretiori loco Conventus pulſabit, per ſpatium unius *Ave Maria* ad Conventum verrendum, & ſi his diebus aliquod Celebrabitur Feſtum, Campanula præcedenti die pulſanda erit, temppore tamen quadrageſimali pulſatur Campanula, pulſatis Cellis pro ſolutione ſilentii meridiani, & ſimiliter pulſabitur Campanula poſt Veſperas pro exercitiis ſcholaſticis.

Alternis ſaltem diebus poſt Veſperas chorum verrat, & capſularum pulverem, calcemve revolvat, & vaſculum aquæ benedictæ ante Chori Januam exiſtentem ſemel in hebdomada mundabit, & aqua benedicta ſemper plenum eſſe curabit.

Ad completorium, quod à Kalendis Octobris uſque ad Kalendas Aprilis dicitur ante Orationem mentalem, pulſabitur per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere* Campana major, etiam diebus ſolemnibus, & trāſacto ſpatio octavę partis horæ, pulſatur Campana minor per ſpatium Pſalmi *De profundis*, & finito Completorio dantur tres diſcreti ictus Campana majori pro Oratione Mentali, in qua horarium per totam horam obſervabit, qua finita tribus digito ictibus ſuper tabulam ſignum dabit, ut oratio terminetur, & ſimiliter faciet ad orationem Mentalem matutinam, & ad Orationem ſerotinam, & ad medium horæ quartum poſt Matutinum, & poſt horas parvas immediatè prandium præcedentes.

Si autem Oratio Mentalis fit ante Completorium, ut à Kalendis Aprilis, uſque ad Kalendas Octobris, loco Campanæ minoris dantur tres diſcreti ictus Campana majori, & finita Oratione mentali, pulſatur Campana minor per ſpatium unius Pſalmi *De profundis* pro Completorio dicendo, ſed ſi Completoriū dicēdum erit immediatè poſt concionem veſpertinam, ſemel tantum pulſabitur Campana minor, per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*.

Octava horæ parte antequam Fratres ad Refectorium pergant, Campanulam pulſabit per ſpatium unius *Ave*

Maria, & poſtea dum Fratres ad Refectorium procedunt, ipſe Campanulam iterum ſimiliter pulſabit.

Refectione finita, cum Fratres ad locum recreationis pervenerint, horarium volvet, decurſaque hora, Campanulam per ſpatium unius *Ave Maria* pulſabit: à Kalendis autem Octobris, uſque ad Kalendas Novembris, & à Nativitate Domini uſque ad quadrageſimam, in diebus ſcilicet Jejuniorum decurſa media hora Campanulam pro ſilentio pulſabit. In Adventu verò, & Quadrageſima poſt collationem immediatè pulſabit, tunc enim Fratres Orationibus tantum animam reficient, ſed in Æſtate ſemper dabit ſignum ſilentii poſt quadrantem noctis. Advertat autem Campanarius, quod feria ſecunda, quarta, & ſexta poſt ſignum ſilentii Veſpertini immediate eadem campanula tribus diſcretis ictibus ad communem diſciplinam pulſanda eſt.

Ad ſalutationem Angelicam poſt occaſum ſolis pulſatur Campana major tribus vicibus, & dantur tres diſcreti ictus pro qualibet vice, vel prima vice dantur tres ictus, ſecunda vice dantur quatuor, & tertia vice dantur quinque, deinde unus ictus, ſic enim ſervatur Romæ, intermiſſo ſpatio unius *Ave Mariæ* feſtinanter prolatæ inter ipſas vices, & ſimiliter fiet poſt Matutinum, & etiam in meridie. Si autem Campana major erit parva, pulſabitur non ictibus, ſed pulſatione continua: ad cujus pulſationes omnes Fratres ſemper genuflectant excepto tempore Paſchali, & Dominicis diebus à primis Veſperis, & dicant ſemper tres verſus, ſcilicet: *Angelus Domini annunciavit* &c. *Ave Maria &c. Ecce Ancilla Domini &c. Ave Maria &c. Et verbum Caro &c. Ave Maria &c. Oremus. Gratiam tuam quæſumus Domine &c. Fidelium animę &c.* ut in Officiolo Beatiſſimæ Virginis Mariæ Continetur. Has preces dicentibus Adrianus Papa VI. & Paulus Papa III. Indulgentiam plenariam conceſſerunt, Ideo Fratres omnes licet comedant, ſinguli finita Comeſtione eas ut ſupra in ſilentio dicant.

Una,vel media hora poſt Orationem ſerotinam, ſeu communem diſciplinam, Frater aliquis à Priore,vel Magiſtro electus, in medio Dormitorii tabellas tribus diſcretis ictibus ſedatè pulſabit, & mox voce intelligibili, humili, atque devota ſententiam aliquam ad devotionem excitantem proferat, quæ ſi à cunctis Fratribus facile audire non poterit, aliis Dormitorii locis repetenda erit.

Si Oratio mentalis matutina fiat ante horam primam, cum dicitur *Veni Sancte Spiritus*, horarium volvet, & obſervet, ut dictum eſt. Finita hora, Campanam minorem per ſpatium unius Pſalmi *De profundis* pulſabit, ad horam primam incipiendam. Si autem hora prima dicitur ante Orationem mentalem, tunc finita hora tertia dabit tres ictus Campana majori ad Orationem ſignificandam. Poſt lectionem brevem, quæ dicitur in fine horæ primæ, pulſabit Campanulam ad ſilentii rigoroſi ſolutionem.

Feria ſexta incepto ſermone culparum, horarium volvat, & tranſacta dimidia hora, dabit Priori ſignum. ut ſe expedire poſſit, finitis culpis, pulſetur campanula per ſpatium unius *Ave Maria* ad deprecandum pro Benefactoribus, & tranſacto totius horæ ſpatio pulſabit per ſpatium unius Pſalmi *De profundis* Campanam minorem, ad horam primam incipiendam.

Ad horam ſextam, & nonam pulſabit Campanam majorem per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*, & tranſacto ſpatio octavæ partis horæ, pulſabit campanam minorem ſpatio unius Pſalmi *De profundis*.

Advertendum eſt, quod cum hora prima dicitur ſimul cum hora tertia, & immediate ante refectionem dicitur hora ſexta ſimul cum hora nona (exceptis diebus feſtivis) quando Miſſa Solemnis cani debet,tunc enim ante ipſam canitur hora tertia (excepto etiam tempore Quadrageſimali) quando Veſperæ ante prandium dicuntur; tunc enim finita hora tertia ſtatim dicitur hora ſex-

ta. Poſt prandium verò hora una ante Veſperas Nona in die Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti immediatè poſt meridiem ſolemniter cantari debet, & non amplius. Et tunc Campanarii, pulſare debent per ſpatium Pſalmorum *Miſerere*, *&* *De profundis* ambas campanas, qua pulſatione ſinita ſtatim campanam minorem per ſpatium unius *De profundis* pulſabunt.

Quando Miſſa eſt ſolemniter canenda, una hora, vel dimidia ante ſolitum tempus, Campanæ tribus vicibus per ſpatium Pſalmi *Miſerere* ſolemniter pulſentur pro Miſſa ſolemni, & hora canenda, tranſacto ſpatio duorum Pſalmorum *Miſerere* inter illas vices, & poſtea Campana minor per ſpatium unius Pſalmi *De profundis*. Ad Miſſas votivas, aut Defunctorum non pulſatur, niſi Campana minor per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*; excepta Miſſa Defunctorum diei obitus, tertii, ſeptimi, trigeſimi, & anniverſarii, & diei Commemorationis omnium fidelium Defunctorom, tunc enim ante Miſſam ter pulſantur Campanę ſono lugubri ambæ per extenſum tractę, ac etiam dum dicitur *Sanctus* &c.

In feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ Domini, nec non feria quinta in Cœna Domini, Sabbato Sancto, in die Reſurrectionis Domini, & Pentecoſtes, in feſto S. P. N. Auguſtini, Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & Titularis Eccleſiæ, Campanæ ſolemniter pulſantur, dum in Miſſa canitur *Hymnus Gloria in excelſis Deo*, itaut inchoato Hymno, incipiat pulſatio, & eo terminato, finiatur. In omni Miſſa ſolemni, dum canitur *Sanctus*, & elevatur Sanctiſſimum Sacramentum pulſantur ambæ Campanæ tribus vicibus, ſicuti ad Salutationem Angelicam, vel ambæ Campanæ ſolemniter ſecundum conſuetudinem loci. Quoties fit communio in Miſſa Conventuali, poſt elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, pulſabit Campanulam per ſpatium unius *Ave Maria*, ut omnes non Sacerdotes Sanctiſſimam Euchariſtiam percipere poſſint.

Fi-

Finitis horis prandium præcedentibus, dum dicitur Antiphona Beatiſſimæ Virginis pulſabit campanulam per ſpatium unius *Ave Maria,* & horarium dimidii quadrantis invertet pro examine Conſcientiæ, quo finito Fratribus ad Refectorium procedentibus, Campanulam iterum pulſabit ut ſupra. Poſt refectionem horarium ut ſupra invertent, & hora decurſa Campanulam pro ſilentio pulſabit; Janitori horarium tradet, & cum ab eo admonitus fuerit horam eſſe completam, Cellas Fratrum tabellis ad ſilentii ſolutionem pulſabit. Poſt ſalutationem Angelicam in meridie, quando die ſequenti eſt Feſtum Epiphaniæ Domini, & Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, S. P. N. Auguſtini, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec non Titularis Eccleſiæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Sanctę Matris Monicæ per quadrantem ambæ Campanæ pulſentur.

In Proceſſionibus, quæ in noſtris Eccleſiis fiunt, pulſantur ſolemniter Campanæ à principio Proceſſionis uſque ad finem, & quoties aliqua ſolemnis Proceſſio ante noſtram Eccleſiam tranſierit, Campanæ ſolemniter pulſentur.

Ad Litanias *Beatiſſimæ Virginis,* quę in Eccleſia canuntur ſolemniter, Campanas per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere,* & tranſacta octava horę parte, Campanulam Conventus per ſpatium unius *Ave Maria* pulſabit.

Pro Concione mane habenda, ter pulſatur *Campana major pro octava horæ parte,* primò in ſerò poſt ſignum pro Defunctis, vel poſt pulſationem ſolemnem, ſi fieri debet, ſecundò mane dato ſigno pro prima Miſſa, tertiò media hora ante Concionem. Et cum Prædicator Pulpitum aſcendere vult, tredecim diſcretis ictibus ſignum dabitur. Si autem habetur Concio poſt veſperas, duabus vicibus pulſabitur, prima vice in Æſtate poſt Prãdium, in hyeme autem in meridie poſt ſignum Salutationis Angeli-

licæ, ſecunda vice dum dicuntur Veſperæ, dantur etiam ictus ut ſupra, & finitis Veſperis, fit Sermo.

Quando Sanctiſſimum Sacramentum per modum Viatici, aut extrema unctio eſt Fratribus noſtris infirmis miniſtranda, pulſabit campanulam per ſpatium unius *Ave Maria*, & ſimiliter fiet inſtante morte Fratris noſtri Infirmi, ut omnes ad ejus Cellam procedant, & eum orationibus adjuvent, & ſic etiam pulſabit quoties cadaver alicujus ſęcularis Defuncti ad noſtram defertur Eccleſiam, ut Fratres occurrant.

In Obitu Fratrum noſtrorum, quando ſcilicet anima fuerit è corpore egreſſa, dabitur ſignum majori Campana, ut fit ad Salutationem Angelicam, & ſtatim Campanæ ter ſono lugubri pulſentur per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere* pro qualibet vice, dum corpus alicujus Defuncti ad Eccleſiam defertur ſono lugubri campanę pulſentur, & ſimiliter dum fit officium ſepulturæ. Pro parvulis ante uſum rationis defunctis, Campanæ non pulſantur, & ſi pulſandæ ſunt, non lugubri, ſed feſtivo ſono pulſentur.

In Obitu Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Epiſcopi loci, vel alicujus magni Principis, ter pulſantur ſono lugubri Campanæ; ſcilicet poſt Veſperas diei, & in ſero poſt datum ſignum pro Defunctis, & ad Miſſam ſolemnem, & ſimiliter fiet pro noſtro Vicario Generali in tota Congregatione, & pro Procuratore Generali, Deffinitoribus, & Viſitatoribus Generalibus in tertio anno, & Provinciali, & Deſinitoribus Provincialibus in eorum Provinciis, & pro quolibet Fratre in eo Conventu, in quo moritur.

Quoties de nocte diſceditur è Choro, vel alio Communitatis loco, ſi tres lucernæ erunt ferendæ, ipſe unam anteferet, ſed dum ad Refectorium proceditur, lucernam alteri porriget, ut Campanulam pulſare poſſit.

De

De Officio Campanarii Nocturni. Cap. XXI.

CAmpanarius Nocturnus in Cella, vel non procul ab ea excitatorium habere debet, quod diligenter obſervabit, ne Dei cultus differatur. Audito excitatorio ſtatim ad pulſandum ibit. Ad Matutinum pulſabit, prout habetur *in Capite precedenti*, *& in ambabus Tabellis de pulſutione Campanarum*.

Dum Campanarius Nocturnus ad Matutinum prima vice pulſabit, qui Fratrum citius ſurrexerit, tabellas accipiet, illiſque ter percuſſis, ſtatim dicet. *Sia laudato Giesù Chriſto*; *e la Vergine ſua Madre*, *al Matutino Fratelli à lodare il Signore*, & continuò tabellis ſingulas Cellas bis pulſabit, ſimiliter etiam dicetur in mane cum Fratres ad Orationem, ſeu ad horam primam fuerint excitandi, tacendo illud nomen, *Matutino*, & ejus loco pronunciando, *Oratione*, ſed feria ſexta loco Orationis, dicitur, *Capitolo*; In ſolemnitatibus verò Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, & Circumciſionis, loco *ſia laudato &c.* dicat. *Fratres Chriſtus natus eſt nobis, venite adoremus*; Epiphaniæ, dicat, *Fratres Chriſtus apparuit nobis, venite adoremus*. Reſurrectionis *Fratres ſurrexit Dominus verè, alleluja*; Aſcenſionis, *Fratres Alleluja, Chriſtum Dominum aſcendentem in Cœlum, venite adoremus, alleluja*; Pentecoſtes. *Fratres, alleluja Spiritus Domini replevit orbem terrarum, venite adoremus, alleluja*.

In Principio Hymni *Te Deum laudamus*, vel in principio *Laudum*, ſi Hymnus non dicitur, Campanam, vel Campanas per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere* pulſabit. Et poſt Litanias Beatiſſimæ Mariæ Virginis tranſacta octava horæ parte, in qua beneficia divina generalia, & particularia mente revolvuntur, ad *Salutationem Angelicam* omni tempore pulſabit.

Si oratio mentalis matutina fit ante horam primam, ut à Kalendis Octobris, uſq; ad Kalendas Aprilis excluſivè,

vè, pulſabitur *Campana major* per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*, & tranſacto ſpatio octavæ horæ partis, eadem Campana tribus diſcretis ictibus ferietur.

Si autem poſt horam primam fieri debeat, ut à Kalendis Aprilis uſque ad Kalendas Octobris excluſivè, tnnc loco trium ictuum pulſatur *Campana minor* per ſpatium unius Pſalmi *De profundis*, treſque diſcreti ictus poſt horam, vel horas recitatas dabuntur ad orationem Incipiendam, ſed feria ſexta, in mane pulſata Campana majori ut ſupra, ſtatim pulſabit *Campanulam* in Clauſtro, vel alio ſecretiori loco Conventus conſtitutam duodecim diſcretis ictibus, & mox eamdem pulſabit continuè per ſpatium unius *Ave Maria*, & tranſacto ſpatio octavæ partis horæ dantur tres ictus campana majori.

Ad ſignum pro Defunctis pulſabit majorem Campanam per tres vices, primò dantur tres diſcreti ictus, ſecundò dantur quatuor, & tertiò quinque, licet Campana ſit magna, vel parva, interiecto ſpatio unius *Ave Maria* feſtinanter prolatæ inter ipſas vices, & dicitur Pſalmus *De profundis clamavi*, in cujus fine dicentur verſus. *Requiem eternam*, &c. *& lux perpetua*, &c. ℣. *à porta Inferi* ℟. *erve Domine animas eorum.* ℣. *Requieſcant in pace* ℟. *Amen* ℣. *Domine exaudi orationem meam* ℟. *& clamor meus ad te veniat* ℣. *Dominus vobiſcum* ℟. *& cum ſpiritu tuo*.

OREMUS.

F*Idelium Deus omnium Conditor*, *& Redemptor*, &c. *prout in Breviario*; *deinde dicitur* ℣. *Requieſcant in pace* ℟. *Amen*. Et ſic lucrabuntur Iudulgentias per Gregorium Papam Decimumtertium conceſſas Orantibus pro Defunctis.

In Feſtis ſolemnibus primæ Claſſis, & diebus, in quibus adſunt Indulgentiæ in noſtris Eccleſiis, & pro ſolemni oratione 40. horarum, ſicuti in Feſtis Circumciſionis D. N. Jeſu Chriſti, Purificationis, Annunciationis, Nativitatis, & Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virgi-

nis,

nis, S. Guillelmi Confeſſoris, S. Joſeph, & Patrocinii ejuſdem, S. Matris Monicæ, S. Joannis à S. Facundo, S. Nicolai de Tolentino, & S. Thomæ de Villanova, & in feſto omnium Sanctorum Ordinis noſtri. In ſero præcedenti dato ſigno pro Defunctis, ſtatim pulſantur Campanæ ſolemniter tribus vicibus per ſpatium unius *Pſalmi Miſerere*, cunctanter prolati pro qualibet vice, mediante Pſalmo *De Profundis* inter ipſas vices. In aliis feſtis ſecundæ Claſſis, & in duplicibus majoribus Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & in Dominica ſecunda, aut quarta menſis, ſi exponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum loco Proceſſionis S. Matris Monicæ, quam fieri nolumus; ubi adſunt Patres Conventuales Ordinis noſtri, *Campanæ* ſolemniter pulſantur per ſpatium unius Pſalmi *Miſerere*.

Quoties tempore Miſſarum eſt prædicandum, in Sero pręcedenti dato ſigno pro Defunctis, pulſabit Campanam majorem, ut dictum eſt in præcedenti Capite.

Ante primam pulſationem Matutini, & horæ primæ, ſeù orationis mentalis, ſi ante lucem erit, lumen in Choro accendet, ne Fratres in Chorum obſcurò ingrediantur, & finitâ prima pulſatione, ſi lucernas accenſas nullus Accolythus in Choro diſpoſuerit, ſuum erit illas ſuis aptare locis.

De Officio Magiſtri Cæremoniarum.
Cap. XXII.

CÆremoniarum Magiſter debet ita perfectè Cæremonias Sacras callere, ut omnes defectus, quos in eiſdem repererit, perfectè corrigere poſſit. Omnium Officiorum juxtà hujus Cæremonialis præſcriptum ita ſcire debet, ut omnes, tam Clericos noſtros, quam Sacerdotes, quando oportuerit cùm profectu edocere poſſit. Quapropter Cæremoniale hoc ſemper præ manibus habeat, & quando in aliquo dubitaverit, ad Cæ-

remoniale Epiſcoporum, tanquam ad Cæremoniarum fontem recurrat, & ad Doctores de Cæremoniis Sacris agentes.

In omnibus ergo noſtræ Congregationis Conventibus, & præcipuè in majoribus, in quibus ſtudia vigent, & multitudo Sacerdotum, & Clericorum reperitur, R. P. Prior, unum, vel duos Patres Sacerdotes ex propria familia, aſpectu, & ſtatura Corporis conveniente, & multò magis bonis moribus præditos ad hujuſcemodi officium aſſumat, qui Theologiæ Scholaſticæ, & morali operam dederint, & ſint divinorum Officiorum, ac Rituum Eccleſiaſticorum aſſidui, & diligentes Perſcrutatores, ut uno deficiente, alter ejus vices gerat; Et ut omnia, quæ ad divinum, & Eccleſiaſticum cultum ſpectant, exequantur cum maxima quiete. Prioris cura erit, omnes tam Sacerdotes, quam Clericos admonere, ut ipſi, vel ipſis, in his, quæ ad divinum cultnm ſpectant, abſque ulla contradictione obediant; Et ipſe Prior in hoc exemplum præbeat ſubditis, dum Celebrantis Officio fungitur, ut eiſdem Cæremoniarum Magiſtris, aliique familiæ Religioſi Obedientiam præſtent: Quod ſimiliter alii Superiores efficiant, dùm divina celebrant officia, ut ea ritè, & ordinatè, ſine defectu exercere valeant.

Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 5

Ad ipſum ſpectat in ſolemnioribus diebus, & præcipuè quando Miſſa ſolemnis, & Veſperæ à Muſicis canuntur, ſicuti in majori hebdomada, & in Miſſis ſolemnibus pro oratione 40. horarum, nec non in Proceſſionibus omnia neceſſaria præparare, & Sacriſtam etiam admonere de iis, quæ ad ipſum attinent, ut omni decore Eccleſiaſtica officia in noſtris Eccleſiis peragantur.

In Miſſis autẽ ſolemnibus antequã Celebrans cũ Miniſtris è Sacriſtia egrediatur, ibi Cæremoniarius eum admonebit, ut ponat capite diſcooperto incenſum in Thuribulo, & deinde facta imagini Principali Sacriſtiæ profunda inclinatione, ad Altare, in quo eſt Celebrandum

Gavant. 1 p. tit. 2. n. 5. Bauld. p. 3. cap. 11. de Miſs. art. 4. n. 1. & 2. Biſ. lit. C. n. 197.

ducet;

ducet; quò cum devenerit, in plano antè infimum Altaris gradum detectis Capitibus, unico genu cum omnibus aliis genuflectet, ipſo in cornu Epiſtolæ remanente, & inde annuendo quando Diaconus, & Subdiaconus, cæterique Miniſtri genuflecti debeant, & quid quid ab eiſdem Miniſtris eſt pro eorum miniſterio exercendum; Advertere tamen debet, quod ſive in Altari, in quo Celebratur, ſit in Tabernaculo Sacramentum, ſive non, ſemper miniſtri debent unico genu flecti, Celebrans verò, ſi in Tabernaculo Sacramentum non ſit, faciat profundam inclinationem; At ſi Sanctiſſimum Sacramentum eſſet expoſitum, omnes utroque genu flecti debent. *Biſs. lit. C. verb. celebr. n. 197. §. 5.*

Facta genuflexione, poſitiſque ab Accolythis ſuprà Credentiam candelabris, & Thuriferario prope eandem Credentiam accedente, Thuribulumque geſtante, ne ignis extinguatur, incipiat Celebrans Introitum Diacono, & Subdiacono reſpondentibus, Cæremoniarius ſtans, eos de omnibus admonebit, videlicet, quando debeant ſe inclinare, Signo Crucis ſignare, pectus percutere, & ſimilia.

Dicto Introitu, & aſcendente ſuper Bradellam Celebrante cum Diacono, & Subdiacono, incenſatoque Altari, & lecto ab eodem Introitu facta in medio ſuper Bradellam genuflexione, eos ad ſedendum ducat, ipſo cum Accolythis, & Thuriferario ſtantibus, quos in miſſa ſolemni, ſedere nunquam permittat, & ad ultimum *Kyrie* ad planum Altaris Celebrantem cum Miniſtris deferat, ubi facta genuflexione Celebrantem aſcendere faciat ſuper Bradellam, Diacono, & Subdiacono poſt ejus humeros remanentibus, ibique à Celebrante intonata *Gloria in excelſis Deo*, & deinde lecta, ad ſcamnum reducet, quod faciet lecto à Celebrante, & Miniſtris Symbolo; Advertere tamen debet, quod quando ad ſedendum deſcendere debent, prius ſuper Bradellam faciant genuflexionem, ſi ibi ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, ſi autem non, Miniſtri faciant genuflexionem, *Biſs. lit. C. n. 197. §. 18.*

& Celebrans inclinationem, & per breviorem viam deſcendendo per gradus à parte Epiſtolæ, at quando à ſcamno ad Altare pergunt, ſemper ad planum Altaris faciant genuflexionem, & deinde ſuper Bradellam aſcendat Celebrans, Diacono, & Subdiacono poſt terga Celebrantis remanentibus. Dum autem ſederint, eos ad ſe inclinandũ invitat ad *Adoramus te*, ad *Gratias agimus tibi*, & ſimilia, & advertat, quod tam Celebrans, quam Diaconus, & Subdiaconus, dum ſedent, tenere debent manus ſuper genua extenſas omnibus digitis ſimul junctis. Dum in Choro cantatur, & *Incarnatus eſt*, ſi ſedeat Celebrans cum Miniſtris, ipſi ſedendo profundè ſe inclinabunt, Cæremoniario, Accolythis, & Thuriferario ſe genuflectentibus, ſi tamen fuerit feſtum Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, & Annunciationis, Celebrans, & omnes alii genuflectent.

Biſs. lit. C. n. 197. §. 31. & lit. G. nu. 29. §. 2.

Incenſatis oblatis, & Altari, dum Diaconus incenſat Chorum, & deindè Subdiaconum in plano Altaris, Cæremoniarius Miſſale Celebrantis tenebit, & à parte Evangelii ſiſtet uſque ad purificationem, poſtquam redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi ſtat uſque ad finem, deſignando Celebranti, & Miniſtris inclinationes, genuflexiones, & ſimilia; Qua finita, facta Altari genuflexione, eo ordine, quo venerant, ad Sacriſtiam reducet, ubi facta ab omnibus Imagini reverentia profunda, & à Miniſtris Celebranti, Celebrans reverentia reſpondeat ipſis media inclinatione, indè omnes paramenta ſacra deponent.

Biſs. n. cit. §. 44. & lit. P. n. 205. §. 5.

In Veſperis verò ſolemnibus Cęremoniarum Magiſter facta Altari cum Celebrante genuflexione, ducet eum ad cornu Epiſtolæ, ubi ſedile, ſeu ſcamnum erit præparatum, & Celebrans medius inter Accolythos intonabit, poſtquam profundè inclinatus dixerit *Pater*, *&* *Ave* ſecretò, *Deus in adiotorium meum intende*, reſpondente Choro muſicorum *Domine &c.* ſe profunde ad *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto* inclinando, & intonata prima Antiphona diſcedentibuſque Accolythis, ad Candela-

delabra deponenda,ſtet erectus,uſque ad *Dixit Dominus Dño meo*, *ſede* quo dicto ſedeat,Cæremoniario, & Miniſtris etiam ſedentibus;Quando ad finē Pſalmorum dicitur *Gloria Patri*, *&c.* Cæremoniarius ſe elevet, & annuat Celebrantem, & Miniſtros, ut ſe inclinent, quod etiam faciet quando nominantur nomina *Jeſus*, *& Mariæ*, *& Sancti illius*, de quo feſtum eo die Celebratur. Dum dicitur ultimus Pſalmus, Accolythos, & Thuriferarium admonebit, ut illi accendant Intorticia, & Candelas ab ipſis deferendas, & iſte ut ponat ignem in Thuribulum in Sacriſtia, ad Altare incenſandum. Dum dicitur à muſicis ultima Antiphona Accolythos vocabit, ut facta Altari genuflexione accedant ad Celebrantem, & præparato ibi legili, Capitulum dicet Celebrans, & reſponſo à Choro *Deo gratias* Hymnum intonabit, quo intonato, ſtans uſque ad finem, Accolythis ad planum Altaris pergentibus,ibique cum Candelabris in manibus ſiſtentibus, intonabit Antiphonam ad *Magnificat*, & incæpto *Magnificat*, ad planum Altaris perget, ibique facta genuflexione, & oſculato Altari, ponet incenſum in Thuribulo, & Altare Thurificabit, elevantibus Pluviale Cæremoniario, & Thuriferario; Incenſato Altari, ipſe deſcendendo per gradus faciat in plano genuflexionem, ſi ibi adſit Sanctiſſimi Sacramenti Tabernaculum, & ad locum proprium redeat, ubi à Cæremoniario incenſabitur, & deinde unus poſt alium ab eodem Miniſtri incenſabuntur, & deinde populus; Quo facto,tradito in manibus Thuriferarii Thuribulo, ad proprium locum accedet, ubi præparato legili ante Celebrantem, vocatiſque Accolythis, Celebrans replicata Antiphona ad *Magnificat*, dicet *Dominus vobiſcum*, & orationem, & deinde *Dominus vobiſcum*, & dicto à Choro *benedicamus Domino*, & reſponſo *Deo gratias*,ipſe dicet *Fidelium animæ &c.* & deinde ad planum Altaris perget, ibique in medio intonabit Antiphonam, & ſi non ſit dies Sabbati, aut Dominicæ, aut tempore Paſchali,genuflectet cum

omni-

omnibus, dictiſque à Choro Antiphona, Verſiculo, & Reſponſorio dicat Orationem, qua terminata, dicat *Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum*, & facta genuflexione, omnes ad Sacriſtiam, eo ordine, quo venerant, revertentur.

Si dum Veſperæ canuntur venerit in Eccleſiam aliquis S. R. E. Cardinalis, tunc Magiſter Cæremoniarum ſtans in ſuo loco, Miniſtris, ut ſe erigant, ſignum faciet, & dum facit Cardinalis SS. Sacramento genuflexionem, Celebrantem, ut ſe elevet è ſedili, adiuvabit, & tam Celebrans, quam ipſe, & Miniſtri ei facient profundam inclinationem, qua facta, Celebrans iterum ſedebit, omnibus aliis ſtantibus, & dum diſcedit, iterum profundè ei inclinabuntur; & deinde omnes ſedebunt.

Si tamen dum Veſperæ canuntur venerit in Eccleſiam Summus Pontifex, tunc Cæremoniarius ad ſe vocabit Thuriferarium, & ex una parte ipſi, & ex altera duo Accolythi medium tenentes Celebrantem, genuflectent ambobus genibus, & ſic omnes genuflexi maneant, quouſque Summus Pontifex eos finita oratione benedixerit, & à genuflexorio diſceſſerit.

Id autem quod in Adventu Cardinalium exequetur, faciet etiam in Adventu Epiſcoporum in propria Diœceſi, & Principum ſupremam in ea Provincia poteſtatem habentium.

CÆREMONIALIS ECCLESIASTICI JUXTA RITUM ROMANUM,

Uſumque Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ:

LIBER SECUNDUS.
De Ritu Eccleſiaſtico in Choro ſervando.

De Modeſtia in Choro ſervanda. Cap. I.

CHorus Religioſorum, & Clericorum eſt conſertio cantantium, ut aſſerit *D. P. Auguſtinus Pſalm.* 149. vel ut ait *S. Iſidorus*, eſt multitudo recitantium, & canentium laudes Dei, & dicitur *Chorus* à Chorea, vel corona: olim enim in modum coronæ circum Aras Pſalmos concorditer concinebant; *ſed Damaſus Papa, Clavianus, & Diodorus Epiſcopi* inſtituerunt, ut in duas partes diviſi, Pſalmos alternatim canerent, id eſt una pars *Chori* unum verſum, & altera alium diceret, edocti à Sancto Ignatio, qui ſuper hoc divinitùs inſtructus fuit: duo ergo *Chori* pſallentium deſignant Choros Angelorum, & Beatorum, quaſi reciproca voluntate laudantium, & in ſe ad bonam operationem invicem exhor-

Theſaur. Sacer. par. 3. lib. 2. cap. 1.

hortantium. *Et hic Chorus* laudantium Deum, dividitur in duas partes, in dexteram ſcilicet, & ſiniſtram, pars dextera dicitur illa, quæ Fratribus eſt dextera, dum ſtant vultibus verſis ad Altare, & altera pars dicitur ſiniſtra; Dividitur etiam *Chorus* in primum, & ſecundum, *Primus Chorus* dicitur illa pars, in qua eſt appenſa tabella *Chori*,& in qua conſiſtunt hebdomadarius, & Lector. Altera pars dicitur ſecundus *Chorus*.

Maxima cum modeſtia interius, & exterius oculis non hinc indè aſpicientibus, ſed demiſſis, vel clauſis, aut ad librum intentis,manibus intra manicas, cum librum non tenent, continuo aſſiſtant, ne ſua immodeſtia collateralium orationem impediant. Nullus tamquam otioſus oſcitet, & multò minus dormitet, nec pedem ſuper pedem teneat, neque dum aliqui ſedent, aut detecto ſunt capite, ſtet, aut caputium teneat, vel è contra, quod ſi forte contingat, qui ei propè eſt, eum modeſte moneat; quoniam reprehenſibilis eſt in communitate diſparitas, & immodeſtia.

Nullus coram toto Conventu horas Canonicas, aut Orationes privatim recitet, ne alios orantes perturbet, ſed illas, altà voce recitante *Choro*,una cum Choro dicat, & ſilente *Choro*, & ipſe ſileat. Nemò loquatur, niſi Superiores Conventus, & Magiſter Novitiorum cum Novitiis, & Magiſter Profeſſorum cum Profeſſis, modeſtè tamen, raró, parum, & quietè, ne alios perturbent, & diſtrahant à contemplatione divina; Hinc non utantur verbis, cum aliquid ſigno indicare poſſunt, & ſi neceſſario loqui debent, Oratione imperfecta (quoad fieri poteſt) utantur.

Summum ſilentium in *Choro* diè, noctuque obſervetur, hinc emungere nares, excreare, & expuere non debent, niſi raró, modeſtè, & quietè. Ab omni ſtrepitu penitus abſtineant, præcipuè dum ſingulariter ab uno, vel duobus aliquid canitur, vel recitatur.

Fratres in *Choro* genuflexi ad Orationem ſe præpa-

rent,

rent, & meditentur, ſe eſſe in Cœlo, & inter Choros Sanctorum, & Angelorum loqui cum infinita Majeſtate Dei, dicendo: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Dirigatur Domine Oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Totis viribus ante inchoationem Officii Divini ſe ad aliquam devotionem excitare conentur; quia dicit *Sanctus Bonaventura*; *Ideo in Officio Divino ſumus tepidi, quia antè illius inchoationem non ſumus aliqua devotione excitati.*

Ultima pulſatione completa, & ſigno à Præſidente dato, terraque oſculata, erigant ſe ad officium ſacrum dicendum, & cum horas Canonicas perſolvunt, ad alterum horum trium attenti eſſe debent, ſcilicet ad verba, vel ſenſum verborum, aut ad præſentiam Dei; aliter officio Divino non ſatisfaciunt, & quia inter has attentiones, ſecunda eſt præſtantior, quam prima, & tertia eſt præſtantior, quam ſecunda, quia per eam divinam Majeſtatem habemus præſentem, & mentis oculis Deum intuemur, cum quo orantes loquimur, & de hac verificatur vera Orationis definitio, quæ traditur à Sanctis Patribus, ſcilicet: *Quod eſt aſcenſus, ſeu elevatio mentis in Deum*, ideo hanc attentionem omnes habere conentur.

Hebdomadarius, Cantores, Verſicularii, aliique Miniſtri Chori, dum aliquid particulare dicunt, librum ante oculos habeant: nam *Leo Papa X. conceſſit quod Fratres per librum officium perſolventes conſequantur remiſſionẽ dimidiæ partis peccatorum commiſſorum in illa die, qua prædictum ſolverint Officium*. & ideò Profeſſi Clerici, uſque ad Sacerdotium, & Novitii omnes ſemper in Choro habeant præ oculis Breviarium, ſeu Diurnum in recitando Officio, & in Refectorio in gratiarum actione, cum aliquis Pſalmus extraordinarius recitatur.

Quando Cantores deputati abfuerint à Choro tunc

Cantores hebdomadæ præcedentis ſupplebunt vices eorum, quod etiam ab Hebdomadario, Lectoribus, Verſiculariis, aliiſque Miniſtris præcedentis Hebdomadæ eſt inviolabiliter obſervandum, ſupplendo vices Munerum abſentium Miniſtrorum, & hoc intelligitur de Miniſtris exiſtentibus in eadem parte Chori, unde deſunt illi, pro quibus ſupplendum eſt, nam tranſitus ab una ad aliam partem *Chori*, non licet, niſi quando in illa parte nullus adeſt, qui ſupplere poſſit. Tabella quædam ſit ſemper in *Choro*, in qua litteris Majuſculis erit ſcriptum *Chorus*, & hæc erit appenſa ante aſpectum Fratrum, ut eam omnes facilè aſpicere poſſint, quæ à *Choro ad Chorum* alternativè per unamquamque Hebdomadam ante ultimam pulſationem pro Veſperis Sabbati à primo Cantore tranſmutabitur, ad indicandum, quod pars, in qua eſt illa tabella dicitur primus *Chorus*, cum ex ea parte omnes Horæ Canonicæ initium ſumant. Tempore autem Quadrageſimali, quo Veſperæ ante Prandium recitantur, a Completorio, & non à Veſperis hæc tabella tranſmutari debet.

Quando Prior facit in *Choro* officium, ſemper illa tabella erit à parte Prioris, id eſt in dextera parte Chori (ſi non adeſt aliquis ei Superior) à primis Veſperis uſque ad Completorium ſequentis diei excluſive, ſed quando facit Officium alius Sacerdos in feſtivitatibus, in quibus Veſperæ cum pluviali canuntur, tunc illa tabella erit in ſiniſtra parte Chori à primis Veſperis uſque ad finem Completorii ſequentis diei, quia tali die officium faciens ſtabit in primo loco ſiniſtræ partis Chori. Accolythi ſtabunt hinc inde poſt omnes Clericos, & Thuriferarius poſt Accolythum à parte Hebdomadarii. Si Fratribus noſtris aliorum Religioſorum, vel Clericorum *Choris*, dum divina perſolvuntur Officia intereſſe contigerit, illorum cæremonias imitari conentur.

Qualiter, & quoties eſt formandum ſignum Crucis. Cap. II.

CRucis ſignum, à Domino noſtro Jeſu Chriſto in memoriam ſuæ Sanctiſſimæ Paſſionis nobis relictum eſſe legimus, & hoc ſigno contra Diaboli verſutiam, ac poteſtatem munimur, *ut Sanctus Cryſoſtomus teſtatur dicens: ubicumque dæmones Crucis ſignum viderint, baculum quo plagam acceperunt timentes fugient.* Cum igitur aliquis ſe ſigno Crucis ſignat, ſiniſtra infra pectus poſita, vertat ad ſe palmam manus dexteræ, & omnibus illius digitis junctis, & extenſis à fronte ad pectus; & ab humero ſiniſtro ad dexterum ſignum Crucis formet, nunquam manus aut digitos oſculando. In principio omnium horarum, & laudum *Chorus ſe ſigno Crucis ſignat*, cum ab Hebdomadario dicitur *Deus in adjutorium &c.* In principio Matutini cum dicitur. *Domine labia mea aperies.* Chorus pollice dextero ſignat ſibi os ſigno Crucis, *cum verò Deus in adjutorium meum intende, vel Domine labia mea &c.* extra inchoationem horarum dicuntur nullus ſe ſignare debet.

Homil. 55. in Matth.

Brev. rub 13. n. 15. Cær. Epiſc. lib 2. cap. 3. 6. & 7.

Cum ad horam primam ante Confeſſionem, & etiam ad Completorium ante Confeſſionem dicitur ℣. *Adjutorium noſtrum &c.* Hebdomadarius ſe ſignat ſigno Crucis, in aliis autem locis, cum dicitur talis verſus, non ſignatur; Quoties dicitur *Indulgentiam Abſolutionem &c.* & ad Primam dum dicitur *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat*, Hebdomadarius & Chorus ſe ſigno Crucis muniant. In fine Completorii, cum dicitur, *Benedicat, & Cuſtodiat, &c.* ad illa verba, *Pater Filius, & Spiritus Sanctus, ſemper* Chorus ſe ſignat ſigno Crucis. In Miſſa, cum dicitur Initium, vel ſequentia Sancti Evangelii, *Chorus debet ſe ſignare in fronte, ore, & pectore*, & ſimiliter fiet in Initio cujuſque Evangelii, ſi reſpondendum eſt *Gloria tibi Domine*, & ideo in principio

Brev. rub. 15. n. 2.

Miſſ. rit. 6. n. 2. & Cær. Epiſc. lib. 1. cap. 8.

Evangelii quod legitur ad Matutinum non ſe ſignare debent; quia nihil reſpondetur. Cum dicitur in Miſſa, *Pax Domini ſit ſemper Vobiſcum*, Cuncti in fronte, ore & pectore ſe ſignant.

Ad Signum Salutationis Angelicæ dicto *Ave Maria* cum Oratione & verſu, omnes ſe ſigno Crucis muniant, quod ſimiliter fiet in fine Orationis Serotinæ cum dicitur. *Noctem quietam* &c. His ſignationibus exceptis. Fratres ſigno Crucis non ſignent ſe, niſi aliter in propriis locis ordinetur.

Quomodo & quando pectus eſt percutiendum.
Cap. III.

Luc. 18. PErcutimus pectus exemplo Publicani, qui pectus ſuum percutiens, & dicens: *Deus Propitius eſto mihi Peccatori.* Suorum peccatorum omnium veniam meruit obtinere. Pectus ergo clauſis ſimulque junctis dexteræ manus digitis, non autem pugno, nec nimis acriter, ſed omni modeſtia percutitur.

Quando ad Horam Primam, & Completorium, ac etiam quoties extra has horas dicitur *Confiteor Deo* &c. ad illa verba. *Mea Culpa &c. Tam officium faciens*, cum ipſe dicit, quam Omnes in Choro, quando ipſi talia pronunciant Verba, *ter ſibi pectus percutiant*.

In Elevatione SS. Sacramenti *Fratres* ter ad Hoſtiæ, & ter ad Calicis elevationem pectus ſuum percutiant, cũ Celebrans dicit in Miſſa, *Nobis quoque Peccatoribus* omnes in Choro, & Eccleſia pectus ſemel percutere debent: Cum dicuntur in Miſſa illa verba, *Agnus Dei* (niſi fuerit Miſſa Defunctorum) omnes tribus vicibus pectus percutiant.

Quando Celebrans Miſſam, eſt Sanctiſſimum Sacramentum ſumpturus ad illa verba, *Domine non ſum dignus* tam ipſe, quam omnes in Choro, & Eccleſia pectus

per-

percutiant, quando autem aliis Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus dicit: *Domine non ſum dignus*, tunc non Celebrans, ſed Circumſtantes tantummodo pectus percutere debent.

Qualiter, & quoties terra oſculanda eſt. Cap. IV.

Osculamur terram, tum, ut per Chriſtum propter nos terram factum à terrenis deſideriis ſurgere valeamus, tum etiam ad imitationem ipſius Domini noſtri, qui orans procidit in faciem ſuam ſuper terram, dicens: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte.* Terram ergo ſemper verſis ad invicē Vultibus, capitibus diſcoopertis, ambobus genibus flexis, manibuſq; in terram poſitis, æxtimantes ſe oſculari pedem perforatum Chriſti *Fratres oſculari debent*, exceptis in medio ſtantibus, qui facie ad altare verſa *terram oſculabuntur*.

Quoties Frater aliquis Chorum vel Oratorium ingreditur, ante, quam ſignum inchoandi officium, vel aliud peragendi detur, in proprio loco *terram deoſculetur*, quod idem ſervabit, quando à Choro, vel Oratorio egredi Vult, ſi genuflexus manet, idemque ſervabunt omnes Fratres, quando proceſſionaliter ingrediuntur ſi genuflexi conſiſtere debent, quod ſi ingrediendo Pſal. *Miſerere*, vel aliud recitantur, eo finito, terram deoſculentur, quando egrediuntur pariter etiam deoſculentur, niſi tunc ſtantes, vel ſedentes reperiantur. Finita ultima pulſatione pro Officio incipiendo, & dato à Præſidente ſigno, ante quam ſurgant, *terram oſculentur*.

Quando autem aliquis egreditur è Choro in regrediendo; ſi non multam moram fecerit, id eſt, ſi non tranſierit ſpatium duorum Pſalmorum *Miſerere mei Deus &c.* In proprio loco terram oſculentur, alioquin in medio poſt auditum ſignum à Præſidente datum. Et ſimiliter debet in medio genuflectere, ſignum expectare ter-

terramque oſculari, qui ingreditur Chornm, dato ſigno, & incæpto Officio, vel ingreditur Oratorium, vel alium locum incæpto Sermone,aut actione facienda: (Oratione mentali & Serotina, & octavis horæ partibus exceptis.)

Debent etiam tam ſinguli, quam omnes *terram oſculari* toties, quoties in Choro, vel Oratorio, ſeu alio locò, ubi fuerint Fratres ad aliquid peragẽdum congregati, errorem quomodolibet commiſerint (excepto ſolum veſtibus Sacris induto) in ſignum humilitatis, & confeſſionis proprii defectus, niſi tunc aliquid eſſent dicturi, aut acturi, quia tunc finito verſu, aut lectione, aut eo quod recitatur vel peragitur, *ſtatim terram oſculabuntur* in eodem locò, ubi errorem commiſerint, Et ideo ſi totus Chorus ſimul, aut altera pars Chori erraverit; ſi alternatim dicunt, dum unus Chorus ſuum verſum recitat, alter Chorus *terram oſculetur*. Si autem totus Chorus ſimul aliquid dicit; & errat, tunc eo finito omnes *terram oſculentur*.

In Evangelio Sancti Joannis. *In principio erat Verbum*, ad illa verba, *Verbum Caro factum eſt*, terram oſculatur, ſi autem extra Evangelium leguntur, non oſculatur, nec genuflectitur. In Miſſa tam privata, quam Solemni, ad illa verba Simboli Nicæni, *Et homo factus eſt* omnes terram oſculabuntur. Cantoribus ſolummodo ſtantibus, & canentibus, & ſimiliter poſt Hoſtiæ & Calicis elevationem.

Quoties pulſatur ſignum Salutationis Angelicæ, dicto *Ave Maria &c.* Cum aliis requiſitis, terra oſculanda eſt excepto Tempore Paſchali, & Dominicis diebus.

In Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ad illa verba: *In Betlehem Judæ naſcitur ex Maria Virgine, factus Homo: Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem*. Totus Chorus manet Facie in terram proſtratus. In Dominica palmarum ad illa verba Paſſionis Domini, *Emiſit Spiritum*, & in feria tertia, & quarta

Ma-

Majoris Hebdomadæ ad illa verba, *Expiravit*, & feria ſexta in Paraſceve ad illa verba, *Tradidit Spiritum*, omnes in Choro, & Eccleſia terram oſculabuntur, & ſic proſtrati manebunt per ſpatium unius *Pater noſter*, vel donec Diaconus Paſſionem legere reincipiat. Sed ſi hęc verba Paſſionis Domini dicuntur extra Paſſionem, ſicuti dicuntur per annum in Miſſa votiva de Paſſione Domini tunc *non genuflectitur*, *nec inclinatur*. Quando fit abſolutio generalis, Fratres facie uſque ad terram proſtrati manebunt ab incæpto *Confiteor Deo &c.* donec à Præſidente ſignum ſurgendi detur.

Quomodo, & quando genuflectendum eſt. Cap. V.

GEnuflectendi inſtitutum ab Abraham, quando genibus in terra poſitis Dominum adoravit, initium ſumpſiſſe legimus, & in novo teſtamento à Chriſto Domino noſtro, quando in horto poſitis genibus ad Patrem oravit, dicens. *Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me*, obſervatum fuiſſe comperimus. *Gemma vitæ lib. 1. cap. 117.* *Lucæ. 22.*

Genuflexiones ſunt in dupplici differentia, nam aliæ ſunt genuflexiones integræ, aliæ ſunt dimidiatæ.

Genuflexio integra eſt, cum diſcoopertis capitibus utrumque genuflectitur, non properanter nec furiosè, ſed unum poſt alterum graviter & devotè.

De genuflexionibus integris. §. I.

QUoties aliquis tranſit ante locum, in quo Sanctiſſimum Sacramentum diſcoopertum apparet, vel ad illum locum accedit, vel ab eo recedit, utrumque genuflectit. Et ſimiliter fiet ante quodcumque Altare, in quo Celebrans conſecravit, & Sanctiſſimum Sacramentum non dum ſumpſit. Cum Sanctiſſimum Sacramentum elevatur, uſque dum Celebrans depoſuerit Calicem conſecratum ſuper *Gavãt. tom. 1. p. 1. tit. 17. n. 5. & Biſſa litt. G. verbo genuflexio n. 24.*

Cor-

Corporale, & dum Sacramentum traditur comunicandis, vel defertur, *Omnes ſemper genuflexi* manebunt.

Et cum in tertio verſu primi Pſalmi Matutini dicuntur illa verba, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, tam Cantores, quam omnes alii in omni officio *genuflectunt* etiam tẽpore Paſchali, & Dominicis diebus.

Si Hymni fuerint *Veni Creator Spiritus*, vel *Ave Maris ſtella*, dum Cantor, ſeu Cantores intonant Hymnum, omnes *genuflectunt*, & ſtatim ipſi quoque finitis duobus primis verſibus, *genuflectunt*, & permanent in genuflexione uſque ad finem quarti, quo finito, ſurgunt omnes. In Hymno, *Vexilla Regis prodeunt*, ad illa verba, *ò Crux Ave Spes unica*, & tres verſus ſequentes, & in Hymno Sanctiſſimi Corporis Chriſti, *Pange lingua glorioſi*, cum dicitur, *Tantum ergo Sacramentum*, & quinque verſus ſequentes ſemper genuflectitur. In Hymno *Te Deum laudamus*, ad totum illum verſum, *Te ergo quæſumus, &c.* Omnes genuflectunt ſuis locis etiam tempore Paſchali, & Dominicis diebus.

Biſſa litt. G. n. 31.

In Feriis Adventus & Quadrageſimæ, & quatuor temporum, ac Vigiliis, quæ jejunantur, ſi preces feriales dicuntur ſemper ad eas totus Chorus in fine cujuslibet Horæ, *ſtat genuflexus* uſque ad finem, vel uſque ad ℣. *Benedicamus Domino* poſt ultimam Orationem Hebdomadario ſolummodo ad Orationem, ſeu Orationes ſurgente, ſed ſi immediatè ſequitur Officium Beatæ Mariæ Virginis dum Hebdomadarius dicit ℣. *Benedicamus Domino*: Omnes de Choro ſurgunt preces poſt *pretioſa* in fine Horæ primæ non genuflectitur, quia non ſunt preces feriales. Dicto ℣. *Fidelium Animæ per miſericordiam &c.* Si terminandum eſt Officium, *Hebdomadarius, & Chorus genuflectunt* uſque ad finem Horæ Canonicæ, ſeu exitum Chori (præter quam Tempore Paſchali, & à primis Veſperis Sabbati uſque ad Completorium ſequentis Dominicæ incluſivè) Hebdomadario ſolummodo ad Orationem ſurgente. Oratio *Sacroſanctæ*,

ta, *&c.* dicitur flexis genibus omni tempore.

In Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis *nunquam genuflectitur* (exceptis verbis Hymni, *Ave Maris ſtella*) quia preces in eo non dicuntur. In Officio Defunctorum, ſive ſub ritu duplici ſivè ſimplici, celebretur in Veſperis, & laudibus etiam quando non dici debent Pſalmi *de profundis & Lauda*, ad preces, ſcilicet à *Pater noſter*, uſque ad ultimæ Orationis finem omni tempore genuflectitur. Hæ autem preces, ante Orationem ſi Officium ſit pro uno tantum in numero ſingulari dicuntur, quæ verò dicuntur poſt Orationem ſemper in numero plurali dicuntur. Ad preces Pſalmorum gradualium *ſemper genuflectitur*. Pſalmi Pænitentiales, & preces ſequentes ſemper *flexis genibus* dicuntur.

Biſſ. lit. O. n 40. § 8.

In Miſſa, cum dicitur flectamus genua, *omnes in Choro, & etiam Miniſtri Altaris genuflectunt*. In Miſſa feriarum, Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, quæ jejunantur (excepta Vigilia Nativitatis Domini, feria quinta in Cœna Domini, Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecoſtes, ac etiam Quatuor temporum ejuſdem Pentecoſtes) atque in omnibus Miſſis Defunctorum, licet tempore Paſchali celebrentur, *genuflectunt omnes* ad Orationes tam ante Epiſtolam, quam poſt Comunionem, ac etiam ſuper Populum uſque ad Amen incluſivè.

Gavant: de off. defunct. ſec. 9. cap. 2. n. 3. Correct. n. 3. fol. 646. Biſſ. lit. O. n. 4.

Miſſ. rub. 17. n. 5.

In Epiſtola Miſſarum de Cruce, & Dominicæ Palmarum ad illa verba, *In nomine Jeſu omne genuflectatur*, Celebrans & Miniſtri Altaris, omneſque in Choro genuflectunt uſque ad illa verba *infernorum incluſivè*. In Miſſa Spiritus Sancti ad verſum *Veni Sancte Spiritus*, *&c.* & ad Verſum Tractus in Quadrageſima, *Adjuva nos Deus &c.* Chorus, & Celebrans cum Miniſtris Altaris genuflectunt uſque ad finem, dum in Choro illa verba canuntur. Sed cum extra Tractum dicuntur, non genuflectitur neque inclinatur.

Cær. Epiſc. lib. 2. cap. 21.

In Evangelio Epiphaniæ Domini ad illa verba, *Et pro-*

cidentes adoraverunt eum. Et in Evangelio feriæ Quartæ Dominicæ Quartæ ad illa verba, *& procidens adoravit eum*, Celebrans, & Miniſtri omnes in Choro genuflectunt. In Symbolo Nicæno, ad illa verba, & *incarnatus eſt*, *&c.* omnes in Choro genuflectunt. A dicto *Sanctus uſque ad Pax Domini incluſivè*, & à dicto ultimo *Agnus Dei &c.* uſque ad Antiphonam poſt Communio excluſive, Fratres in *Choro genuflexi* manent. Cum in Miſſa aliquis communicatur, à principio Confeſſionis uſque ad peractam communionem *erit genuflexus*. Ad benedictionem, quæ datur in fine Miſſæ *Omnes in Choro & in Eccleſia genuflectunt*.

Ad Litanias Beatiſſimæ Virginis Mariæ & Sanctorum à principio uſque ad finem Orationis, vel Orationum *Omnes genuflexi manebunt*. Sed ſi in proceſſione dicendæ ſunt Litaniæ à principio uſquè ad *Sancta Maria Ora pro nobis incluſivè* genuflectent, eas poſtea in proceſſione proſequentur, & terminata proceſſione reſiduum Litaniarum *genuflexi*, ut dictum eſt, finient.

Ad Salutationem Angelicam, quando pulſatur, *ſemper genuflectitur*, excepto tempore Paſchali, & à Veſperis Sabbati per totum diem Dominicum, in memoriam Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. In media autem nocte poſt Matutinum *Chorus ſemper ſtat genuflexus* quia dum pulſatur genuflexus reperitur. Ad omnes octavæ horæ partes, & à principio Orationis Serotinæ uſque ad finem, ac etiam ad totam horam Orationis Mentalis, niſi magna debilitas corporis obſtet, *genuflexi manebunt*. Cum Fratres fuerint Chorum ingreſſi, in propriis locis *genuflexi* expectant ſignum incipiendi Officium. Et ſi quis dato Signo, Officioque incepto Chorum intraverit in medio *genuflexus* Signum à Præſidente expectet.

Ex noſtris Conſt. 1. p. c. 1 §. 8.

De

De Genuflexionibus dimidiatis. §. II.

GEnuflexio dimidiata eſt, cum dexterum tantùm genu uſque ad terram flectitur, caput tunc nudum aliquantulum inclinando,& hęc fit ſolum, quando ſtatim eſt ſurgendum.

Si Chorus erit retrò, vel ante Altare Majus, & Sanctiſſimum Sacramentum fuerit intra Tabernaculum ſuper ipſum Altare collocatum,itaut Tabernaculum à Fratribus in Choro ſtantibus facilè videatur, tunc quotieſcunque aliquis, vel aliqui Chorum intrant, vel è Choro exeunt, vel ad medium Chori accedunt, vel ab eo recedunt, aut de una parte Chori ad aliam tranſeunt,ſemper Sanctiſſimum Sacramentum, *dextero genu uſque ad terram flexo*, capite inclinato adorandum eſt. Et ſi bini Chorum ingrediuntur, vel exeunt, bini etiam ſimul genuflectant, & ſimul ſurgant. Si autem inter Tabernaculum, & aſpectum Fratrum fuerit aliqua tantùm Imago, vel pictura impediens, quod Tabernaculum ab exiſtentibus in Choro videri non poſſit, tunc cuncti Chorum intrantes, vel è Choro exeuntes, aut per Chorum tranſeuntes, ſemper profundam facient reverentiam.

Qui lectionem ad Matutinum legerit, dum in fine dicit *Tu autem Domine &c.* genuflectit, uſque dum dicat *nobis*, Tota die feriæ ſextæ in Paraſceve, quoties aliquis ante Crucem tranſit, vel ad eam accedit, vel ab ea recedit *ſemper debet genuflectere*. Quoties aliquis diſcedit à Choro, vel Oratorio (Campanariis exceptis) genuflexus Præſidentis Corrigiam deoſculabitur.

Cær. Epiſc. lib.2. cap. 5. & 6.

Qualiter, & quoties eſt inclinandum. Cap.VI.

Gemm. Anim. lib. 3. c. 30.

INclinamur quaſi Milites Regem adorantes, æterni quippe Regis Milites ſumus, cui ſemper in pręcinctu Spiritualis militiæ adſumus, hæc enim facimus

 ſigni-

ſignificantes Deum ubique preſentem adorare, & quia *Eccleſiaſt.cap.32. habetur*: *Pro reverentia accedet tibi bona gratia*; Ideo ut nos exaudiri mereamur, & gratiam apud Deum & Sanctos inveniamus, reverentias & inclinationes Deo, & Sanctis facere debemus.

Inclinationes ſunt in triplici differentia, prima dicitur *inclinatio profunda*, & eſt cum ſtando capitibus diſcoopertis, ita deorſum caput, & humeri humiliter, & devote inclinantur, ut in modum Crucis manus ambe, diſpoſitæ genua attingere poſſint; ſed ut exteriori reverentia interiùs animæ ſpiritus, & devotio augeatur, in inclinationibus, gravis, & religioſa modeſtia ſine feſtinatione ſemper reſplendeat.

De Inclinationibus Profundis §. I.

Cær. Episc. lib.2.cap.1.

QUoties nominatur expreſsè Sanctiſſima Trinitas tam in fine *Pſal. ad* ℣: *Gloria Patri* uſque ad ℣. *Sicut erat &c.* ad quem ℣. Beatiſſima Virgo offerebat Filium ſuum in Choro ſingulis Fratribus inclinantibus, non inclinantibus autem non offerebat *teſte Sancto Bonaventura*: quam ad totum penultimum verſum Cantici trium Puerorum, *Benedicamus Patrem &c.* Et ad ultimos verſus cujuslibet Hymni, *ſemper profundè inclinatur*, in aliis autem locis mediocriter, vel tantùm caput inclinatur.

S. Bonav. opuſc.to.2.de diſ. cap.9.

Ad dulciſſima nomina *Jeſu*, & *Mariæ*, cum à toto Choro, vel ab altera parte Chori dicuntur *profundè inclinatur*. Ad nomen Chriſti ſi ſeparatim, & de per ſe proferatur, non inclinatur; ſed ſi dicitur conjunctim, *ut Jeſum Chriſtum*; ad utrumque ſimul inclinari debemus, quia ſic eſt nomen compoſitum, non autem ad *Jeſum* benedictum ſimul, nec ad alià nomina ſimul cum *Jeſu* conjuncta excepto Chriſto, & ſimiliter ad nomen ſolummodo *Mariæ*, inclinatur, & non ad nomen Virginis,

nis, ſeu Genitricis, aut Beatæ, licet conjunctim cum *Maria*, vel ſeparatim dicantur.

Quoties dicitur à Conventu ſecretò *Pater noſter*, *&* *Ave Maria*, *&* *Credo*, tam in Choro quam extra, ſemper erunt profundè inclinati, niſi fuerint genuflexi, ad illa verba Invitatorii Beatiſſimæ Mariæ, tam majoris, quam minoris Officii, *Ave Maria gratia plena*, cum à Choro dicuntur, omnes profundè inclinantur. Hebdomadarius, vel alius ad Confeſſionem dicens, *Confiteor Deo*, *&c.* erit profundè inclinatus, & cum incipitur à Choro, *Confiteor Deo*, *&c.* erigit ſe, & Chorus inclinatur profundè, uſque ad *Amen* quod dicitur poſt *Indulgentiam abſolutionem*, *&c.*

Lector benedictionem petens, *profunde inclinatur verſus Hebdomadarium*, uſque ad Completam benedictionem. Ad principalem ſeu propriam Orationem Miſſæ ſolemnis de feſto, tam ante Epiſtolam, quam poſt Comunionem, ac etiam cujuslibet Horæ Canonicæ Officii diei,& Officii parvi Beatæ Virginis à dicto Oremus, uſque ad per *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, incluſivè, vel uſque ad *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, incluſivè, & ad Benedictionem in fine Primæ, *Dominus nos benedicat*, *&c.* Et in fine Completorii, *Benedicat & cuſtodiat nos*, *&c.* erunt profundè inclinati.

Quoties aliquis, vel aliqui Chorum ingrediuntur,vel ab ipſo diſcedunt, vel ad medium Chori accedunt, aut à medio recedunt, vel de una parte ad aliam Chori tranſeunt, ſemper verſus Altare, aut imaginem *profundè ſe inclinent*, ſi ſuper Altare non erit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, & ſimiliter, quando aliquis ſolus, vel cum ſocio in proprio loco, vel in medio aliquid intonaverit, vel dixerit, poſt intonationem, vel recitationem verſus Altare *ſe profundè inclinent*.

De

De Inclinatione Media. §. II.

INclinatio media eſt, quando Caput, & paululum corpus flectitur, & hæc fit ad dulciſſima nomina Jeſu & Mariæ cùm ab uno, vel duobus pronunciantur, & in Pſalm. *Laudate Pueri Dominum*, ad illa verba *ſit nomen Domini benedictum*.

In Miſſa Solemni cũ dicitur, *Gloria in Excelſis, &c.* ad illa verba *Adoramus te, gratias agimus tibi, Jeſu Chriſte, ſuſcipe deprecationem, & iterum Jeſu Chriſte*, & illa verba Symboli Nicæni *Jeſum Chriſtum*, & ſimul *adoratur*, & in præfatione ad illa verba *gratias agamus Domino Deo noſtro*, ſemper à Choro mediocriter inclinatur. Hoc etiam fiet in Veſperis ad illa verba *ſit nomen Domini benedictum*.

Quoties aliquis, vel aliqui Chorum ingrediuntur, vel ab eo diſcedunt, facta debita reverentia Altari, verſus Præſidentem eſt mediocriter inclinandum, ſed quando Præſidens egreditur poſt totum Chorum, tunc ei nulla fit inclinatio, & ſic etiam fiet in aliis locis. *Inclinari etiam* debet unuſquiſque verſus Hebdomadarium, cum ab eo aqua ſancta aſpergitur, ſed ſi eſt genuflexus *caput ſolum inclinabit*. Dùm in Choro eſt Præſidens Admodum R. P. Vicarius generalis venientibus, aut exeuntibus PP. aliis Superioribus uſque ad Definitores Provinciales incluſivè in propria tamen Provincia, mediocriter ſe erigant Fratres; Et ſi à Choro exierint, Clericus ſi Chori porta clauſa ſit eam aperiet.

De inclinatione Capitis §. III.

INclinatio Capitis eſt, quando non Corpus, ſed caput ſolum inclinatur, & hoc fit ad ℣. *Gloria Patri*, &c., & ad dulciſſima nomina *Jeſu, & Mariæ*, dum Fratres ambulant, ſedent vel ſunt genuflexi,

&

& niſi fuerint in Refectorio comedentes caput detegunt.

Cum ab uno, vel pluribus nomen Sancti, de quo fit Officium, aut Commemoratio, vel nomen S. P. N. Auguſtini, aut nomen Summi Pontificis viventis nominatur *caput ſolummodò inclinatur*. Qui Lectiones, Evangelia, Orationes, Epiſtolas, vel Prophetias legit, aut canit, dum profert aliqua nomina, ad quæ eſt inclinandum, dicens prædicta verba, ſimul *cum aliis ſe inclinet*.

Quando facie ad Altare, vel ad invicem verſa Fratres ſtabunt. Cap. VII.

V*Erſus Altare Fratres omnes verſam faciem* habebunt ad omnium Horarum, & Laudum initium, videlicèt à *Domine labia mea*, &c. vel *Converte nos Deus*, &c. aut *Deus in adjutorium*, &c. uſque ad *Gloria Patri*, &c. excluſivè. Quoties Fratres manent in medio Chori ad Miſſam canendam, vel aliud peragendum, ſemper erunt facie ad Altare verſa, & ſimiliter dum audiunt Miſſam privatam.

Ad Evangelium Miſſæ ſolemnis, & privatæ, & in Matutino, ad Lectionem Evangelii à principio illius uſque ad illa verba. Et reliqua incluſivè, ſtabunt verſa facie verſus Evangelium.

Quilibet Miniſter, vel Miniſtri dum in proprio loco aliquid, quod ad eorum Officium ſpectat, dicunt, vel canunt, ſemper *facie ad Altare verſa* manebunt, preterquàm dum dicitur ℣. *Gloria Patri*, &c. & ad ultimos verſus Hymnorum, & ad Orationem, ad quam Chorus profundè inclinatur; tunc enim *facie ad invicem verſa erunt inclinati*. In reliquis fratres omnes ſemper, & ubique facie ad invicem verſa manebunt, Hebdomadarius etiam facie ad imaginem verſa manebit, dum dicit orationes, & facit menſæ benedictionem, & gratiarum actionem.

De

De modo, & Tempore ſedendi, & ſtandi in Choro. Cap. VIII.

FRatres omnes cum modeſtia in Choro *ſedeant*, & non pedem ſuper pedem in ſedendo ponant in illa parte Chori ubi *ſedendum eſt* nullus ſtet, & ubi *ſtandum eſt*, nemo ſedeat, niſi qui propter ſenectutem Superioris arbitrio ſedere coguntur. Nullus ſedere audeat; donec dimidia pars primi verſus Pſalmi dicta fuerit, & quando totus Chorus, vel altera pars Chori, proportione ſervata, ſedere debet, nemo ſedebit, donec ſedeat, qui in primo loco debet ſedere, niſi is aliquid peculiariter dicturus ſit, tunc enim non expectabitur, ut Præſidens (ſi non eſt Superior, aut in dignitate conſtitutus) ſedeat, ſed qui poſt eum dignior, & antiquior eſt, ſedere ſtatim poterit, quo ſedente, cæteri ſedebunt. Si verò Præſidens Chori, vel qui major eſt in una parte Chori ſedere obliviſcatur, qui ei propinquior fuerit, id ei modeſtè inſinuet. Dum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti erit expoſitum ſuper Altare, ut in Oratione quadraginta horarum, & infrà octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ſi à Fratribus videri poterit ob reverentiam tanti Sacramenti, omnes in Choro præſentes ſtent Capite detecto, & *ſi fieri poteſt non ſedeant*.

Cær. Epiſc. lib.2.cap.33. In Horis Canonicis, ad ſingulos Pſalmos, qui ſub *Gloria Patri, & Filio*, &c. concluduntur, & etiam ad Cantica, una pars Chori *ſtat*, & *altera ſedet*, exceptis Pſalmis *Venite exultemus Domino*, in principio Matutini, & *Laudate Dominum omnes gentes*, in Veſperis Feriæ ſecundæ, & exceptis Canticis *Magnificat*, &c. *Nunc dimittis*, &c. *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, &c. ad quos Pſalmos, & ad quæ Cantica totus Chorus ſemper ſtare debet, in quocumque Officio recitentur.

Ad primum Pſalmum ſedet ſecundus Chorus, ideſt illa pars Chori, in qua non eſt tabella Chori, & ad ſecun-

cundum Pſalmum, ſedebit primus Chorus, & ſic alternatim uſque ad ultimum Pſalmum cujuslibet Horæ. Ad Laudes poſt Matutinum ſedendum eſt, ut in Veſperis, incipiendo ſeſſionem à ſecundo Choro, Ad Pſalm. 112. *Laudate Pueri Dominum*, non ſedent, donec ſit dictum, *ſit nomen Domini benedictum*, ut omnes ſimul, & ęqualiter ſe inclinent. In Veſperis Feriæ ſecundæ illa pars Chori, quæ ſedere debebat ad Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, non ſedeat, ſed ſtet, quod etiam ſervandum erit in Matutino Epiphaniæ Domini ad Pſalmum, *Venit exultemus*, in tertio Nocturno. In primo Nocturno Dominicæ ſi fit Officium de Dominica, ut in Pſalterio à quatuor in quatuor Pſalmis, & in Matutinis ferialibus à duobus in duobus alternatio ſeſſionis fiet.

Sedebit Chorus dum leguntur, vel cantantur *Lectiones, & dum dicuntur benedictiones ante eas, & Reſponſoria cum verſu poſt eas*, exceptis Lectionibus Evangeliorum uſque ad, & reliqua incluſivè, & exceptis abſolutionibus, & benedictionibus ante primam, quartam, & ſeptimam Lectionem, donec reſponſum ſit *Amen*, & etiam exceptis benedictionibus, quæ dantur ad Lectiones Evangeliorum. Ad Lectiones vero Sanctorum PP. ſuper Evangelia totus Chorus ſedebit.

In Officio parvo Beatiſſimæ Mariæ *ſedendum, & ſtandum erit* ſicuti in Officio diei, & ordinario, hoc ſolum excepto, quod tempore Adventus ad Lectiones, Chorus ſtabit erectus, & capite aperto, quia ſunt Lectiones Evangelicæ, ex Luca Evangeliſta deſumptæ.

In Officio Defunctorum Chorus ſemper ſedebit, ſurgendo ſolum ad Veſperas, & ad Laudes, cum dicitur verſus ante Cantica Evangelica, poſt quem verſum non amplius ſedetur; Ad matutinum etiam ſurget, cum dicitur verſus ante Lectiones, ut omnes profundè inclinati dicant, *Pater noſter*. Si autem Officium Defunctorum canitur, Chorus ad omnes Pſalmos dum dicitur, *Requiem æternam*, &c. & dum repetitur ultima pars tertii *Cær. Epic. lib. 2. cap. 10.*

S Reſ-

Reſponſorii cujuslibet Nocturni, *ſurget*, ut omnes Antiphonas facilè canere poſſit.

Ad Sermones S. P. N. Auguſtini *totus Chorus*, dum dicuntur Pſalmi, & Lectiones, ſedebit, & ſimiliter ad Pſalmos Graduales, ad verſum autem *Gloria Patri &c.* ſurget, & inclinabitur, & *ad preces genu flectet*. Si ſedente Conventu Cantor, ſeu alius debet aliquid incipere, ſurgat, & incipiat, ut accidit in Officio Defunctorum. Si recitatur aliquid, ad quod ſit inclinandum, (excepto *Gloria Patri, & Filio, &c.*) non ſurgat Conventus, ſed ſedendo ſe humiliter inclinet.

In Miſſa ſolemni, *Chorus ſedebit* dum Canuntur Epiſtola & Prophetiæ, & dum à Cantoribus canitur verſus Gradualis poſt Alleluja, & Tractus, & dum canitur ſequentia, & à cantato Offertorio uſquè ad incenſationem Chori, & ſi non incenſatur uſquè ad Præfationem, & à cantata Antiphona, quæ dicitur Communio uſque ad Dominus vobiſcum.

Ad omnes Hymnos, & à medio ultimi verſus Pſalmorum, & Canticorum ante ℣. *Gloria Patri &c.* & ante penultimum verſum Cantici *Benedicite omnia opera, &c.* & in repetitione ultimæ partis Reſponſorii Lectionum, ℣. *Gloria Patri &c.* præcedentis, & à medio ultimi verſus, ultimi Pſalmi cujuſlibet horæ uſque ad finem illius horæ: ad horam etiam primam, dum dicitur *Simbolum Sancti Athanaſii*: *Quicumque vult ſalvus eſſe, &c. & Gloria Patri &c.* quod dicitur ante Capitulum uſque ad finem ipſius horæ (excepta Lectione Martirologii in qua ſedetur uſque ad illa verba, *& alibi aliorum*, &c.) totus Chorus ſemper ſtabit erectus.

Quandocumque ſolemniter dicitur Matutinum ideſt quando Officium faciens pluviali eſt indutus, ſivè Prælatus, ſit ſivè Supprior, aut quicumque alius Sacerdos, ad omnes benedictiones, quæ dantur antè lectiones, & ad ultimam lectionem, quam ſemper Officium faciens cantabit, & ad ejus introitum, exitum, vel tranſitum Cho- *Biſſ. litt. M. n. 117. §. 1.*

ri

ri omnes in Choro exiſtentes ſivè Prælati ſint, ſivè ſubditi ſtabunt detecto capite ob Celebrantis reverentiam. Si verò Officium faciens non ſit pluviali indutus, ſed ſit aùt Vicarius Generalis, aut Provincialis, aùt Prior in proprio Conventu [Vicario Generali, & Provinciali ibi non commorantibus] ad omnes benedictiones, quæ dantur antè lectiones in Choro exiſtentes ſtabunt; Quando verò in Conventu reperitur Vicarius Generalis, aut Provincialis, & Prior Officium facit ad præfatas benedictiones omnes non Superiores ſtabunt, Superiores verò quicumque ſint ob Prælati Celebrantis reverentiam, ſedentes ſeſe inclinabunt.

Et in hoc caſu Vicarius Generalis, aut Provincialis ſignum non dabunt, ſed facient Celebranti capitis inclinationem, & Celebrans quod canere debet incipiet.

Quando diſcoopertis, vel coopertis Capitibus eſſe debeant. Cap. IX.

FRatres Horas Canonicas in Choro recitantes, diu noctuque, caput ſemper detectum habere, (ut ferè in omnibus noſtris Conventibus uſus habetur) laude eſt maxime dignum, quia tamen non in omnibus regionibus eadem eſt aeris temperies, nec quilibet Frater eandem Corporis valetudinem retinet, cum nonnulli ſenes, ac multi exiſtant infirmi. Ideo ſi per Priorem expreſsè (legitima exiſtente cauſa) ordinatum fuerit, Fratres in Choro ad Horas Canonicas capita cooperta habere poſſe, conceditur (*exceptis menſibus Maii Junii, Julii, Auguſti, & Septembris,*) Sed maximè advertere debent, ut à principio cujuſcumque Horæ Canonicæ uſque ad intonationem Primi Pſalmi, & ab initio Matutini uſque ad intonationem primi Pſalmi primi Nocturni, ad Antiphonas, quæ dicuntur antè, & poſt Pſalmos (excepto Officio Defunctorum) & ad *Gloria Patri &c.* & ad ſicut erat in principio, ad omnes verſi-

culos, & ad quaſcumque preces, & commemorationes, ſeù ſuffragia Sanctorum, ad omnes Hymnos, ad Symbolum S. Athanaſii, *Quicumque vult ſalvus* eſſe, & ad Cantica Evangelica *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*. Ad abſolutiones Nocturnorum, & ad primam benedictionem cujuſlibet Nocturni, ac ad omnes benedictiones ante Evangelia cum ipſis Evangeliis, uſque ad & Reliqua incluſivè, ad omnia Evangelia, & ad omnes Orationes, tam in Choro, vel Eccleſia, quam extra, & in quibuſcumque Horis Canonicis à Capitulo incluſivè uſque ad Officii finem, capite detecto ſemper aſſiſtant.

Ad Completorium ab incæpto *Hymno*, uſque ad finem, & ad lectiones Officii parvi Beatæ Mariæ ſemper Virginis tempore Adventus, in Officio Defunctorum ad Veſperas, & Laudes, dum dicuntur verſus antè Cantica Evangelica, detegitur Caput, uſque ad finem Officii.

Dum Sanctiſſimum Chriſti Corpus erit ſuper Altare expoſitum, ut in Oratione quadraginta horarum, & infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti; *capitibus diſcoopertis* in Choro ſemper manebunt. Quoties nominatur Sanctiſſimum *nomen Jeſu, vel Mariæ ſemper Caput detegitur*, niſi fuerint in Refectorio comedentes, tunc enim ſolum caput inclinatur.

Dum Chorus aliquid canit, vel incenſatur, aut pax ibi datur, *omnes erunt capite detecto*. Dum dicuntur Litanię B.Mariæ Virginis Lauretanæ, vel Pſalmi Pænitentiales, aut Litaniæ Sanctorum cũ ſequentibus precibus, & Orationibus, ſemper erunt capite detecto uſque ad finem.

In exequiis defunctorum, & in abſolutione ad Tumulum, ad Orationem ſerotinam ab incæpto *Confiteor Deo* uſque ad finem, ad quaſcumque aſperſiones aquæ benedictæ cum ejus verſiculis, & Oratione, ad omnes proſtrationes, genuflexiones, & inclinationes profundas, tam in Officio, quam extra, nudis capitibus ſemper eſſe debent.

Quoties Superior, Procurator Generalis, Definitor,

vel

vel Supprior fuerit Præſidens in Choro, *& caput deteget* ad aliquid peculiariter dicendum, tunc omnes caput detegant, ſimiliter dum aliquis ſolus vel aſſociatus in medio, vel in proprio loco aliis quid legit, canit, vel incipit, aut aliis Antiphonas, ſeu lectiones diſtribuerit, *capite diſcooperto ſemper erit*. Et ſic etiam quando aliquis ingreditur Chorum, vel egreditur, ſeu tranſit id ſemper detecto capite præſtabit.

Ad Pſalmos, & Cantica veteris Teſtamenti, & Lectiones cum eorum Reſponſoriis, ad Pſalmos etiam Graduales *capite cooperto* erunt, ad eorum tamen preces, & *Orationes deteguntur*. Cum proceditur ad dandam extremam unctionem Infirmis, & in omnibus proceſſionibus, quæ fiunt extra Eccleſiam, & non defertur Sanctiſſimum Sacramentum, *capita tecta erunt*, excepto dum dicitur *Gloria Patri &c.* vel alii verſiculi, & Oratio; In Miſſa ſolemni, quoties ſedetur *caput tegitur*, ad Orationem mentalem, & ad omnes octavas Horæ partes, poſſunt capite tegi: nemo tamen præſumat *cooperire caput donec dignior cooperiatur*.

De modo legendi, & canendi ea, quæ legenda, & canenda ſunt in Choro. Cap. X.

CAntum, ſeu uſum canendi Pſalmos, Hymnos, & Cantica, antiquiſſimum eſſe nemo eſt, qui neſciat; *Habetur enim Exod. cap.* 15. *Cecinit Moyſes, & Filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt, Cantemus Domino*, &c. & in novo etiam Teſtamento Cantus Eccleſiaſticus probatur, ut *Divus Paulus ad Coleſienſes cap.* 3. *teſtatur, dicens: Commonentes voſmetipſos in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus in gratia canentes in cordibus veſtris Deo*.

Divinum Officium tam diurnum, quam nocturnum devotione maxima, voce clara, diſtincta, & ſonora, non autem rigida, aſpera, & inflata, ſed cum quadam ejus *Ex noſtris Conſt. p. 1. c. 1. §. 1.*

dulce-

dulcedine, & ſuavitate ad devotionem, & compunctionem excitante à Fratribus *recitetur*. Qui *Pſalmos*, & *Cantica* tono uniſono, & uniformi dicere, & canere debent, ut verò divinum Officium non feſtinanter, indiſtinctè, & confusè dicatur, in medio verſus *Pſalmorum*, & inter Binos verſus *Hymnorum*, ſemper adhibeatur pauſa, ſeù reſpiratio quædam vocis, ut omnes ex illa parte reſpirare poſſint, & Fratres devotionem non ammittant; ſed inter verſum, & verſum talis pauſa, ſive reſpiratio non fiat, nunquam tamen verſus ſequens incipiatur, donec præcedens à recitantibus fuerit terminatus. Neque enim minus moroſè eſt Officium perſolvendum, nè tædium, & damnum corporale afferat Fratribus continuè recitantibus in Choro, & tedium audientibus in Eccleſia, & ideo via quadam media inter celeritatem, & tarditatem ab omnibus teneatur ſine caudis, & protractione vocis; quando autem canitur ultima ſyllaba ultimæ dictionis ad duplum, quam alias ſyllaba s tenebunt.

Fratres noſtri neque, per alios canent cantu Gregoriano, & multò minus canto figurato, ſed ſolum voce uniſona, & eodem tono, moroſius tamen canent *Antiphonas*; *Pſalmos* verò, & *Hymnos* non ita moroſè, & magis, minuſve ſolemniter pro qualitate feſtorum.

Officium trium Lectionum, *Sermones S. P. N. Auguſtini*, *Pſalmi Graduales*, *Pænitentiales*, *ac Preces Feriales* recitabuntur à toto Choro non tamen ita, & clara, & ſonora voce, ut Officium ordinarium diei, ſed voce mediocri, & celerius, & breviori pauſa *Confiteor Deo &c. Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c. Antiphona, verſus, & oratio Beatæ Virginis pro tempore dicendæ, in fine Horæ voce humili, & infima dicentur*.

Advertendum eſt circa ea, quæ ab uno ſolo canuntur, ut ſunt *Lectiones*, *Epiſtolæ*, *Evangelia*, *Orationes*, &c. quod inter legendum quinque ſolent reperiri ſcilicet coma, punctus cum coma, duo puncti, punctus finalis,

lis, & punctus interrogativus. In comate Cantor tenebit penultimam Syllabam juxtà Syllabę quantitatem cum media pauſa. In duobus punctis, vel puncto ſimul cum comate teneat penultimam Syllabam, vel ante penultimam, & pauſet aliquantulum. In puncto finali protrahet ultimam Syllabam ultimæ dictionis juxta cantus qualitatem. Punctus interrogativus quantum ad pauſam eſt ſicut punctus finalis, ſed, in ante penultima Syllaba vox per unum tonum deprimitur, & in ultima Syllaba vox depreſſa per duas notas immoratur, & poſtea eadem Syllaba, redimus ad eamdem vocem, & tonum, ut prius, qui punctus interrogativus non debet fieri à pluribus una cantantibus, ſed ab uno ſeorſim ab aliis canente.

Utræque Veſperæ canuntur in omnibus feſtivitatibus, tam primæ, quam ſecundæ Claſſis, exceptis tribus diebus antecedentibus Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

In Dominicis autem diebus, & aliis feſtivitatibus, quæ obſervantur, ac etiam feſtis duplicibus majoribus Beatæ Mariæ Virginis, *ſecundæ Veſperæ ſolummodò canuntur. Commemorationes omnes ſeù ſuffragia Sanctorum, nunquam canuntur*. in Comemoratione omnium fidelium Defunctorum, in die obitus Summi Pontificis; Cardinalis Protectoris, Vicarii noſtri Genaralis, Procuratoris Generalis, alicujus Definitoris Generalis, & Viſitatoris in tertio anno per totam Congregationem, ac etiam Provincialis in ſua Provincia, & Definitorum Provincialium in ſuis Provinciis, & Prioris in ſuo Conventu canuntur *Veſperæ, & Matutinum Defunctorum* pro die obitus, non *tamen Laudes*, niſi ab Antiphona ante *Canticum Benedictus* uſque ad finem in die tamen Commemorat. omnium Fidelium Defunctorum, in obitu Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Vicarii noſtri Generalis, necnon Provincialis in propria Provincia Laudes canuntur à principio uſque ad finem.

Completorium numquam canitur, in ejus tamen fine im-

immediatè cantatur *Antiphona Beatæ Virginis* pro tempore dicenda, præterquam in Sabbatis, & Feſtivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, quia tunc canitur in Eccleſia poſt ejus Litanias.

Matutinum cum Laudibus cantari debet intriduo ante Paſcha, & in Feſto Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes; ſed in feſtis Epiphaniæ Domini, Aſcenſionis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Aſſumptionis Beatiſſimæ Matiæ Virginis, S. P. N. Auguſtini, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ canitur Matutinum, & non Laudes, *niſi à Capitulo uſque ad finem*. In omnibus autem aliis feſtivitatibus tam primæ quam ſecundæ Claſſis; & per octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti canitur *Invitatorium*, & *Hymnus* ſequens, & in Laudibus *à Capitulo uſque ad finem*. Ad Matutinum canitur Hymnus *Te Deum Laudamus*, in feſtis duplicibus & Dominicis diebus, ſi dicendus erit, nec non in feſto *Converſionis S. P. N. Auguſtini*, quod die quinta Maii occurrit.

Hora prima *nunquam cantatur*, niſi in Vigilia Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, & tunc Officium Hebdomadarii faciet R. P. Prior. Hora *tertia canitur* ſolum, quando poſt ipſam immediate ſequitur Miſſa ſolemnis, in Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, quæ obſervantur, vel ordinis noſtri, vel Beatiſſimæ Mariæ Virginis: Hora autem nona cantetur *ſolum in die Aſcenſionis Domini noſtri*, ut ſupra dictum eſt.

In feſtis verò duplicibus primæ Claſſis *Miſſa cantetur à Prælato, vel ab alio in dignitate conſtituto* miniſtrantibus in ea Diacono, & Subdiacono, idemque fiat in die Commemorationis omnium Defunctorum, in die obitus Summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, Epiſcopi propriæ Civitatis, vel Diœceſis, Vicarii noſtri Generalis, Definitoris Generalis, Provincialis in propria Provincia, & Prioris in proprio Conventu. In aliis verò Feſti-

ſtivitatibus, & præcipuè ſecundæ Claſſis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Apoſtolorum, & Sanctorum Ordinis noſtri, ſi ob penuriam Sacerdotum aut Clericorum, quod in Conventibus noſtris, in quibus ſolum decem, aut duodecim Sacerdotes de familia reperiuntur, contingere poteſt, Miſſa à Celebrante aſſiſtentibus tantum Accolythis, & Thuriferario cantari debet. In Conventibus verò majoribus, Miſſa ſolemniter in his feſtivitatibus cantari debet, & ſolemniter non cantatur niſi Diaconus, & Subdiaconus Celebranti miniſtrent. In his autem domibus in quibus ſtudia vigent in feſtis Sancti Thomæ de Aquino, & Sanctæ Catherinæ Virginis, & Martyris (ſi poteſt) Miſſa à Lectoribus reſpectivè cani debet. Prima Miſſa noſtrorum Sacerdotum ſolemniter juxta noſtras Conſtitutiones cum Diacono, & Subdiacono canenda eſt. *Biſſ. lit. M. n. 237. §. 2.*

Antiphona Beatæ Mariæ Virginis, *Ave Regina Cælorum*, canitur omni die poſt Miſſam Conventualem, niſi immediatè poſt Miſſam ſequatur alia Hora Canonica dicenda. Cætera verò ſine cantu recitentur.

Canuntur etiam quotidiè Antiphonæ. *O lumen Eccleſiæ*, pro Sancto P. N. Auguſtino, *Joſeph fili David*, &c. cum oratione *Deus qui inneffabili providentia*, &c. pro Sancto Joſeph totius noſtræ Congregationis Protectore, & *Nicolaus* pro Sancto Nicolao de Tolentino, pro eorum Commemorationibus, poſt *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, in fine Completorii dicendæ niſi fiat Officium alicujus feſti, vel Commemorationis eorundem, & niſi fuerint in Eccleſia poſt Litanias canendæ. Paſſio autem Domini noſtri Jeſu Chriſti voce devota alta, clara, & diſtincta, in majori Hebdomada. Saltem in Dominica Palmarum, & feria ſexta in Paraſceve cantetur.

De Veſperis ſolemnibus. Cap. XI.

S. Iſidor. de Eccl. Offic. lib. 1. cap. 10.

VEſper à Veſpere ſtella dicitur, quę Occidente Sole prima omnium, ex ſtellis Veſperi lucere conſpicitur, inter ſolis, & Mercurii ſpheras ſitum obtinens, & ex veteri Teſtamento ſumpſit exordium, nam tali tempore vetèrum ſacrificia offerebantur, juxtà illud Davidis in *Pſalm.* 140. *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, elevatio manum mearum Sacrificium veſpertinum*.

Pro Veſperis ſolemnibus Supprior, ſeù Cęremoniarius per Sacriſtam, vel Thuriferarium præparabit in Sacriſtia pro Celebrante pluviale cum Stola coloris officio illius diei convenientis, Cingulum, Albam, Amictum, pro Accolythis duo Superpellicea, & duo candelabra cum ſuis candelis ceræ albæ. Pro Thuriferario Superpelliceum, & Thuribulum cum navicula, & cochleari, & incenſo, ac etiam vas cum carbonibus ardentibus, & molliculis.

In fine verò primæ pulſationis Accolythi in Choro in loco Celebrantis extendunt tapete, vel pannum, ibique Thuriferarius locabit legile cum breviario, & Sacriſta omnes lampades in Eccleſia accendet.

Dato ſecundo ſigno Celebrans, Accolythi, & Thuriferarius, ad Sacriſtiam pergunt, & lotis manibus, Accolythi, & Thuriferarius ſuperpelliceis ſe induunt, Accolythi ſex candelas ſuper Altare accendunt, ac etiam duas alias in Candelabris ab ipſis deferendis; Celebrans Thuriferario adiuvante, induitur amictu, quem in medio ubi eſt Crux oſculatur, deinde Alba, cingulo, & ſtola, quam ſimiliter oſculatur, & accomodat ante pectus ad modum Crucis, ſicut in Miſſa, non tamen dicens Orationes impone Domine &c. induitur etiam pluviali coloris Officio convenientis.

Omnibus diſpoſitis datur ultimum ſignum quo finito Celebrãs procedet de Sacriſtia adChorũ hoc ordine, prę-

ce-

cedit Thurifer. ſine Thuribulo manibus intra manicas poſitis, ſequuntur Acolythi deferentes candelabra cum candelis accenſis, & ultimo loco Celebrans manibus junctis, & capite cooperto; qui omnes pergunt oculis dimiſſis, ac inceſſu gravi: Ante oſtium Sacriſtiæ, vel Chori omnes à Celebrante aſperguntur Thuriferario aſperorium miniſtrante; Ingrediuntur Chorum diſcoopertis capitibus, Thuriferarius capucium Celebrantis aptabit. Ad ingreſſum Chori omnes aſſurgent; & Celebrans in medio inter Accolythos omnes recta linea, & Thuriferarius poſt terga Celebrantis omnes genuflectent, excepto Celebrante, qui profundam altari faciat reverentiam. Celebrans Priori, ſi adſit, ſe inclinabit, & pergit ad locum ſuum, qui ſi fuerit Prior in præſentia Vicarii Generalis, vel Provincialis, manebit in primo loco ſecundi Chori, & ſi in Choro fuerit aliquis Epiſcopus, Celebrans ſtabit in primo loco ſecundi Chori, & Epiſcopus in primo loco primi Chori, & Vicarius Generalis vel Provincialis immediatè poſt Epiſcopum manebit. Thuriferarius pergit ad ultimum locum à parte Celebrantis: Accolythi aſſiſtunt Celebranti facie ad invicem verſa, donec intonet primam Antiphonam, qua intonata, factaque ei capitis inclinatione, & in medio genuflexione candelabra ſuper credentiam deponunt, & extinguunt, & poſtea poſt omnes Clericos, in ultimis Chori ſedibus ante tamen Thuriferarium conſiſtunt. *Cærem Epiſ. lib.1.cap.1., & 3.*

Dicto à cunctis *Pater*, *&* *Ave Maria* ſecreto, Celebrans in ſuo loco habita à Præſidente Chori, capitis inclinatione, quia tunc ſignum Præſidens Celebranti dare non debet, tenens ſiniſtram manum extenſam infrà pectus cantat intellegibili voce, *Deus in adjutorium*, &c. & pro unoquoque verbo tangit manu primò frontem deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum, ultimò dexterum, & in fine jungit manus ante pectus. Dum Chorus cantat ℣. *Gloria Patri*, &c. Celebrans, & omnes alii caput profundè inclinant uſque ad verſum, *Sicut erat*, &c. qui *Cærem. Epiſ lib.1.cap.1.*

dum dicitur, Cantor ex parte Celebrantis, facta Altari debita reverentia accedit ad Celebrantem,& facta illi inclinatione, voce clara præintonant ei primam Antiphonam,quæ poſtea per Celebrantem intonatur. Celebrans ſtabit pluviali indutus uſque ad finem Veſperarum, ſicut in Miſſa ſemper ſtat veſtitus Planeta.

Expleta per Chorum *Antiphona*, duo Cantores in medio intonant Pſalmos, & altera pars Chori ſedet, finito Pſalmo Cantores debitis reverentiis reintonant in medio Antiphonas, & præintonant alternatim Antiphonas à dignioribus incipiendo, itaut excepto Præſidente ab omnibus ſive, Procuratore Generali, ſive Definitoribus Generalibus, ſive Provinciali, aut Definitoribus Provincialibus intonari debent, etiamſi ſimplex Sacerdos officium Celebrantis exercuerit, ut dictum eſt *in capite de Officio Cantorum*.

Incæpto penultimo, vel ultimo Pſalmo, Thuriferarius, & Accolythi facta genuflexione Altari, & reverentia Præſidenti, exeunt à Choro, ille ad præparandum ignem in Thuribulo, & Accolythi ad accendenda intorticia, qui facta Altari genuflexione, accendunt intorticia ante Altare manentia, & candelas in ſuis candelabris, & facta iterum genuflexione Altari, ingrediuntur Chorum cum candelabris accenſis, & facta in medio genuflexione, accedunt ad Celebrantem, factaque ei capitis inclinatione,aſſiſtunt ante illum,dùm intonatur *Hymnus*. Thuriferarius verò redit ad Chorum, cùm Accolythis.

Finita Antiphona ultimi Pſalmi, Celebrans manibus junctis cantat *Capitulum* in Legile ante ſe poſito, quo finito Cantor præintonat *ei Hymnum*, qui ſtatim à Celebrante intonatur,ſed ſi Hymnus ſit,*Veni Creator Spiritus*, vel *Ave Maris ſtella*, dum Celebrans intonat Hymnum cuncti omni tempore, *genuflectunt* (Ceroferariis exceptis) & Celebrans quoque finita intonatione, genuflectit, permanens in genuflexione uſque ad finem quatuor primo-

morum verſuum. quibus finitis ſurgit, ſurgentibus omnibus. Intonato *Hymno* Accolythi facta Celebranti, reverentia, pergunt ante inferiores Chori ſedes facie ad invicem verſa hinc inde cum candelabris in manibus ſtabunt, donec perficiatur Hymnus, & Celebrans intonato cantico *Magnificat* ad medium procedat, & tunc ei prius inclinantes, mox ad Altare converſi cum ipſo genuflectunt, & poſt Thuriferarium per oſtiolum Evangelii ad Altare procedunt.

Completo Hymno Verſicularii in medio debitis reverentiis canunt verſum, & Cantor facta debita reverentia pergit ad Celebrantem, & debitis reverentiis præintonat ei Antiphonam *ad Magnificat*, qua per Celebrantem intonata, & per Chorum finita, Cantores in medio intonant Canticum *Magnificat*. Et Celebrans ſignans ſe ſigno Crucis diſcedit è ſuo loco, capite diſcooperto, & ſimul cum Miniſtris facit in medio debitam reverentiam, ut dictum eſt in principio, & per oſtiolum à parte Evangelii præcedentibus Miniſtris, manibus ante pectus junctis, oculiſque dimiſſis pergit ad Altare, & in egreſſu oſtioli cooperit ſibi caput, & Chorus proſequitur cantu gravi canticum, & pauſa magna, ut Altare, & Fratres Thurificari poſſint.

Celebrans ad medium Altaris perveniens, diſcooperit ſibi caput, Thuriferario poſt ejus terga caputium aptante, & Accolythis hinc inde ſtantibus, Celebrans, & Accolythi omnes ſimul recta linea ante infimum gradum plana terra genuflectunt, ſi *adeſt Sanctiſſimum Sacramentum*, ac ſurgunt; Thuriferarius verò poſt terga Celebrantis genuflectet. Accolythi facta genuflexione, deponunt candelabra accenſa ſuper cancellos, vel in cornibus ultimi gradus, aut in eorum plano, aut ſupèr Credentiam. *Cerem. Epiſ. lib. 1. cap. 3.*

Celebrans aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio, & ſemiconverſus ad cornu Epiſtolæ miniſtrantibus Thuriferario, ante eum in ſupremo gradu inclinato Thuribulum apertum cum prunis ardentibus, & primo

Ac-

Accolytho pariter inclinato naviculam, dicente: *Benedititc Pater Reverende*, & interim ſecundo Accolytho fimbriam pluvialis elevante, ut dictum eſt in capite de modo incenſandi: Celebrans immittit incenſum in Thuribulum, ac benedicit, & Altari thurificat nihil dicens, prout habetur in capite ſupradicto. Thuriferario a dextris, & primo Accolytho à ſiniſtris aſſiſtentibus, & fimbrias anteriores Pluvialis, elevantibus. Interim ſecundus Accolythus deponit Naviculam ſuper credentiam. Peracta Altaris Thurificatione, Celebrans in cornu Epiſtolę tradit Thuribulum Thuriferario, & ſi aliud Altare prętter majus incenſari debeat pergant ordine ſupradicto ad illud, & ibi facta in plano à Celebrante profunda inclinatione, & à cæteris genuflexione, ſuper Bradellam aſcendat, & oſculato in medio Altari, accipit Thuribulum à Thuriferario, in quo denuò thus non imponat, illudque incenſat, quo incenſato redeat ad Altare majus, & facta in medio genuflexione, à parte Epiſtolæ, ubi erit aptatum legile ſe transferat, ubi à Thuriferario incenſabitur, & ibi dicat orationem, ſeu orationes, quæ occurrunt.

Celebrans depoſito Thuribulo, accedit ad medium Altaris & facta Cruci reverentia, diſcedit ante ultimum gradum, & ſimul cum Miniſtris genuflectit in plano, *ſibi eſt Sanctiſſimum Sacramentum*, & per Oſtiolum Epiſtolæ revertitur in Chorum, ordine quo venerat, & factis debitis reverentiis in medio, vadit ad locum ſuum. Accolythis ante ultimas Chori ſedes remanentibus. Thuriferarius debitis reverentiis Celebrantem triplici ductu Thurificabit, & poſtea alios ex eadem parte Celebrantis. Si autem in alia parte Chori, eſt Vicarius Generalis, Provincialis, vel eorum locum tenentes, aut alius Celebrantis ſuperior, Thuriferarius incenſato Celebrante, vadit ad aliam partem Chori, & thurificat triplici ductu Vicarium Generalem, ſeu alium ſuperiorem ut dictum eſt, deinde omnes alios à parte Vicarii, exiſten-

ſtentes, & poſtea Thurificat alios à parte Celebrantis, & facta genuflexione Altari, & Celebranti inclinatione, rediens ad Eccleſiam, incenſat populum.

Dum repetitur per Chorum Antiphona Cantici, Acolythi facta in medio genuflexione aſſiſtunt cum Candelabris ut ſupra, Celebranti, qui finita Antiphona, canit junctis manibus *Dominus vobiſcum, & Oremus*, ac etiam Orationem, ſeu Orationes prò qualitate officii, qua, ſeu quibus finitis duo Cantores in medio canunt: *benedicamus Domino*. Interim Acolythi pergunt ad medium, ubi Celebrans debet facere reverentiam, & dicto à Celebrante voce humili: *fidelium animæ &c.* ſtatim ipſi ſimul cum Celebrante, & aliis, genuflectunt, ſi juxta Rubricas Breviarii eſt genuflectendum. Dicto ſecreto *Pater noſter*, Celebrans genuflexus humili voce dicit ℣. *Dominus det nobis &c.* & incipit Antiphonam Beatiſſimæ Mariæ Virginis pro tempore dicendam Verſicularius dicit verſum, Chorus reſpondet, & Celebrans erectus dicit Orationem; & ℣. *Divinum auxilium*, & incipit Antiphonam *Sacroſanctæ &c.* & ſtatim Celebrans, & Miniſtri, factis in medio debitis reverentiis, ordine quo venerant, redeunt ad Sacriſtiam, deinde omnes de Choro diſcedunt more ſolito. Sed ſi rationabili de cauſa poſt Veſperas immediatè ſequitur Completorium, Celebrans dicto *fidelium Animæ &c.* diſcedit cum Miniſtris. Sacriſtiam ingreſſi, Miniſtri ſe Celebranti profundè inclinant. Thuriferarius adjuvat Celebrantem Sacris veſtibus ſe exuentem. Legile, vel Tapete, ſeu Pannum removet à Choro, & ad Sacriſtiam defert. Accolythi extinctis Candelis ſuorum Candelabrorum, pergunt ad Altare & extinguunt luminaria, ut habetur capite de Accolythis.

Cær. Epiſc. loco antedicto.

Cerem. Epiſ. lib. 2. cap. 3.

Cerem. Epiſ. lib. 2. c. 3. & Brev. rubr. 32. num. 1.

Si Chorus non eſt retrò poſt Altare Majus, ſed à terra ſurſum elevatus, & valde ab Altari diſtans, Celebrans Thurificato Altari, deſcendit ante infimum gradum in medio, Thuriferario cum Thuribulo à parte Epiſtolæ re-

remanente, qui Celebrantem debitis reverentiis triplici ductu Thurificabit;Deinde facta ibidem ante infimum gradum lateralem genuflexione Altari, vadit ad incenſandum Chorum,Interim primus Acolythus reperit Orationem in Breviario ſupra Legile exiſtente in parte Epiſtolæ prope Credentiam, & defert Legile ante Celebrantem, & ſtatim Acolythi accipiunt Candelabra. Finita Oratione, ſeu Orationibus Thuriferarius Legile à medio removebit.

De Veſperis Solemnibus Pro Defunctis. Cap. XII.

SAcriſta præparabit in Sacriſtia, Amictum, Albam Cingulum, Stolam, & Pluviale Nigrum, quo deficiente, erit Coloris violacei, Thuriferarius, & ſi in his Veſperis, nulla ſit Altaris, nec aliorum incenſatio, pro aliis tamen functionibus eſt adhibendus; nam ipſe Tapete, ſeu pannum in Choro in locum Celebrantis extendet. Acolythi ſex candelas ex cera communi ſuper Altare accendent.

Cęrem. Epiſ. lib. 2. cap. 10.

Celebrans Pluviali indutus præcedente Thuriferario, & Acolythis cum candelabris, & cereis ceræ communis, vel albæ accenſis, Chorum ingreditur, intonat *primam Antiphonam Pſalmorum*, per Cantorem ei preintonatam, reliquæ etiam Antiphonæ præintonantur ut ſupra. Dum in fine Pſalmorum dicitur ℣. *Requiem ęternam &c.* Omnes ſurgunt; finito ultimo Pſalmo, & repetita per Chorum Antiphona, dictoque ℣. Celebrans intonat *Antiphonam ad Magnificat*, & Cantores intonat Canticum Magnificat.

Completo Cantico, dum repetitur Antiphona, duo Acolythi accedunt ad Celebrantem, cum candelabris, & candelis accenſis, qui Celebranti dum dicit verſus, & Orationem aſſiſtunt erecti. Et omnes in Choro exiſtentes genuflectent ad preces & Orationem, & Celebrans ſe erigat ad Orationem, poſtquam dicto ab eodem

Biſſ lit. O. n. 40. § 8.

dem

dem ℣. *Requiem eternam &c.* Cantores in medio canunt, *Requieſcant in pace* : cætera verò fiunt ut ſupra *in Veſperis ſolemnibus*.

De Matutinis ſolemnibus. Cap. XIII.

DE Matutini antiquitate teſtis eſt Profeta David in Pſalm. 62. dicens *In Matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus*. Et Caſſianus (ut refert S. Iſid.) dicit, Matutinæ Solemnitatis Officium novo tempore inſtitutum primitus Originem ſumpſiſſe in Betlehem Monaſterio, ubi Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro Redemptione humanæ Salutis ex Virgine naſci dignatus eſt, ſicque ex illo per univerſum mundum ejuſdem Celebrationis invaluit conſuetudo. *S. Iſid. de Eccleſiaſt. Offic. lib. 1 cap. 23.*

Sacriſta pro Matutinis Solemnibus præparabit in Sacriſtia eadem paramenta, & alia neceſſaria pro Celebrante, & Miniſtris *ut ſupra dictum eſt in Veſperis*, ponet etiam in Choro ipſe, vel Thuriferarius pannum, vel tapete, & etiam legile nudum in loco Celebrantis, dato ſigno, Celebrans, Acolythi, & Thuriferarius ad Sacriſtiam pergent, & lotis manibus, Acolythi, & Thuriferarius ſuperpelliceis ſe induent, Thuriferarius Celebrantem Sacris veſtibus ſe veſtientem adjuvabit; Acolythi ſex candelas ſuper Altare accendent, & duas alias in candelabris ab ipſis deferendis. Celebrans induitur *Amictu*, *Alba*, *Cingulo*, *&* *Stola* ante pectus in modum Crucis, ut in Miſſa, non tamen recitabit Orationes, *Impone Domine &c.* Accipiet etiam Pluviale coloris officio convenientis, & nunquam illud deponet, niſi finitis laudibus.

Præparatis omnibus, pulſatur ultimum ſignum, quo finito Celebrans cum Miniſtris pergit ad Chorum eodem modo, & Ordine, quo *ad Veſperas dictum eſt*, & factis in medio debitis reverentiis, Celebrans ad locum ſuum procedit, Ceroferariis eum comitantibus, dicto ſecreto *Pater noſter*, *&* *Ave Maria*, *&* *Credo*, Cele-

brans in proprio loco manens, ſignanſque ſibi cum pollicæ dexteræ manus labia parvo ſigno Crucis, dicit cantando, *Domine labia mea aperies*, Choro reſpondente, *& os meum &c.* deinde eadem manu producens ſibi Crucem à fronte ad pectus, ut in Veſperis dicit eodem tono, *Deus in Adiutorium &c.* Et ſic erectus permanet detecto Capite uſque ad initium Pſalmi primi Nocturni. Dicto *Alleluja*, Acolythi ſe Celebranti inclinantes, recedunt.

Cantores in medio facta debita reverentia, canunt *Invitatorium*, quò à Choro replicato, cantant Pſalmum, *venite exultemus*; *&c.* cum canitur *venite Cdoremus*, *& procidamus ante Deum*, tam ipſi Cantores, & Celebrans, quam omnes alii genuflectunt, poſtea ſurgunt, & Cantores proſequuntur Pſalmum, quo finito, dum repetitur à Choro Invitatorium, primus Cantor qui eſt à parte Celebrantis debitis reverentiis, præintonat Celebranti *Hymnum*, quo per Celebrantem intonato, Chorus illum proſequitur ab eadem parte, ubi eſt officium faciens, deinde ex altera parte alternatim, donec Hymnus finiatur, quo finito, alter Chorus reſpondet, Amen.

Cærem. Epiſ. lib. 2. cap 6.

Expleto Hymno, primus Cantor debitis reverentiis præintonat Celebranti primam Antiphonam primi Nocturni, qua per Celebrantem intonata, & per Chorum expleta, Cantores in medio intonant Pſalmum, & ſimiliter facient ad omnes Pſalmos. Intonato Pſalmo, Cantores facta in medio debita reverentia, redeunt ad ſua loca in plano Chori, & in fine cujuslibet Pſalmi, facta in medio debita reverentia, reintonant Antiphonam repetendam, quæ dum à Choro repetitur, Cantor qui eſt in altera parte Chori debitis reverentiis, præintonat Sacerdoti ex ſua parte ſecundam Antiphonam, ut dictum eſt in Veſperis, & in capite de officio Cantorum.

Repetita per Chorum Antiphona tertii Pſalmi, Verſicularii in medio cantant Verſiculum, & reſponſo à Choro, Celebrans intonat *Pater noſter*, dum dicitur ℣. Primus

mus Cãtor accedit ex ſua parte ad Clericũ vel Sacerdotẽ Juniorem, & facta ei reverentia, ad lectionem canendam eum invitabit, prædicens ei numerum lectionis, & ſtatim ad proprium locum revertitur, Lector facta in medio debita reverentia, dictaque per Celebrantem abſolutione, petit benedictionem dicendo, *Jube Domne benedicere*, caput profundè verſus Celebrantem inclinans, cui ille ſtans benedicit, quod & in aliis benedictionibus ſervatur, hoc eſt ut erectus, detectoque capite ſemper benedicat, ſic etiam ſtantibus ſimiliter cunctis, & reſponſo per Chorum *Amen*, omnes ſedent, & tunc, & non prius Lector incipit, & proſequitur lectionem. *Cærem. Epiſ lib. 2. cap. 5.*

Octo lectiones canuntur à ſingulis Sacerdotibus, vel Clericis incipiendo à Junioribus ad Seniores, dum canitur una lectio, alius Cantor in altera parte Chori invitat, ut ſupra, alium ad lectionem canendam, qui perget ad medium priuſquam lectio finiatur, ut ad *Tu autem Domine*, ambo ſimul in medio verſus Altare genuflectant, & dicto à Choro *Deo gratias*, & Reſponſorio, ambo Lectores ſimul dicunt verſum, quo finito, faciunt ſimul debitam reverentiam, & ſtatim primus Lector redit ad proprium locum, ſimiliter faciet ſecundus, & tertius Lector, idemque modus ſervabitur in ſecundo & tertio Nocturno, quoad Antiphonas, Pſalmos, Abſolutiones, Lectiones, & alia, quæ occurrunt, ut in primo Nocturno ſervatum fuit. Ad verſus *Gloria Patri* poſt reſponſorium cujuslibet Nocturni, omnes ſurgunt, & detecto capite profunde ſe inclinant; Si tamen Admodum Reverendus Pater Vicarius Generalis officium faciet, tunc Lectores Sacræ Theologiæ aut alii eſt gravioribus Patribus ſeptimam, & octavam lectionem canent; ſi Lectiones ſunt canendæ in Eccleſia ob conſuetudinem, & populi concurſum, ante Altare erit Legile nudum cum Breviario, & candelabrum cum intorticio.

Cum cantatur pro ſeptima Lectione textus Evangelii,

omnes ſtant detecto capite, donec dicatur, *& reliqua*, deinde ſedent, Sacerdos recitando textum Evangelii, non debet librum, nec ſeipſum ſignare, nec manus junctas tenere. Acolythi non deferant Candelabra cum Candelis accenſis ad Evangelium, ſive in Choro, ſive in Eccleſia cantetur.

Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 5.

Dum cantatur octava lectio, Acolythi ſumunt Candelabra, quæ cum Candelis accenſis deferunt ante Celebrantem, & ea tenent donec legerit totam lectionem, & incœperit Hymnum *Te Deum laudamus*.

Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 5.

Celebrans ſtans in ſuo loco detecto capite verſus digniorem in Choro parum inclinatus dicit: *Jube Domne &c.* cui ille ſtans reſpondet ad Societatem, &c. vel per Evangelica, &c. Factis prius mutuis reverentiis, ſed ſi lectiones canuntur ante Altare, Celebrans cum Acolythis Candelabra deferentibus, ibi procedet ad cantandam ultimam lectionem. Dum Prælatus Præſidens cantat ſuam lectionem, omnes pro ejus reverentia ſtant erecti, capite detecto, & ipſe Prælatus, ſive quicumque alius Sacerdos Pluviali indutus Celebrans, dum canit lectionem ad illa verba *Tu autem Domine miſerere nobis*, non debent genuflecti, ſed tantum faciant inclinationem verſus Altare. Finita lectione, dum Chorus reſpondet *Deo gratias*, Primus Cantor præintonat Celebranti (ſi in Choro lectionem cantabit) Hymnum, *Te Deum laudamus*, quo per Celebrantem intonato, Chorus illum proſequitur, unus Chorus dicit *Sanctus*, & alter *Sanctus*, & item alius dicet, *Sanctus*: *Dñs Deus Sabaoth*. Dum dicitur: ℣. *Te ergo quæſumus &c.* Celebrans, & omnes alii ſemper genuflectunt.

Biſſ. lit. M. n. 17. §. 2.

Hymno expleto, Celebrans immediatè, & abſolutè incipit ſolemniter Laudes. Antiph. præintonantur, ut in Veſperis, Pſalmi canũtur, Celebrans intonat *primam Antiph.*, *cantat Capitulum*, inchoat *Hymnum*, & *Antiphonam* ad *Benedictus*, incenſatur Altare, & Chorus, & ſervantur omnia quæ de Veſperis ſolemnibus ſuperius dicta ſunt

De

De Precibus, & Commemorationibus, ſeù ſuffragiis Sanctorum, atque Sermonibus S. P. N. Auguſtini. Cap. XIV.

PReces ſunt in duplici differentia,quędam dicuntur Dominicales, & quædam Feriales, Preces Dominicales dicuntur ſolum *ad Primam,& Completorium*, ut habetur in Pſalterio, & non dicuntur in duplicibus, nec infra octavas, nec in vigilia Epiphaniæ neque in Feria ſexta, nec Sabbati poſt octavam Aſcenſionis, Aliis autem temporibus ſemper dicuntur. Preces autem feriales dicuntur, ut habetur in Pſalterio', *Ad Laudes, & Horas minores, ac etiam ad Veſperas, niſi ſequatur Feſtum*, & hoc fit in Feriis Adventus, & Quadrageſimæ, ideſt à feria quarta Cinerum, uſque ad feriam quintam in Cœna Domini excluſivè:dicuntur etiam in quatuor temporibus, & Vigiliis, quæ habent annexum Jejunium, (exceptis Vigilia Nativitatis Domini noſtri, & Vigilia, & quatuor temporibus Pentecoſtes) & tunc dicuntur flexis genibus. Sed ad Completorium ſemper dicuntur preces Dominicales, genibus tamen flexis. In feſtis autem ſimplicibus, & ſemiduplicibus, in quibus officium fit de Sancto, & in feriis per annum, nunquam dicuntur, niſi preces Dominicales, in quibus non genuflectitur.

Ad preces Dominicales,Cantor cum primo Choro dicit *Kyrie eleyſon*, & omnes de Choro genuflectunt, ſi genuflectendum eſt, ſecundus Chorus dicit *Chriſte eleyſon*, & totus Chorus dicit *Kyrie eleyſon*, & ſic ſemper dicitur quoties in Choro, vel extra dicendum eſt, *Kyrie eleyſon*, Hebdomadarius dicit *Pater noſter*, quo ſecreto finito voce mediocri dicit verſum,*& ne nos inducas &c.Credo inDeum,&c.Carnis reſurrectionem,&c.*& verſiculos omnes. Choro ſemper reſpondente. Si Pſalmus aliquis eſt dicendus, intonabitur à Cantore primi Chori *Brev.rubr. 34.num.3.*

ri genuflexo : ſi Commemorationes ſunt faciendæ, Cantor primi Chori non ſurgit ad Antiphonas intonandas, neque Verſicularius ad Verſiculos dicendos . Hebdomadarius ad ℣. *Dominus vobiſcum*, vocem elevans ſurgit, & dicit Orationem, nec genuflectit, niſi dicto *fidelium animæ &c.*

In Officio Defunctorum, licet ſit officium duplex, vel dies Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in quibus ad Veſperas non dicitur Pſalmus *Lauda anima mea &c.* Nec ad Laudes, *De profundis &c.* cum dicantur ſolum in officio ſimplici . Verſus tamen ſemper dicuntur, & poſtquam Hebdomadarius dixerit illa duo verba *Pater noſter*, ipſe, & Chorus *genuflectant* etiam ſi officium ſit duplex, & ſecretò à cunctis dicto *Pater noſter* ſignoque à Pręſidente dato, Hebdomadarius dicit ℣. *& ne nos &c.* reſpondente Choro *ſed libera &c.* ſi Pſalmus dicendus eſt primus Cantor in ſuo loco genuflexus illum intonat . Hebdomadarius dicit ℣. *à porta Inferi &c.* Choro ſemper reſpondente, quibus finitis, Hebdomadarius ſtans dicit Orationem, vel Orationes, & poſtea dicit ℣. *Requiem æternam &c.* Sed advertendum eſt quod ſi pro uno, vel pro una tantum dicitur officium Defunctorum, omnes iſti verſus debent dici in numero ſingulari . Si officium canitur, Cantores canent ℣. ſemper in numero Plurali : *Requieſcant in pace* licèt officium dicatur pro uno, & Chorus reſpondet Amen, & ſtatim Hebdomadarius voce humili incipit *Sacroſanctæ &c.*

Biſſa litt. M. n. 17. §. 2.

De Commemorationibus ſeu Suffragiis .

COmmemorationes communes Sanctorum quę habentur in Pſalterio poſt Veſperas Sabbati ; dicuntur ſolum in Veſperis, & Laudibus, quoties officium non eſt duplex, vel infra Octavam, & hoc ab octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam Paſſionis excluſivè

Brev. rub. 35. n. 1 & 3.

ſivè, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſivè. Tempore Paſchali fit ſolum Commemoratio *de Cruce*. *De S. Maria* nunquam fit Commemoratio, quando de ea fit officium, vel dicitur ejus officium parvum. *Si de Sancto ſimplici occurrente* facienda eſt Commemoratio, fiat ante omnes alias Commemorationes, etiam ante Commemorationem de Cruce.

Patroni etiam, & Titularis Eccleſiæ debet fieri commemoratio ante vel poſt Commemorationem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, vel Apoſtolorum vel S.P. N. Auguſtini pro dignitate illius, nunquam verò ante Commemorationem de Cruce, etiam ſi Titulus fuerit nomen Jeſus, aut quid ſimile, ſumendo *Antiphonam*, & ℣. qui in Veſperis aſſignantur ad *Magnificat*, & in Laudibus, qui aſſignatur ad *Benedictus*, & ſimiliter Orationem in Officio illius, cujus fit Commemoratio, & ſi habetur in Oratione cujus ſolemnitate, vel Natalitia, mutetur, & dicatur cujus commemoratione, & ſi ex communi ſumenda eſt Oratio, ſumatur una ex illis, in quibus non habentur illa verba ſolemnitas, vel Natalitia; & ſi eſt eadem cum Oratione Sancti Occurrentis, mutetur Oratio Patroni, vel Titularis cum alia Oratione ejuſdem Communis.

Pro Commemoratione S. P. N. Auguſtini ad Veſperas quando fiunt Conſueta ſuffragia dicitur Antiphona. *Sancte Pater Auguſtine*, & ad Matutinum *ò Lumen Eccleſiæ*, cum ℣. *Sapientiam ejus enarrent Populi*, quę Commemoratio fit ante Commemorationem Titularis Eccleſiæ, etiam ſi Titularis ſit Martir, dummodò non ſit Angelus, vel Apoſtolus. Deinde fiat Commemoratio *S. Joſeph Protectoris noſtræ* Congregationis, Ideſt ad Veſperas, Joſeph *Fili David*: Ad Matutinum verò *Angelus Domini &c.* cum ℣. *Ora pro nobis B. Joſeph*, cum oratione *Deus qui ineffabili &c.* Inſuper pro SS. Ordinis noſtri dicitur Antiphona, *Sancti Dei incliti eum* ℣. Laudate *Dominum in Sanctis ejs*; in Vigilia autem S. P. Auguſtini,

Gav. tom 2 ſect 5. c. 18 n. 7. Gueſat de prop ſeſt. lib. 3. cap. 17 q:t. 11. Biſſ. lit. S. n 208. § 3.

ni, in ejus feſtivitate, ſicuti quando fit de eo officium; in ſuffragiis nulla fit Commemoratio de eodem; Et idem eſt extendendum ad Commemorationem S. Joſeph, in ejus feſto, & in feſtivitate de Patrocinio ejuſdem.

Gavant. eod. loco n. 14.

In Eccleſiis autem, ubi Titularis Eccleſiæ eſt S. Nicolaus, fiat Commemoratio in ſuffragiis immediatè poſt Commemorationem S. Joſeph, cum Antiphona, Ad Veſperas: *Nicolaus &c.* & ad Matutinum: *Patris noſtri Auguſtini*, cum ℣. *Ora pro nobis &c.* & Oratione, ut in feſto ejuſdem, Hic autem eſt advertendum, quod ſi Titularis Eccleſiæ ſit Sanctiſſima Trinitas, aut Spiritus Sanctus, aut Corpus Chriſti, fiat eorum Commemoratio ante. S. Mariam, de Angelis verò, & de S. Joanne Baptiſta ante Apoſtolos, de cæteris omnibus poſt Apoſtolos.

Gavāt. tom. 2 ſect. 5. cap. 18. n. 7.

De Sermonibus S. P. N. Auguſtini.

SErmones S. P. N. Auguſtini dicuntur in Choro, peracto Officio utriuſque Completorii, ſcilicet Diei, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quibus Completoriis finitis, ſtatim immediatè omni tempore dicitur Antiphona, & Oratio Beatæ Mariæ, pro tempore dicendę in fine Completorii, prout ordinat Rubr. Breviarii, & antequam Hebdomadarius dicat ℣. *Divinum Auxilium*, intonabit Añam, *Benedicta tu &c.* & ſtatim Cãtor primi Chori in proprio loco intonat Pſal. *Dñe Dñs, etc.* reintonat Añam, quam Chorus proſequitur, Verſicularius primi Chori dicit ℣. *Ave Maria gratia plena*, Chorus reſpondet *Dominus tecum*, Tempore Paſchali ad Antiphonam, & ad Verſum additur *Alleluja* Lector in medio ſtatim petit benedictionem, quam ei dat Hebdomadarius, dicens: *nos cum Prole pia &c.* Lector legit tres Lectiones proferente Titulum ſcilicet *Sermo S. P. N. Auguſtini*. Finitis lectionibus, Hebdomarius in proprio loco ſtans dicit: ℣. *Divinum auxilium &c.* ſecretò dicitur *Pater noſter*,

Ave

Ave Maria & Credo. Quibus perſolutis, Cantores in medio exiſtentes intonant Canendo, Antiphonas pro Commemoratione S. P. N. Auguſtini, S. Joſeph, &c. ac S.Nicolai deTolent.& Verſicularii canunt ℣.Hebdomadarius Orationes. Feria verò ſexta data benedictione incipit Antiphonam benedicta tu, & cætera fiunt ut ſupra.

De Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus, atque Litaniis Sanctorum. Cap. XV.

PSalmi graduales dicuntur à gradu, & conſtant ex numero quindecim Pſalmorum, quia ſignificant quindecim gradus Ezechielis, quibus viſum eſt ei aſcendere in Civitatem Dei, ſignificant etiam quindecim gradus, per quos aſcendebatur ad Templum Salomonis, & ad quemlibet gradum ſinguli decantabantur Pſalmi.

Hujuſmodi ergo Pſalmi Graduales dicuntur *ante Matutinum Beatiſſimæ Virginis* Choro ſedente, & ad preces genuflectente, Hebdomadario ſolum ad Orationem ſurgente.

Cantor primi Chori intonat primum Pſalmum primi, & Tertii Ordinis, & Cantor ſecundi Chori intonat primum Pſalmum ſecundi Ordinis, veluti ſi eſſent tres Nocturni, & cantores non intonant ſecundum tertium, & quartum, nec quintum Pſalmum primi Ordinis, quia cum illi Pſalmi careant ante ſe *Gloria Patri*, omnes quinque dicuntur, tanquam ſi eſſet unus Pſalmus, ſicuti etiam fit ad Pſalmos, *Cantate Domino Canticum novum, &c.* & *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, qui dicuntur in Laudibus.

Pſalmi Pœnitentiales, quando dici debent, finito officio Matutini, & dicto *Benedicamus Domino*, Hebdomadarius genuflexus intonat Antiphonam, *Ne reminiſcaris*, & primus Cantor intonat Pſalmum, *Domine ne in furore tuo, &c.* Alii ſequentes Pſalmi intonantur mo-

dò ab uno, modò ab alio Cantore in ſuo loco genuflexo. Finitis Pſalmis, & reintonata Antiphona à primo Cantore in proprio loco genuflexo, deinde à Choro proſequuta, Cantores in medio genuflexi dicunt *Litanias Sanctorum*, & Chorus reſpondet, non ſemper eadem verba repetendo, ſed ſolum à principio uſque ad *Pater de Cœlis Deus* excluſivè, & in fine à *Chriſte audi nos*, poſt Agnus Dei, uſque ad ultimum *Kyrie eleyſon* excluſive duplicentur.

Iſtis finitis, Hebdomadarius genuflexus intonat, *Pater noſter*, quo ſecretò finito ad ſignum Præſidentis dicit ℣. *& ne nos &c.* reſpondente Choro, primus Cantor ad huc in medio genuflexus intonat Pſalmum *Deus in Adjutorium &c.* & Chorus genuflexus proſequitur, intonato Pſalmo, Cantores pergunt ad Propria loca; Finito Pſalmo Hebdomadarius genuflexus dicit verſus ſequentes, Choro reſpondente. Finitis verſibus Hebdomadarius ſurgit, & dicit ſemel *Oremus*, & Omnes Orationes, & Verſiculos in fine Orationum poſitos; quibus finitis, incipit *Sacroſanctæ, &c.*

Si hujuſmodi preces dicuntur ſede vacante, Omittitur ille ℣. *Oremus pro Pontifice* noſtro N. & ejus loco ponitur. ℣. *Tu Domine qui noſti corda hominum.* ℟. *oſtende quem elegeris*; Omittitur etiam illa Oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus*, & ejus loco ponitur Oratio, *Supplici Domine humilitate depoſcimus, &c.* ut habetur in Miſſali, in Miſſa pro eligendo Summo Pontifice.

De Miſſa Solemni, quoad ea, quæ in Choro canuntur. Cap. XVI.

DUm canitur ultimus Pſalmus Horæ tertiæ Cantor ponet Legile cum libro in medio Chori, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accomodat. In Dominicis Diebus, dicto à Celebrante *Aſperges me*, duo Cantores in medio Chori moroſè proſequuntur,

Do-

Domine Hyſſopo, *&c.* & Chorus proſequitur; Cantores canent non ita moroſè medium verſum, & *Gloria Patri* uſque ad *ſicut erat*, Antiphonamque ut ſupra reincipient, Choro hæc omnia proſequente.

Incępta à Celebrante Miſſa, ſtatim à duobus Cantoribus in medio Chori ſtantibus voce ſonora, & moroſè Introitus inchoatur, & ab eiſdem verſus, licèt non ita moroſè uſque ad medium, & *Gloria Patri uſque ad ſicut erat*, cantetur, Introituſque ut ſupra reincipiatur, proſequente hæc omnia Choro in medio ſtante facie ad Legile verſa. Cantores intonant primum *Kyrie*, & primus Chorus proſequitur *eleyſon*, & ſtatim uterque Chorus alternatim canet *Kyrie eleyſon*, & *Chriſte*, uſque ad ultimum, cujus poſterior pars, ſeu ultima verba, ſcilicet *eleyſon* canuntur moroſiùs ab utroque Choro. Advertant Fratres ut Introitum, & *Kyrie eleyſon* tandiù durare faciant (ſi fieri poteſt) quouſque Celebrans *Kyrie eleyſon* finierit,

Gloria in Excelſis Deo, inchoante Celebrante, Cantores in medio voce ſonora ſubdunt non moroſè, ſed eo modo, & tono quo Chorus canere debet, *& in terra pax*, & Chorus alternatim proſequitur incipiendo à primo Choro. Sed illa ultima verba, *in Gloria Dei Patris Amen*; canuntur moroſiùs à toto Choro. Dum canitur, *Gloria in excelſis, vel Credo*, & eſt inclinandum ſemper facie ad Altare verſa, mediocriter ſe inclinabunt, ne cantantium vox impediatur.

Ad primam Orationem ante Epiſtolam; & poſt Communionem omnes in Choro ſtant profundè inclinati ad alias autem ſtant erecti facie ad invicem verſa. Sed in Miſſis Feriarum Adventus, Quadrageſimæ; Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, (excepta Vigilia Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, ejuſque quatuor Temporibus) ac in Miſſis Defunctorum genuflectunt omnes, ad omnes Orationes, quæ dicuntur ante Epiſtolam, & poſt Communionem,

& ſuper Populum,& ſic genuflexi reſpondēt Celebranti.

Dum Canitur *Epiſtola*; *vel Prophetia* Chorus ſedet, & Cantor primi Chori illam perſpiciet, & paulo ante quàm finiatur ſignum faciet profundè ſe inclinans. Si fuerint plures Prophetiæ Canendæ, ponetur Legile nudum in medio Chori, & ſuper illud Miſſale, & incipiendo ab Inferiori, ſeu alio Clerico exiſtente primo Choro, ipſe primam Prophetiam canet, & Alter ex altera parte Chori canet ſecundam, & ſic alternatim aſcendendo uſque ad omnes Sacerdotes (ſi opus fuerit) canent Omnes Prophetias *Adflectamus genua*, omnes in Choro genuflectunt, & ad *levate* ſurgunt.

Graduale duo Cantores in medio moroſè intonant, ejuſque verſum eodem modo incipiunt & Chorus in medio ſtans omnia proſequitur. Si poſt Graduale dicendum eſt *Alleluja*, Ambo Cantores moroſè primum *Alleluja*, & Chorus in medio eodem modo canit ſecundum *Alleluja*. Deinde Cantores in medio canunt moroſè (ſedente Choro) totum verſum ſequentem, quo finito factaque ab eis Capitis reverentia, Chorus ſurgit, & in propriis locis canit moroſè *Alleluja*, ſed ſi non eſt dicendum, *Alleluja*, ſed ſequentia, tunc ultima verba ipſius ſecundi verſus canuntur à quatuor Cantoribus ſequentiam Cantaturis. Advertendum eſt, quod Graduale, & quæ ſequuntur, uſque ad Evangelium cantu gravi, & pauſa magna canenda ſunt, ut Celebrans tempus habeat legendi Evangelium, benedicendi incenſum, ac etiam Diaconum.

Uſus Capellæ SS. D. N. & Baſilicarum Urbis.

Tempore Paſchali ambo Cantores in medio canunt moroſè, primum *Alleluja*, & Chorus in medio canit eodem modo ſecundum *Alleluja*; Cantores intonant moroſè primum verſum, & Chorus proſequitur, uſque ad *Alleluja* incluſivè, ambo Cantores canunt moroſè (ſedente Choro) totum verſum ſequentem, quo finito, Chorus ſurgit, & canit *Alleluja*.

Tractus à quatuor Cantoribus cani debet, & Cantores

res ad Legile canent non ita moroſè, ſed cunctanter primum Verſum, pauſam in medio faciendo, & ſimiliter duo alii Cantores canunt ſecundum, ſic alternatim proſequentur, (ſedente Choro) uſque ad finem, ſed ultima verba tractus canuntur moroſè ab his quatuor Cantoribus.

Dicto à Celebrante *Credo in unum Deum*, ſtatim duo Cantores voce clara, & ſonora non tamen moroſè canunt *Patrem omnipotentem*, & primus Chorus proſequitur eodem modo canendo, & ſic alternatim canitur, uſque ad finem, ſed ad verſum, *& Incarnatus eſt*, omnes de Choro genuflectunt illum devotè canendo, & illa quatuor verba, *& homo factus eſt*, debent à duobus Cantoribus ſtantibus, (Choro terram oſculante) moroſiùs, & devotiùs Cantari. Ultimus tamen verſus *& vitam venturi &c.* canitur à toto Chòro moroſiùs.

Offertorium à toto Choro in medio ſtante moroſè cantatur Cantoribus intonantibus. In Miſſis Defunctorum offertorium canitur à Choro, ſed verſus, *Hoſtias*, *& preces* canitur (ſedente Choro, à duobus Cantoribus in medio, ſurgente poſtea, & replicante Choro *quam olim Abrahæ*, &c.

Sanctus à toto Chòro in propriis locis ſtante, moroſè canitur, uſque ad *Benedictus* excluſivè, Cantòribus, primum Sanctus in medio intonantibus. Poſt elevationem Calicis Chorus genuflexus canit moroſè, & voce ſuavi, *Benedictus, qui venit*, &c. Cantoribus in medio ſtantibus, & intonantibus, quo finito, ipſi redeunt ad propria loca; *Agnus Dei* à toto Choro in propriis locis ſtante canitur, Cantoribus in medio illud ter incipientibus. *Ad Domine non ſum dignus*, nunquam, dum Agnus Dei canitur genuflectitur.

Poſt Communio, canitur in medio à toto Choro Cantoribus incipientibus. In Miſſis Defunctorum, Cantores in medio intonant Syllabatim, *lux æterna*, & Chorus proſequitur. Verſus autem *Requiem æternam* canitur à

duo-

duobus Cantoribus, & Chorus interim revertitur ad proprium locum ibique ſtans, repetit *cum Sanctis tuis* &c. quibus finitis Cantor removet Legile, & librum. Ad *ite Miſſa eſt*, & *Benedicamus Domino*, Chorus, reſpondet, *Deo gratias*, *ad Requieſcant in pace*, reſpondet, *Amen*.

Cum Celebrans dat benedictionem, omnes genuflectunt, & ſe ſigno Crucis ſignant. Ad illa verba Evangelii, *& Verbum caro factum eſt*, omnes genuflexi terram oſculantur.

Finito ultimo Evangelio, ſi nulla ſequitur hora, & Miſſa Celebrata non eſt Defunctorum, Cantores intonant moroſè canendo Antiphonam, *Ave Regina Cælorum*, quam Chorus in propriis locis genuflexus (excepto tempore Paſchali, & Dominicis diebus, quia tunc non genuflectitur (proſequitur uſque ad finem, prout in Miſſali Ordinis continetur. Verſicularii canunt Verſum; tempore Paſchali additur *Alleluja*, Hebdomadarius dicit Orationem *Defende quæſumus Domine*, &c.

De ingreſſu, & egreſſu Fratrum à Choro. Cap. XVII.

CUm primum Campanæ conveniendi ad divina officia auditæ fuerint, illicò cuncti Sacerdotes, & Clerici mentem ad Deum elevantes dicent: Hęc vox dilecti mei pulſantis,, & recitent unam *Ave Maria* ad qnamlibet pulſationem horæ Canonicæ, ſi ſeptem millia dierum indulgentiæ per Leonem Decimum conceſſę deſiderant obtinere, & quacumque alia poſtpoſita occupatione animum ad divinum officium præparent, ut *docet Eccleſiaſtes* 18. *Ante Orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi homo tentans Deum*, & Chorum petere modeſtè, & Religioſè curent. Novitii cum eorum Magiſtro Pſalmum *Miſerere*, &c. alternatim dicentes.

Cum modeſtia, inceſſu gravi, capiteque aperto Cho-

rum

rum ingrediantur, Aqua benedicta in Chori aditu præparata ſe aſpergentes, ac ſigno Crucis munientes dicendo, *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*, & facta in medio debita reverentia, & Præſidenti inclinatione, quilibet in locum ſui ordinis ſe recipiat, itaut qui major eſt, ſtet à dextera parte Chori, ſecundus à ſiniſtra, tertius à dextera, & ſic deinceps, & in locis ſuis diligenter advertant, ne antequam genuflectant terga Superiori vertant, & genuflexi terram ſtatim deoſculentur. Novitii verò proceſſionaliter, & Pſalmum recitando ingredientes, non ſtatim genuflexi terram oſculentur, ſed eorum Præſidente in Choro genuflexo, dicitur ℣. *Gloria Patri*, &c. & *Kyrie eleiſon*, & poſtea omnes ſimul terram oſculentur, ſi genuflexi fuerint.

Ante finem ultimæ pulſationis, omnes ſint Chorum ingreſſi, nemine excepto, tum quia majori devotione recitatur officium in Choro propter præſentiam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Reliquias Sanctorum, ac Angelos ibi Pſallentibus aſſiſtentes, ut dicit *David Propheta*: *Prævenerunt Principes conjuncti Pſallentibus*, tum etiam ut peccatorum ſuorum remiſſionem percipiant: *Nam Martinus Papa V. conceſſit quod Fratres* pro qualibet hora Canonica, cum eam in Choro dixerint cum aliis, lucrentur 100. dies Indulgentiæ.

Quis quis dato ſigno, officioque incepto, Chorum intraverit genuflectat in medio plani, donec ſignum ſurgendi ei à Præſidente detur (exceptis tamen Campanariis, aliiſque Chori Miniſtris, qui ad eorum munera exequenda impediti fuerint) tuncque terram oſculans, atque Sanctiſſimo Sacramento genuflectens, vel Imagini profundè, & deindè Præſidenti mediocriter ſe inclinans, ad locum ſuum pergat. Si tamen is qui ingreditur antiquior cæteris ſit, facta in medio debita reverentia, in proprio loco genuflexus, terram oſculabitur.

Ingrediente in Choro, vel ab illo egrediente Vicario Ge-

Generali, ſtatim omnes ſurgant, eique reverenter caput inclinent, idemque fiat in ingreſſu, vel egreſſu Viſitatorum in actuali Viſitatione, Provincialis Propriæ Provinciæ, Prioris localis; In ingreſſu verò, & egreſſu Procuratoris Generalis, Definitorum Generalium, Viſitatorum extra ſuam actualem Viſitationem, & Definitorum Provincialium, & Supprioris proprii Conventus, aliquantiſpèr ſe elevantes reverentiam eis faciant capitis inclinatione. Hoſpitibus tamen noſtris Prętatis tantum caput inclinent.

Ingredientibus verò Viſitatoribus generalibus, etiam in actuali Viſitatione, Vic. Gen. præſente, aliquantiſpèr ſe elevantes caput inclinent, quod etiam obſervari debet in ingreſſu, vel egreſſu Provincialis propriȩ Provinciæ; Prȩſentibus Viſitatoribus in actuali Viſitatione, & in ingreſſu Prioris, præſente Provinciali, & in ingreſſu Procuratoris Generalis præſente Priore, & ingreſſu Definitorum Generalium, & Provincialium præſente Procuratore Generali, & in ingreſſu Viſitatorum præſentibus Definitoribus, & in ingreſſu Supprioris, præſente Priore.

Si tamen Chorum ingrediens, vel ab ipſo egrediens fuerit Sacris veſtibus indutus, factis debitis reverentiis ſiſtit ſe in loco conveniente ſine oſculatione terræ, omneſque in Choro aſſiſtentes aſſurgent, & caput aliquantulum inclinent.

De egreſſu ante officii terminationem cauſa quavis rationabili etiam à Superiore vocatus, niſi de Præſidentis licentia è Choro diſcedere nemo audeat, exceptis campanariis, aliiſque Chori miniſtris, qui debitis ſolummodò peractis reverentiis, ſine deoſculatione corrigiæ ad eorum munera perſolvenda egredi permittuntur. Et ideo qui vocaturus eſt aliquem Fratrem in Choro exiſtentem Præſidenti prius cauſam indicet, & de ejus licentia egreſſurum vocet.

Quilibet Frater è Choro exiens, ſi oſtiolum Chori eſt propè Præſidentem, prius in medio factis debitis reveren-

rentiis, & cauſa Præſidenti ſignificata, ejuſque corrigia deoſculata, diſcedat; ſi autem oſtiolum eſt longè à Præſidente prius debet Præſidenti cauſam exeundi ſignificare, ejuſque corrigiam deoſculari, & poſtea facti in medio debitis reverentiis diſcedere. Novitii autem, & Profeſſi exiſtentes in Novitiatu, vel Profeſſorio clauſo, eorum Magiſtro cauſam exeundi aperiant, & habita ab eo licentia, ſuperioriſque, ſeù Præſidentis corrigia deoſculata, exeant.

Finito officio, omnibuſque aliis abſolutis Præſidens ſignum egrediendi dabit, & deoſculata terra, ſi genuflexi fuerint, primus Cantor adhuc genuflexus intonat Pſalmum *Deus miſereatur noſtri*, &c. prout habetur in Ordinario Precum, &c.

Finita Oratione, aſſignat *Pater noſter, & Ave Maria* pro Benefactoribus vivis, atque defunctis, vel Peccatoribus, aut pro ſtatu Eccleſiæ, ſeu Congregationis noſtrę, aut alia pia, & rationabili cauſa, & ſine alio ſigno diſcedent. *Ex noſtris Conſt.p.1.c. 2.§.4.*

Quando autem ad Refectorium pergunt, primus Cantor loco Pſalmi: *Deus miſereatur noſtri*, intonabit Pſalmum *De profundis clamavi ad te Domine*, qui cum verſibus, & oratione prout in Ordinario precum dicetur.

Dicto ℣. *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*: & Hebdomadarius aſſignet *Pater noſter, & Ave Maria* pro Defunctis noſtris, vel aliis ut ſupra. Quibus finitis, ſi Chori diſtantia poſtulaverit, Pſalmus *Miſerere*, *cum Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, &c. addi poterit.

Triduo ante Paſcha Reſurrectionis à Matutino Feriæ V. Cœnæ Domini uſque ad Celebratam Miſſam Sabbati excluſivè, nullus Pſalmus recitari debet, ſed cum ſilentio humiliter, & devotè in ſignum mæſtitiæ Paſſionis Chriſti, proceſſionaliter tamen, & ordinatè Chorum intrabunt, & exibunt, & ſimiliter fiet in aliis locis juxta *Rubricas Breviarii Romani*.

CÆREMONIALIS ECCLESIASTICI JUXTA RITUM ROMANUM,

Uſumque Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. P. Auguſtini, Congregationis Italiæ, & Germaniæ:

LIBER TERTIUS.

De Ritu Eccleſiaſtico in ſolemnibus, ac privatis Miſſis obſervando.

De Altari. Cap. I.

Durand.rat. divin.lib.1 c. 2. *Cap.8.12. & 32.* *Lib.15.etiam cap.4.*

ALtarium ædificatio à Noè Originem habuit, nam ipſe primus fuit, qui Altare Domino Deo conſtruxit, ut habetur in Geneſi. Altare, ſecundum Sanctum Iſidorum dicitur ab altitudine; nam dicitur Altare, quaſi alta Ara, quia in alto Sacrificia fieri debent. Vel dicitur Altare, eo quod in ipſo res alta, immò altiſſima peragitur; Immolatur enim ibi verum Corpus Summi, & æterni Dei Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri. Altare eſt duplex; unum dicitur portatile, eo quod a loco ad locum mutari, & transferri queat, & appellatur Viaticum in *cap. ult. de Privil. in 6.* & alicubi dicitur Lapis Sacratus, vel Ara ſacrata. quia hoc Altare ſemper debet eſſe conſecratum, & lapideum de *Ju-*

re

re Communi; debet etiam eſſe figuræ quaſi quadratæ propter conſuetudinem antiquam, & licet pro ejus magnitudine ſufficiat, ut Hoſtiam, & majorem partem Calicis capiat, tamen in Eccleſiis noſtris ejus latitudo erit ſpatium unius palmi cum dimidio, ut facile, & abſque ullo periculo, Calicem, Hoſtiam, & Pixidem capere poſſit.

Altare portatile ſemper debet eſſe coopertum tela cerata, clavis affixa, ne ſigillum removeatur, & ſic conſecrationem amittat. Debet etiam diſtare à fronte *Altaris* per ſpatium dimidii palmi, & ita eſſe inſertum *Altari ſtabili*, ut ſit ejuſdem altitudinis cum illo; & ſolum inter utrumque ſit vacuum per ſpatium latitudinis unius digiti; vel *Altare portatile* ſupereminеat per ſpatium latitudinis dimidii digiti, ut ſua eminentia tactu dignoſci poſſit, & Calix parum extra poſitus nullum periculum faciat.

Aliud Altare dicitur ſtabile, & fixum, cujus ędificium non eſt neceſſe, quod totum ſit lapideum, poteſt enim eſſe ligneum, vel terreum quantum ad omnes partes remotiores, ſolum enim requiritur, ut Superior menſa ſit lapidea, quia illa ſola conſecratur, quo caſo tota illa menſa debet eſſe tela cerata cooperta, ſi verò ejus Superior menſa non erit conſecrata, eſt neceſſe quod in ejus menſæ medio ſit inſertum *Altare portatile*; quia Miſſa non poteſt celebrari, niſi ſuper *Altare lapideum* ab Epiſcopo conſecratum, ſive illud ſit affixum, ſive portatile. *Suar. 3. part. tom. 3. diſc. 81. ſect. 5.*

Altitudo *Altaris majoris* ſit quatuor palmorum. vel quatuor cum dimidio ſupra pradellam, & longitudo decem, vel novem pro locorum proportione, & latitudo trium, vel ſaltem duorum cum dimidio, & nulla ex parte habeat foramen, vel feneſtrellam, niſi ibi ſint reliquiæ Sanctorum ſub clavi obſeratæ.

Altare fixum, *& ſtabile* deſecratur tripliciter, & primò quando ſepulchri ſignum, ſeu ſigillum Reliquiarum frangitur, vel removetur à menſa Altaris cap. *ſi motum*,

de conſecr. diſt. 1. ſecundo quando Menſa lapidea, quæ eſt ampla, & extenſa ſuper totum *altare fixum* removetur à ſtipite, vel columnis, quia conſecratio Altaris eſt ſpecialiter in illa conjunctione, *ſecundum Hoſtien. & Pan. cap. propoſuiſti, eod. tit.* Tertia quando frangitur totaliter menſa, vel patitur enormem lęſionem, ita ut major pars menſæ ſit fracta, vel à ſtipite, ſeu columnis amota, *ſecundum Innocent. in rub. & in cap. primo de conced. & al. & Panor. cap.* 1. *de conſecr. Eccl. & gloſ. ibidem.* Vel menſa Altaris eſt fracta in loco ubi conſuetum eſt conſecrari, tunc enim Altare eſt deſecratum, & debet denuò Conſecrari.

Altare portatile, ſeu *mobile* deſecratur etiam tribus modis, primò per remotionem lapidis à ligno, quando ſepulchrum eſt in ligno *ſecundum Joannem Andr. in cap. ligneis de conſecr. Eccleſ.* ſecundo quando amovetur ſigillum ſepulchri exiſtentis in lapide, ſive lapis ſit in ligno, ſive non, *ſecundum Innoc. & Panor. & omnes DD. communiter*. Tertio ſi lapis iſte notabiliter frangatur, ut habetur *in citato cap. ligneis*, nam ſi in neutra parte Confracti lapidis poteſt commodè Calix, & Hoſtia collocari conſecrationem amittit. Si autem altera pars habet illam quantitatem, & magnitudinem ſufficientem ad recipiendum Hoſtiam, & Calicem, illa pars ſufficiens conſecrata manebit, quia conſecratio Altaris non requirit certam figuram, ſed ſolum ſufficientem magnitudinem: quando autem lapis eſt in ligno, & ſepulchrum in lapide, & amovetur lapis à ligno, tunc Altare non amittit conſecrationem, quia hoc non eſt ei eſſentiale.

Suarez ubi ſupra.

Super Altare majus ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, aureo extrinſecus ornatum, intrinſecus autem per totum ſit deauratum, vel ſericeis velis rubeis, aut albis, cum claviculis deauratis ita coopertum, ut tabula nulla ex parte intus videri poſſit. Intra Tabernaculum ſit corporale mundum tantæ magnitudinis ſicut eſt pavimentum. Nullum in eo ſit foramen per quod

Mu-

Muſcæ, formicæ, aut vermes intro penetrare valeant. Oſtiolum Tabernaculi ſit ita patens, ut Pixis Sanctiſſimi Sacramenti facilè educatur, & clavi deaurata diu, noctuque ſit clauſum, & hanc clavem ſemper ſub alia clavi recluſam ſacriſta cuſtodiat, ne ad Sanctiſſimam Euchariſtiam poſſit extendi temeraria manus. Nec intra, nec ſubtus tabernaculo debet aliquid aſſervari, quoniam nec Sanctorum Reliquiæ,nec infirmorum oleum poſſunt ibi manere, ne una, & eadem adoratione, qua adoratur SS. Chriſti Corpus, videantur adorari.

In Tabernaculi ſummitate ſit Crux nuda, vel Chriſti reſurgentis Imago, ſed ſi ſuper Altare vel in medio Tabernaculi, non facilè poteſt Crux collocari, in ſummitate Tabernaculi erit Crux cum effigie Chriſti Crucifixi, que ſi propter Tabernaculi altitudinem, non poterit faciliter à Celebrante videri, in ſummitate Tabernaculi Chriſti Reſurgentis imago, vel Crux nuda ponatur, & alia Crux cum Imagine Chriſti Crucifixi ante conſpectum Celebrantis omninò diſponatur, quia neceſſe eſt quod ſuper omni Altari, in quo celebratur, ſit Crux, ut Celebrans ſe poſſit ad eam inclinare. In Altari autem Crucifixi, in quo eſt Crucifixus clavis in Cruce lignea affixus, non eſt neceſſaria alia Crux.

Tabernaculum à fronte Altaris per tres palmos, aut duos cum dimidio diſtabit, ut corporale extendi, & Hoſtia, & Calix, ac Pixis commodè collocari poſſint, ſed non adeo diſtet, ut ad Pixidem accipiendam gradu ligneo opus ſit. Tabernaculum ſemper ſit coopertum conopeo ſericeo coloris tempori convenientis. In feſtivitatibus autem primæ Claſſis, à primis Veſperis erit diſcoopertum. Supra Tabernaculum ſit ſemper appenſum Baldachinum formæ quadrangularis cooperiens tabernaculum, Altare, & Celebrantem, quod in præcipuis ſolemnitatibus erit coloris tempori convenientis, ſi commodè fieri poteſt.

Quamvis Sanctiſſimnm Sacramentum ſit intra Taberna-

naculum clauſum, nunquam tamen ante ipſius oſtiolum ſit imago, aut Reliquiæ Sanctorum, & multò minus Tabella Secretorum.

A lateribus Tabernaculi hinc, inde ſit unus gradus; ut modernus eſt uſus, vel duo, & ad ſummum tres, ſupra quos erunt ſex tantum Candelabra, tria ſcilicet à parte dextera, & tria à parte ſiniſtra æqualiter inter ſe diſtantia, altiora ſint Tabernaculo viciniora, Candelas integras die, noctuque habentia. Inter Candelabra ſemper erit aliquod vaſculũ cum floribus propter venerationem Sanctiſſimi Sacramenti (excepto tempore Adventus, & Quadrageſimæ.) In magnis autem feſtivitatibus, Reliquię Sanctorum, & flores odoriferi ac ſericei inter candelabra collocentur. Supra Menſam Altaris ſint duo alia candelabra minora in quibus accendantur candelæ pro Celebratione Miſſæ privatæ. Et in Angulis ante infimum Altaris gradum hinc inde ſint duo candelabra ex ligno tornatili Altitudinis ſeptem palmorum pro intorticiis ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti. Circumcirca Altare majus ſint duo gradus è lapide ſolido conſtructi latitudinis unius palmi cum dimidio, & ſuper illos gradus ſit pradella è tabulis confecta ejuſdem longitudinis cum Altari, latitudinis verò quatuor palmorum, altitudo autem ſingulorum graduum ſit trium quadrantium unius palmi. Pradella ſemper ſit tapeto cooperta ob venerationem Sanctiſſimi Sacramenti, & in magnis feſtivitatibus tegantur etiam omnes Altaris gradus.

Altare ſemper ſit ornatum, & coopertum pallio coloris tempori, & officio convenientis, & omnia Altarium pallia erunt extenſa, & affixa ſuper Inſtrumentum ligneum, faſcias ſerico elaboratas circumcirca habentia. *Cær. Epiſc. lib. 1. cap. 12.* Sit etiam coopertum Altare tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, & benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram hinc indè pertingat, duobus aliis brevioribus, vel una duplicata, quæ totam menſam Altaris cooperiat.

Lam-

Lampas ſemper ardeat ante Sanctiſſimum Sacramentum, vel à latere, ut manifeſtè appareat ibi eſſe Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſi ob aliquam magnam feſtivitatem lampadarium erit appendendum, Lampades ſemper ſint numero impares. Ante Altare majus, & ab ejus infimo gradu diſtantes per ſpatium duodecim palmorum, ſin Cancelli ex Columnis, ut Celebrans, & Miniſtri in Miſſa Solemni Cæremonias peragere queant, & Populus Communionem facilè ſumere poſſit.

Altaria Minora ſint in debito, & decenti loco non adverſa Altari majori, nec Eccleſiæ Januis nimium proxima, neque ſubter ſuggeſtum, aut Chorum. Eorum lõgitudo erit ſpatium octo palmorum, & latitudo trium, vel duorum cum dimidio, & altitudo quatuor, aut quatuor cum dimidio, nullam feneſtrellam, aut foramen habeant, ne aliquid ibi recondi poſſit. Super Altare ſit unus tantum gradus, ſuper quem hinc inde ſint duo tantum Candelabra, vel quatuor ad plus, & Crux ſit in eorum medio, ita ut pars Crucis æquet ſummitatem, & altitudinem viciniorum Candelabrorum, & Crux ipſa tota Candelabris ſuperemineat cum Imagine Sanctiſſimi Crucifixi ex aliquo Metallo. *Cær. Paris. lib. 1. cap. 1[illegible].*

Omnia Altaria erunt tobaleis, & pallio cooperta, ut Altare majus. Ad pedem Crucis ſuper Altare exiſtentis erit Tabella Secretorum. In Cornu Epiſtolæ erit unus Cuſſinus ſupponendus Miſſali, & hoc tempore Miſſarum tantummodò. Ante quodlibet Altare ſit Pradella ut ſupra. A parte Epiſtolæ in pariete extra Altare ſit feneſtrella pro pelvicula, ampullis, manutergio, & campanula ſervandis, ac etiam inſtrumentum parieti affixum cum intorticio pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti.

Super omnia Altaria debet eſſe ſtragula, ut dicitur ex tela, ſeu pelle viridis, aut rubei coloris totaliter cooperiens Altaris menſam; & nihil deſcendens ante Altaris fron-

frontem; ſed tempore Miſſarum debet removeri; Quia
Miſſal.Rub. 20. dicit rubrica Miſſalis, quod ſuper Altare nihil omnino ponatur, quod ad Miſſæ Sacrificium, vel ipſius Altaris ornatum non pertineat.

Da Sacriſtia. Cap.II.

SAcriſtia debet eſſe commoda, tuta, bene clauſa, & cuſtodita, non humida, nec obſcura, & bis in Hebdomada, die Mercuriii, & Sabbatì ſcopis mundari; ita ut non ſolum pavimentum, ſed etiam parietes, & fons aquæ, ac cætera omnia nitida ſemper appareant. Altare ſi commodè fieri poterit erit in Sacriſtia.

Sit in Sacriſtia, vel ei propè, loco decenti, & remoto Sacrarium, ſeu piſcina Sacrarii ſub hac forma, ſit in pariete feneſtrella elevata à pavimento quinque palmis, & pavimentum feneſtrellæ ſit è lapide ſolido, eoque concavo, in quo ſit foramen rotundum, ſub quo ſit aquæ ductus, ſeu canalis, ut per eum aqua pręcedentis Hebdomadæ benedicta, & aqua ablutionis Corporalium, Purificatoriorum & ſimilium, ac digitorum Sacerdotis poſt Communionem, ſi in ea non ſint fragmenta Sanctiſſimi Corporis Chriſti, abiicientur, & cineres, aliaque Sacramentalia, ibi projecta in Ciſternulam in loco Sacro [illegible]am, facilè dilabantur, feneſtrella autem Sacrarii, clave clau[illegible].

Armaria ſint ſufficientia prò rebus cultui divino deputatis conſervandis, & præcipue quinque prò quinque Eccleſiaſticis coloribus, ſcilicet, albo. rubeo, viridi, violaceo, & nigro. Armaria habeant Bradellam medio palmo à terra elevatam, & à plano Bradellæ uſque ad planum Armarii ſint quinque palmi. Intra quodlibet Armarium ſint diverſæ Capſulæ eductoriæ, ſeù miſſivæ tantæ longitudinis, & latitudinis, ut planetæ, & Tunicellæ ſine plicaturis ibi collocari poſſint, in quarum frontibus ſint affixæ Cartulæ paramentorum colorem denotantes,

&

& cujuslibet Capſulæ fundum carta quadam copertū. Non immittantur ibi ſpicæ, aut Roſarum folia, licet ſicca, quia Vermes generant; ſed ſolum Corii odoriferi fragmenta; Unumquodque Armarium, porta bipartita, & clave claudatur. Planum Armarii ſit panno viridi coopertum, ut ibi Celebrantium veſtimenta collocentur. Finita celebratione Miſſarum, Armaria, & Capſulæ, quandoque aperiantur ad exalandum, ne veſtimenta corrumpantur. Sit etiam aliud Armarium cum tabulis perforatis, in quo ampullæ, & pelviculæ poſt celebrationem Miſſarum inverti poſſint.

Sint duo, vel tria Oratoria, ſeu Confeſſionaria loco remoto poſita, cum Orationibus affixis à Celebraturis dicendis, ubi Sacerdotes Confiteri, & ante, & poſt Miſſæ celebrationem orare poſſint; ſit fons aquæ ex petra Marmorea ſemper nitidus, cum duobus Manutergiis appenſis cum funiculis ad capita, & cum ſcripturis in pariete, ſcilicet, pro Sacerdotibus, pro Clericis, & Converſis. Sit etiam in loco Sacriſtiæ eminenti, & manifeſto litteris majuſculis, ſilentium, deſcriptum.

Pixis, in qua ſervantur perpetuò Particulæ conſecratę ſit argentea, & figuræ rotundæ, vel ſaltem habeat cuppam argenteam intus inauratam, & pedem ex auricalco deaurato, & ſuo operculo adeo firmata, ut vermes ingredi non poſſint, quæ Pixis per noſtrum Prælatum loci erit benedicta, benedictione ſimplici, abſque Chriſmatis unctione. *Tabernaculum geſtatorium*, in quo proceſſionaliter defertur Sanctiſſimi Chriſti Corpus ſit argenteum, vel ex auricalco deaurato in modum ſpheræ; Luna ſit argentea per totum inaurata, & mobilis, ut ibi poſſit Hoſtia Sacra locari, & poſtea intra tabernaculum reponi.

Calices, & Patenæ debent eſſe aureæ, vel argenteæ, & Calix debet ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimiliter debet eſſe Patena inaurata, cujus extremitas circularis debet eſſe ita ſubtilis, ut facilè poſ-

Z ſint

ſint fragmenta colligi. Hæc vaſa debent eſſe ab Epiſcopo per unctionem Chriſmatis conſecrata, quæ Conſecratio tandiù durat, quouſque hæc vaſa integra manent, amittitur verò ſi notabiliter dividantur, aut frangantur, ita ut eam formam, ſeu quantitatem amittant, quæ ad convenientem eorum uſum eſt neceſſaria.

Si hæc vaſa ſunt deaurata, & conſecrata, & ob uſum quotidianum aurum paulatim amiſerunt, non propter hoc ſunt deſecrata; quia antequam ex toto aurum decedat, reficitur, & inſtauratur; Pars enim conſecrata tanquam major, & dignior trahit ad ſe partem denuò additam, immò totus Calix deauratus per modum unius conſecratur, & ſic quando Calix eſt totus argenteus, & nihil de auro habet, licet illa ſuperficies concava paulatim conſumatur; Calix tamen ſemper manet conſecratus, quia licet Unctio circa ſuperficiem Calicis inducatur; ſimpliciter tamen totus Calix conſecratur. Quando autem poſtea ſuperadditur nova deauratio, tunc requiritur nova Conſecratio, quia hæc conſecratio fit propter contactum corporis, & Sanguinis Domini, & id in quo proximè fit contactus, non eſt conſecratum: quia per novam deaurationem fit intra Calicem quoddam vaſculum aureum Subtiliſſimum. Si cuppa Calicis in totum à pede per fractionem diſiungatur, tunc Calix amittit Conſecrationem; quia ſimpliciter amittitur figura illius vaſis, quod totum Conſecratum fuit per modum unius, & cuppa ſine pede inſervire non poteſt in divino uſu, ob quem eſt conſecrata. Si autem eſt Calix tornatilis, cujus cuppa facilè poteſt ſeparari à pede, & reuniri, ſi cuppa ſeparetur à pede, non amittitur Conſecratio; quia Calix non verè ſcinditur, neque frangitur, fruſtraque fierent Calices tornatiles, & fruſtra ab Eccleſia permitterentur.

Suarez 3. part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 7.

Corporalia ex ſindone munda, & lino puro e terra procreato eſſe debent, & in medio non ſint ſerico ornata, ſint quadratæ figuræ duorum palmorum cum dimidio,

dio, inamitata, & complicata in modum Crucis. Pallæ ſuper Calicem imponendæ ſint lineæ ſicut corporalia, ſaltem quoad interiorem partem, quæ Calicem tangit, quia exterior ſerico, vel auro elaborata eſſe poteſt. Corporalia, & Pallæ ſint à Prelato noſtro loci benedictione ſimplici benedicta, prout in Miſſali, & hæc benedictio tandiu durat quouſque notabiliter dividantur, ut dictum eſt in libro quinto, ſint etiam tria, vel quatuor alia *Corporalia infra Pixidem Sanctiſſimi Sacramenti* intra Tabernaculum ponenda, tantæ longitudinis, & latitudinis, quantæ eſt pavimentum, & ad hunc effectum ſolummodò deſerviant.

Purificatoria debent eſſe ex lino, ut corporalia, non ſerico, vel auro, ſeu argento, vel alio colore ornata, ſint longitudinis unius palmi cum dimidio, & figuræ quaſi quadratæ, in eorum medio ſit parva Crux filo elaborata, ſint munda, & ſufficientia, ac in Capſulis ſeparatis conſerventur, ut ab aliis manutergiis diſtinguantur.

Vela calicum ſint Serica, & non linea, nec alterius materiæ abſque Serico, longitudinis duorum palmorum cum dimidio, & figuræ quadratæ in numero ſufficienti quinque colorum, ſcilicet Albi, Rubei, Viridis, Violacei, & nigri, & ſerventur in capſulis peculiaribus, quorum ornatiora deſerviant pro diebus ſolemnibus. Sint etiam tria vela ſerica magna, unum album, aliud rubeum, & aliud violaceum pro Subdiacono in Miſſa ſolemni, cujus longitudo ſit undecim palmorum, & latitudo quanta eſt illa veli; Conopæa magna pro tegendo Tabernaculo Sanctiſſimi Sacramenti, erunt quatuor colorum, ſcilicet Albi, rubei, viridis, & violacei. Conopæa autem parva, quibus Pixis Sanctiſſimi Sacramenti tegitur, omnia ſint albi coloris. Burſæ Calicum, ſeu corporalium, ſint unius palmi, & figuræ quadratæ ſint numero ſufficienti quinque colorum, & poſſunt eſſe unius coloris ex una parte, & alterius coloris ex altera,

Ritual. Rom.

ſint in capſalis peculiaribus, & ornatioria pro diebus ſolemnioribus ſerventur.

Suarez 3. part. tom. 3. diſt. 82. ſect. 2.

Planetæ Pluvialia, Dalmaticæ, Tunicellæ, ſtolæ, Manipuli, Cingula, & Pallia, ſeu paramenta Altarium ex diverſis materiis eſſe poſſunt, erunt tamen in numero ſufficienti quinque colorum. Planetæ longitudo erit quinque palmorum, & latitudo trium, à parte anteriori habeat ſimilitudinem Crucis, & à parte poſteriori ſimilitudinem Columnæ, & introrſum habeat funiculos, quibus alligetur. Pluvialis longitudo erit ſex palmorum, vel ſex cum dimidio. Pluvialia ſint in numero quinque colorum, ſcilicet albi, rubei, viridis, violacei, & nigri, in Armario ad hoc deputato ſerventur. Sed propter Armariorum penuriam, poterunt plicari, & inter alias veſtes ſacras locari, advertendo tamen quod ejus poſterior pars non debet eſſe plicata. Dalmaticæ, & Tunicellæ longitudo debet eſſe quinque palmorum, & latitudo quatuor, cum floſculis, quorum manicæ ſubtiles eſſe debent, & non apertæ, nec funiculis ligatæ, eruntque in numero ſufficienti quatuor colorum, ſcilicet, albi, rubei, violacei, & nigri ſi fieri poterit. Stolæ longitudo erit decem palmorum, & manipuli longitudo trium cum dimidio, aut quatuor, quorum latitudo erit medii palmi, habeantque in medio, & in extremitatibus Crucem figuræ quadratæ, & decens eſſet ſi manipuli haberent funiculum, quo ligarentur, ne ipſi lacerentur, eruntque Stolæ, & Manipuli in numero ſufficienti pro Celebrantibus, & miniſtris, Stolæ latioris Diaconi longitudo erit ſeptem palmorum, & latitudo unius palmi cum dimidio, color erit violaceus, Cinguli longitudo erit decem palmorum ad minus, in quorum extremitatibus erunt flocci.

Pallia, ſeu paramenta Altarium ſint ſemper telaribus affixa, & extenſa, & ſic etiam in armario ſerventur, fimbria, ſeu frangia Palliorum, ſi aderit, diſtabit à plano Altaris per ſpatium unius palmi. Adſit linteum pal-

marium

marium cooperiens faciem pallii à parteSuperiori,ne Armarium pallii ornamentum conſumat, & debent eſſe in numero ſufficienti, ita ut ſingula Altaria habeant pallia quatuor ſaltem colorum, ſcilicet albi, rubei, viridis, & violacei.

Albæ, Amictus, & Superpellicea debent eſſe linea, & non alterius materiæ, Albæ longitudo erit ſeptem palmorum, vel ſex cum dimidio, & latitudo quatuordecim. Amictus latitudo erit quatuor palmorum, & longitudo trium, à parte ſuperiori in medio erit Crux acu elaborata, & in extremitatibus ſuperioribus erunt cordulæ tantæ longitudinis, quibus celebrans facilè ſe cingere poſſit. Superpelliceorum, ſeu cottarum longitudo erit quinque palmorum, & latitudo viginti quatuor, eorumque manicarum latitudo erit trium palmorum, & ſint numero quinque ad minus.

Sit in aliquo loco Celebrantibus commodo inſtrumentum ligneum, ex quo pendeant ſudariola, cujuslibet Celebrantis Conventualis, & deſuper ſint purificatoria, & inſcriptio numeri, ſint etiam alia pro Sacerdotibus exteris.

Tabellæ ſequentes erunt in Sacriſtia ſemper appenſæ, ſcilicet Tabella ex carta Pergamena cum inſcriptione ſacrarum Reliquiarum ejuſdem Eccleſiæ; Tabella ex eadem carta, ſeu index Miſſarum, Anniverſariorum, legatorum, & piarum voluntatum, quæ fratres noſtri ex onere injuncto Celebrare tenentur, ubi ſit deſcriptus Menſis, dies, & Altare, ut pro eis ritè ſatisfieri poſſit. Tabella feſtorum de præcepto, & ex conſuetudine loci. Tabella in qua ſint deſcripta nomina Sacerdotum, ut Sacriſta ſciat, qui ſint Celebraturi. Pagina etiam Cæremonialis pro Miſſa privatim celebranda, erit in Sacriſtia.

Libri infraſcripti ſemper in Sacriſtia erunt, ſcilicet Liber Miſſarum, in quo ex una parte ſcribantur eelemoſynæ quotidianæ Miſſarum, & ex altera parte notentur Miſ-

Miſſæ à Sacerdotibus celebratæ, quarum ſingulis Menſibus Sacriſta rationem reddet. Libri Inventarii totius ſupellectilis Sacriſtiæ. Liber Confraternitatis, in quo omnes Confratres, centurati, & oblati noſtræ Congregationis, ſcribantur. Liber Mortuorum, in quo ex una parte ſcribantur nomina, & cognomina Defunctorum Fratrum noſtrorum, & ex altera parte nomina, & cognomina Sęcularium Defunctorum, qui in noſtra Eccleſia ſepeliuntur, notando diem, Menſem, & annum mortis, & ſepulturæ illorum: ſit etiam liber Ritualis Romani Pauli V.

Sit inſtrumentum ferreum pro Hoſtiis faciendis, habens Imaginem Chriſti Crucifixi. Sit Capſula ex ligno nucis, quod eſt humidum, longa, & lata, capiens ferratam hoſtiarum, intra quam ſit inſtrumentum ligneum linteo coopertum, ne Hoſtiæ curventur. Sint duo inſtrumenta ferrea, unum ad Hoſtias majores rotundandas; & aliud pro minoribus, ſint duo vaſcula, unum pro conſervandis Hoſtiis majoribus, in cujus fundo erit pagina alba, vel aliquid ſericum, & intra vaſculum erit inſtrumentum plumbeum ſerico obvolutum pro Hoſtiis comprimendis. Aliud etiam vaſculum erit pro aſſervandis Hoſtiis minoribus. Erit etiam linteum retibus confectum ad expurgandas à fragmentis Hoſtias minores priuſquam conſecrentur.

Crux proceſſionalis lignea cum tribus clavis, & guttis ſanguinis, & ſpinea corona, ac tituli inſcriptione. Vaſculum aquæ benedictæ cum aſperſorio ex auricalco, vel argento, pro aſperſione facienda. Inſtrumentum pacis, ideſt Imago ejuſdem materiæ, vel depicta pro oſculo pacis. Thuribulum cum navicula, & cochleari ex eadem materia. Quodlibet Miſſale habeat decem ſignacula ad minus longitudine palmi Miſſale excedentia, & die Sabbati concinnenda. Pulvinaria, ſeu Cuſſini ponendi ſuper Altaria tempore Miſſarum ſint numero ſufficienti quinque colorum pro ſufficientia Celebrantium. Ampullæ

ſint

ſint vitreæ, vel Criſtallinæ, & non ex alia materia, propter pericula, quæ accidunt in conſecratione, ſint pares, & ſimiles, habeant coopercula, & ſint numero ſufficienti. Pelviculæ pro ampullis erunt terreæ, vel vitreæ, aut ex auricalco, & infundo planæ. Vas vitreum pro purificatione populi, communione peracta. Manutergiola pro *lavabo* in Miſſis, & ſudariola cingulis Celebrantium appendenda ſint linea, & in numero ſufficienti. Campanulæ pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti ſint etiam in ſufficienti numero.

Candelabrum pro cereo Paſchali erit ſex palmorum altitudinis, candelabrum triangulare nigrum pro Matutinis tenebrarum habebit quindecim clavos, cujus altitudo uſque ad ſummitatem triangularis erit decem palmorum. Tobaleæ, ſeu Mappæ Altarium omnes erunt lineæ in numero ſufficienti, & à Prelato noſtro loci benedictæ. Tobaleæ etiam pro Communione populi erunt lineæ. Stragulæ, ſeu coopertoria Altarium, ſint linea, aut lanea, aut pellicea viridis, aut rubei coloris ſecundum numerum Altarium, quorum longitudo, & latitudo Altaris planum totaliter cooperiat. Pannus niger pro abſolutione ad Tumulum poſt Miſſam Defunctorum. Vas peculiare, in quo Calices, & alia vaſa ſacra, corporalia, Pallæ, & Purificatoria abluantur.

De qualitate, & uſu Paramentorum. Cap. III.

Paramenta Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum debent eſſe coloris convenientis officio, & Miſſæ diei, ac functioni peragendæ ſecundum uſum Eccleſiæ Romanæ, quæ quinque coloribus ſolummodò uti conſuevit. Scilicet albo, rubeo, viridi, violaceo, & nigro, & ideo nullus alius color eſt permittendus, ſed tanquam ab Eccleſia prohibitus, eſt abolendus, ſupradictis coloribus Fratres noſtri utentur, prout habetur in Rubricis Miſſalis: nigro verò colore utantur in feria ſexta *Miſſ. rub. 18*

ta

ta in Paraſceve ad officium, Miſſam, & Proceſſionem, ac etiam in omnibus Miſſis, officiis, Proceſſionibus, Abſolutionibus, & Exequiis Defunctorum. Diebus in quibus adhibendus eſt color niger, violaceum adhibere, non eſt inconveniens, ob defectum nigri. In Exequiis Parvulorum, non dum ſexennium attingentium, Stola alba ſemper utetur.

Dum Sacerdos celebrat Miſſam, ſemper utitur Planeta, etiam in feria ſexta in Paraſceve. Pluviali utitur in Proceſſionibus, & Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, *Miſſal. rubr. 19. num. 1.* & etiam in officio Veſperarum, Matutini, & Laudum; quando ſolemniter dicuntur. In Abſolutione ad Tumulum poſt Miſſam ſolemnem Defunctorum. In aſperſione aquæ benedictæ quæ fit die Dominico ante Miſſam ſolemnem. Cum Celebrans utitur Pluviali, ſemper deponit Manipulum, & ubi Pluviale haberi non poteſt in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, & in aſperſione aquæ *Miſſal. rubr. 19. num. 4.* benedictæ die Dominico, ac in Abſolutione ad Tumulum, Celebrans ſtat ſine Planeta cum alba, & ſtola ſine Manipulo.

Sacerdos Celebraturus Miſſam, induens ſe veſtibus ſacris, recitabit orationes in Miſſali aſſignatas, non autem cum illis induitur pro Veſperis, vel aliis functionibus, & accipiens Amictum, Manipulum, & Stolam in eorum medio, ubi eſt Crux ſemper oſculabitur; Reliqua verò Paramenta ſine oſculo accipiet. Miniſtraturus *Rit. Rom.* Euchariſtiæ Sacramentum ſtolam coloris officio, ſeu tempori convenientis, ſupra Superpelliceum habeat, & ante Sanctiſſimum Sacramentum diſcoopertum aſſiſtens orando, ſtola alba ſuper Superpelliceum utetur, & Euchariſtiam ab alio ſumens ſtolam ſupra Tunicam habebit. Miniſtraturus extremæ Unctionis Sacramentum, aut faciens benedictionem aquæ benedictæ, vel in feria quarta cinerum imponens cineres, ſemper ſtola violacea ſuper Superpelliceum utatur.

Diaconus in Miſſa ſolemni utitur Dalmatica, & Subdiaco-

diaconus Tunicella, quæ eſt ejuſdem formæ cujus eſt Dalmatica Diaconi, niſi quod ſtrictiores, longioreſque aliquantulum manicas habet. Diaconus, & Subdiaconus in Proceſſione, & Benedictione Candelarum, & in benedictione cinerum in feria quarta Cinerum, & in Dominica Palmarum, ac in feria ſexta in Paraſceve, & in Sabbato Sancto utentur Planetis ante pectus plicatis, ſicuti à Septuageſima uſque ad Sabbatum Sanctum. In Benedictione autem panis Sancti Nicolai de Tolentino utentur Dalmatica, & Tunicella. Hujuſmodi Planetæ ante pectus plicatæ erunt ejuſdem formæ, qualitatis, & benedictionis, ſicuti Planetæ Celebrantis, plicatæ tamen ante pectus erunt, ut Miniſtri commodè miniſtrare poſſint. Subdiaconus, dum dicitur ultima Oratio, Planetam ante pectus plicatam deponit in manibus Accolythi, qui illam ſuper credentiam locat, & ſic Alba, & Manipulo indutus cantat Epiſtolam, qua finita, oſculataque Celebrantis manu, dat Miſſale Accolythi, & reaſſumit Planetam ante pectus plicatam, Accolytho adjuvante. Dum dicitur Graduale, vel Tractus Diaconus exuitur Planeta plicata, adjuvante Accolytho, qui illam ſuper credentiam ponit, & accipit Stolam latiorem, qua deficiente accipit eandem Planetam Diaconi complicatam ad modum ſtolæ, vel aliam jam complicatam, quam humero ſiniſtro Diaconi, ac ſuper ſtolam tranſverſam adaptat, & ſub brachio dextero funiculis convertit, & ſic alba, Manipulo, & Stola ordinaria, ac latiori, ſeu Planeta complicata indutus miniſtrabit, uſque ad peractam Communionem, & delato Miſſali Celebrantis per Diaconum ad cornu Epiſtolæ, ipſe Diaconus ſtolam latiorem, ſeu Planetam complicatam ad modum ſtolæ, prope credentiam deponit, Accolytho adjuvante, & induitur, ut prius Planeta ante pectus plicata. In minoribus autem Eccleſiis, in quibus hujuſmodi Planetæ haberi non poſſunt, diebus prædictis Diaconus, & Subdiaconus non utentur Planetis plicatis, *Cerem. Epiſ. lib. 1. cap. 10.*

ſed in albis manebunt, ſcilicet Diaconus cum Amictu, alba, cingulo, Manipulo, & ſtola ab humero ſiniſtro pendente ſub dextero, & Subdiaconus cum amictu, alba, & cingulo, & manipulo. Thuriferarius, & Accolythi ſemper utentur Superpelliceis, ſeu cottis, & nullo modo Rocchettis, cum ſint veſtes Prælatorum Sæcularium.

Miſſ. rit. 1. n. 2. Cær. Epiſ. lib. 1. cap. 3.

In feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus, Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, & omnia Altaria Eccleſiæ ornabuntur Paramentis coloris officio convenientis. Ad Veſperas Altaris paramenta ſemper erunt coloris convenientis officio illius, de quo Veſperæ, ſive totæ, ſive à Capitulo Celebrantur. In feſtis ſimplicibus à primis Veſperis uſque ad Nonam, Altaria palliis coloris officio convenientis operientur: Nam ſi fieri poteſt paramenta omnium Altarium ſemper ſint ejuſdem coloris propter majorem pulchritudinem, & ornatum Eccleſiæ, cum ſic ejus partes ſemper appareant uniformes.

Uſus Eccl. S. Petri Romæ.

Si Vigilia infra aliquam octavam venerit, Paramenta Altaris majoris erunt convenientia officio, quod celebratur in Choro, aliorum verò Altarium erunt violacea per totum tempus, quo Miſſæ celebrantur, quia Miſſæ erunt de Vigilia cum paramentis violaceis, & commemoratione octavæ, niſi eo die fiat officium de aliquo Sancto, & ſimiliter dicendum eſt de feria quatuor Temporum infra aliquam octavam occurrente, quia feria quatuor temporum præcedit Vigiliam (excipitur tamen octava Pentecoſtes.)

In omnibus Miſſis votivis: Paramenta Celebrantis ſemper erunt convenientia Miſſis, quæ dicuntur. Paramenta autem Altaris erunt convenientia officio, quod celebratur, niſi Miſſa votiva celebretur ſolemniter, tunc enim Altaris pallium cum Miſſa convenire debet toto tempore, quo Miſſa celebratur. In Miſſis Defunctorum, quæ poſt horam primam, ſeu nonam cantari ſolent, Altare operiatur pallio nigro, & peracto

Offi-

Officio mortuorum, ſtatim amoveatur.

Pluvialia, & Altaris pallia, ſeu paramenta ad nullum alium uſum deſervire debent, niſi ad quod facta ſunt, & ideo ad ornandum Pulpitum, aut ſcamnum, vel genuflexorium Prælati, vel Principis nunquam debent adhiberi.

De numero, & qualitate Candelarum in Miſſis, & aliis divinis Officiis adhibendarum. Cap. IV.

SUper Altare majus ſemper ſint ſex integri Cerei, ſeu Candelæ convenientis proportionis. In ſolemnioribus feſtivitatibus per totum diem, quando non dicuntur Veſperæ, vel Miſſa Solemnis, duæ ſaltem Candelæ ardebunt ſuper Altare majus.

In feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis ad primas, & ſecundas veſperas, & ad Miſſam Solemnem accenduntur ſex Cerei ſuper Altare, alia vero luminaria ſuper Parietes, ſeu Oſtiola Chori accendi poterunt. In Dominicis, & aliis diebus feſtivis ad ſecundas Veſperas quatuor Candelæ accenduntur, ſed removeantur duo Candelabra, at verò in Miſſa ſolemni Dominicæ Palmarum: accenſi ſex Cerei eſſe debent.

Ad Veſperas, & Completorium, & ad horas prandium immediate præcedentes ſemper duæ ſaltem candelæ ardeant ſuper Altare majus, etiam in diebus ferialibus, niſi impoſſibilitas Conventus obſtet. Ad Matutinum ſolemne, quod canitur cum Pluviali, ſex candelæ ſuper Altare majus accendi debent, & ſuper altare Chori ſint ſaltem quatuor candelæ accenſæ. In Miſſis privatis cujuſcumque diei duo tantum Candelæ ſuper Altare ardebunt, exceptis Miſſis Epiſcoporum, Vicarii noſtri Generalis, Provincialis in ſua Provincia, & aliorum Prælatorum, in quibus quatuor accenduntur.

In Commemoratione omnium fidelium Defunctorum ad Veſperas, & Matutinum, ac ad Miſſam Solemnem,

& dum canitur Miſſa Defũctorum in die obitus Fratrum noſtrorum, & etiam ſæcularium, qui in Eccleſiis noſtris ſepeliuntur. In exequiis,& in abſolutione ad Tumulum, candelæ erunt ceræ communis, id eſt pallidi, croceique coloris, poſſunt etiam eſſe ceræ albæ, juxta conſuetudinem locorum.

In Matutinis Tenebrarum triduo majoris Hebdomadæ,& in officio Miſſæ Feriæ ſextæ in Paraſceve, candelæ erunt cerę communis. In aliis autem officiis cãdelę erunt ceræ albæ. Accolythi ad Veſperas, & Miſſam ſolemnem deferent candelas ſuper candelabra ponderis quinque unciarum ad minus. Pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſis ſolemnibus accenduntur duo candelabra ante Altare manentia; In Miſſis autem privatis accenditur Intorticium à parte Epiſtolæ.

De Miſſa Solemni. Cap.V.

Miſſa Solemnis cum Diacono, & Subdiacono in præcipuis Solemnitatibus, ut ſupra dictum eſt celebrari debet. Miſſa autem Solemnis illa eſt, quæ cum Diacono, & Subdiacono cantatur, nam Miſſa cantata ſine his Miniſtris Sacris non eſt Solemnis, quia in ea deeſt id, quod ad Solemnitatem conducit, adeoque in illa debet fieri commemoratio ſimplicis,ſi feſtum, de quo Celebratur Miſſa, ſit ſecundæ Claſſis; Nam talis commemoratio in duplicibus ſecundæ Claſſis omittitur ſolum in Miſſa Solemni; Dum canitur in Choro hora tertia Celebrans, & omnes miniſtri ſint in Sacriſtia; & lotis manibus, Celebrans à Turiferario, & Miniſtri ab Accolythis adiuti, Sacris veſtibus ſe induant. Thuriferarius ad Credentiam deferet omnia, quæ pro Miſſa Solemni erunt neceſſaria; ut infra *habetur cap. de Credentia*. Accolythi accendent ſex candelas in Altari, & duas in candelabris ab ipſis deferendis.

Biſſ. de Miſſ. ſolem. pag. 91. litt. M. 237. §. 2.

Finita hora tertia, vel alia hora juxta temporum quali-

litatem, Celebrans paratus cum Miniſtris, ante quam exeat de Sacriſtia, ſtans verſus Imaginem principalem ejuſdem Sacriſtiæ in recta linea cum Miniſtris, nudo cap ite imponit, & benedicit incenſum in Thuribulo, miniſtrante naviculam Diacono pariter nudo capite, & Thuriferario Thuribulum. Quo facto, ipſe Celebrans, & omnes alii adhuc nudo capite, profundè ſalutant Principalem Imaginem Sacriſtiæ, & ſtatim Celebrans caput cooperit, qui à Miniſtris Sacris, detectis capitibus, Salutatur, quibus ipſe Celebrans capite cooperto, aliquantulum ſe inclinat, & tunc Miniſtri Sacri caput cooperiunt, & ſtatim omnes procedunt, & niſi facienda ſit aſperſio ſolemnis, Celebrans aſpergat ante oſtium Sacriſtiæ miniſtros; poſtea procedunt ad Altare Inceſſu gravi, & oculis demiſſis, primus omnium Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, poſtea duo Accolythi in ſimul cum Candelabris accenſis, deinde Subdiaconus, & poſt eum Diaconus, & ultimo Celebrans, ſi ipſe eſt planeta indutus; quia cum Celebrans eſt Pluviali paratus, pergit medius inter Diaconum, & Subdiaconum. Celebrans ſimul cum Miniſtris, ſcilicet Diacono, & Subdiacono ibi capite cooperto, & manibus junctis ante pectus. Cum venerint ante infimum Altaris gradum, Thuriferarius ſiſtat in medium parum longè ab Altari, primus Acolythus in cornu Epiſtolæ, & ſecundus in cornu Evangelii, Subdiaconus à parte Evangelii, & Diaconus à parte Epiſtolæ; ita tamen, ut Accolythi ſint ultimi, & ſi Celebrans egreditur per Oſtiolum Evangelii, cum ipſe, & Diaconus pergunt ad medium, Accolythus, & Subdiaconus paululum recedant à gradu, ut ante eos tranſeant, & Celebranti ſe inclinent. Celebrans, & miniſtri diſcooperiunt capita, & Thuriferarius retrò cucullum aptabit. Dum Celebrans debitam facit Altari reverentiam, Miniſtri & Accolythi, ſimul omnes recta linea in plano genuflectunt, & Thuriferarius poſt terga Celebrantis, & ſic omnes ſimul debitam facient reveren-

Biſſ. de Celeb. pag. 165. litt. C. 197. Bauld. p. 3. c. 11. de Miſſ. ſolem. a. 4. n. 1. & 2.

Cær. Epiſc. lib. 2. cap. 3.

Cær. Epiſc. lib. 2. cap. 8.

retiã. Acoly thi facta cũ aliis genuflexione, ſtatim cãdelabra accenſa ſuper Credentia deponunt, & genuflectunt.

Si eſt dies Dominicus, fiat aſperſio aquæ benedictæ, prout habetur in hoc libro *cap. de aqua benedicta*; Celebrans medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, facta Altari debita reverentia, ſubmiſſa voce incipit Miſſam, cum Celebrans ſe ſignat, & ipſi ſe ſignent, & quoties Celebrans ſe inclinat, Miniſtri etiam ſe inclinent, præterquam *ad Confiteor Deo*, dum dicitur à Celebrante, & *ad Miſereatur tui*, dum dicitur ab eis. Cum Celebrans ad Confeſſionem percutit ſibi pectus ipſi non ſe percutiunt. Dum Miniſtri dicunt *Confiteor Deo* inclinant Caput, ſed non Celebrans, & cum ipſi dicunt, *Tibi Pater*, & *Te Pater*, caput verſus Celebrantem inclinant. Finita Confeſſione, Accolythi ſurgunt. Celebrans dicens ſecreto. *Aufer à nobis*, aſcendit manibus junctis cum Miniſtris ad medium Altaris cum Miniſtris Sacris elevantibus Albam, & aliquantulum etiam veſtem anteriorem; Diaconus quidem manu ſiniſtra illam elevat, dextera admota pectori; Subdiaconus vero manu dextera, pectori admota ſiniſtra. Dum Celebrans junctis ſuper Altare manibus, dicit, *Oramus te Domine*, *&c.* miniſtri ſupra ſupremum Altaris gradum conſiſtent.

Celebrans, oſculato Altari ponit incenſum in Thuribulo, & benedicit, miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario Thuribulum, & incenſat Altare, ut habetur *in hoc libro cap. de modo incenſandi*; Diacono à dextris, & Subdiacono à ſiniſtris aſſiſtentibus, & Planetam elevantibus. Incenſato latere Epiſtolæ, primus Accolythus defert Miſſale apertum ad Altare. Finita incenſatione Celebrans in cornu Epiſtolæ reddit Thuribulum Diacono, & ſtans inter Miſſale, & medium Altaris, ipſe ſolus triplici ductu ab eo incenſatur. Subdiaconus pergens per gradus, ſiſtit à ſiniſtris Diaconi dum celebrantem incenſat.

Po-

Poſtea Celebrans, exiſtente diacono à dextris ejus, & Subdiacono à dextris Diaconi, legit ſolus ſubmiſſa voce in cornu Epiſtolæ introitum; Miniſtri autem ſimul cum Celebrante ſe ſignant, & ad *Gloria Patri*, ſe inclinant, & cum Celebrante ibidem permanente, dicunt alternatim, *Kyrie eleyſon* manibus ante pectus junctis, ſi tempore, quo in Choro cantatur *Kyrie*, Celebrans, & Miniſtri non ſedeant, (quod convenit, ſi eſſet Sacramentum expoſitum, & etiam, niſi cum Muſica, Miſſa cantetur; de quo alibi) dum in Choro cantatur penultimum, *Kyrie eleyſon*, Celebrans, & miniſtri ibi in cornu Epiſtolæ ſe ſiſtant in recta linea, unus poſt alium, & tali ordine procedant ad medium Altaris, & ſuo tempore Celebrans clara, & ſonora voce intonat Hymnum *Gloria in Excelſis Deo*, elevans ac jungens manus: Miniſtri vero Sacri ad Verbum, *Deo*, caput inclinent, poſtea dum in Choro inchoatur *& in terra pax*, non prius, aſcendunt ad Altare, & ſimul cum Celebrante, Hymnum ſubmiſſa voce uſque ad finem proſequuntur, caput ſimul cum Celebrante inclinant, & in fine cum eodem ſe ſignant, ibique maneant, uſque ad cantatum Hymnum à Choro, & circa ejus finem, (quod etiam ſervatur circa finem ſymboli) Diaconus, & Subdiaconus adhuc apud Altare ſuper ſuppedaneum exiſtentes, unico genu Cruci genuflectunt, & mox pergunt poſt terga Celebrantis.

Biſſ. ibidem. pag. 168. §. 13. Miſſ. de rit. ſect. tit. 4. n. 7. Gavant. hic &c. Bauld. p. 3. in hac rubric. cap. 11. a. 5. n. 1.

Gavant. to. 1 p. 2. tit. 4. n. 7. Biſſ. ibid. §. 14. Bauld. n. 7. ibidem.

Cantato Hymno, Celebrans oſculatur Altare, & canit, *Dominus vobiſcum*, & redit ad librum in cornu Epiſtolæ, & Miniſtri ſtant poſt eum recta linea unus poſt alium, etiam dum canitur oratio, vel Orationes, & quando opus eſt, caput ſicut Celebrans inclinant: Primus Accolythus accipit à Credentia Miſſale, & dat Subdiacono, qui facta genuflexione, tenens ibi librum, cantat Epiſtolam, quam Celebrans cum reliquis, uſque ad *Munda Cor meum*, excluſivè, in eodem cornu Epiſtolæ, legit, aſſiſtente ibi Diacono à dextris, qui ibi ſtabit, donec Celebrans incæperit Evangelium. Celebrans legens ali-

aliquid privatè, vel recitans humili voce nunquam genuflectet, exceptis illis verbis Symboli, *& incarnatus eſt*, cum autem Subdiaconus, vel Diaconus, aut Chorus canunt aliquid, ad quod eſt genuflectendum, Celebrans cum Miniſtro, ſeu Miniſtris genuflectet.

Cantata Epiſtola, Subdiaconus redit ad Celebrantem in cornu Epiſtolæ, & genuflexus in ſupremo gradu extra Altare oſculatur dexteram Celebrantis ſuper Miſſale poſitam, ſiniſtra ſuper Altare manente, & ab eo facto ſigno Crucis nihil dicendo, benedicitur. Deinde Subdiaconus ſurgit, tradit Miſſale primo Accolytho, vel Diacono, & accipit Miſſale Celebrantis, quod defert cum Cuſſino ad cornu Evangelii. Interim Celebrans dicit ſubmiſſa voce in medio Altaris: *mũda cor meum*, &c. *Jube Domine*, &c. *Dominus ſit in corde*, &c. deinde in cornu Evangelii dicit ſubmiſſa voce: *Dominus vobiſcum*, & titulum Evangelii, ſignans Miſſale, & ſeipſum more ſolito, & junctis manibus legit Evangelium, aſſiſtente, & reſpondente ſibi Subdiacono à ſiniſtris ejus. Lecto à Celebrante Evangelio, Subdiaconus reſpondet: *Laus tibi Chriſte*, & deſcendit in planum ante gradus Altaris. Celebrans autem in fine non oſculatur Evangelium, neque dicit *per Evangelica dicta*. Diaconus, Celebrante Evangelium legente, accipit à primo Accolytho Miſſale, ſi ipſe prius à Subdiacono non accepit, & deferens illud Clauſum ante pectus ſuper Altare, quaſi jacentem locat. Interim Thuriferarius cum Thuribulo, & navicula, quem ſequuntur Accolythi cum candelabris, accedit ad Altare, & facta ab illis in medio genuflexione, ſurgunt, & expectant. Celebrans lecto Evangelio, ſtans in medio imponit incenſum in Thuribulo, & benedicit: Miniſtrante Diacono Naviculam, & Thuriferario Thuribulum, quo facto Celebrans ſtans parum à parte Evangelii vertit faciem ad Altare, uſque quo Diaconus genuflexus dicit: *Jube Domne benedicere*, tunc enim Celebrans in medio ſtans ad Diaconum Converſus, junctis

ma-

manibus, dabit ei benedictionem, dicens: *Dominus ſit in corde tuo*, &c., & cum in fine dicit: *In nomine Patris, & Filii*, &c. ſiniſtra infra pectus poſita, ſignum Crucis manu dextera producit ſupra Diaconum, quam mox ſuper Miſſale poſitam, Diaconus oſculabitur.

Deinde Diaconus ſurgit, & deſcendit ante gradus Altaris in medio, ubi cum Subdiacono à ſiniſtris genuflectit in plano, Thuriferario poſt eorum terga, & Accolythis hinc inde in plano ſimul cum ipſis genuflectentibus. Diaconus deferens Miſſale, ut ſupra, vadit ad locum Evangelii, præcedentibus Accolythis cum candelabris accenſis, & Subdiacono; Thuriferario poſt Diaconum remanente; Diaconus canit Evangelium, ut habetur *libro primo cap. de Diacono*; tenens Miſſale Subdiaconus medius inter Accolythos cum candelabris Accenſis.

Celebrans data benedictione Diacono, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtat facie ad Altare Converſa, donec Diaconus Evangelium canere incipiat, quo incipiente, ſtatim ſe vertit junctis manibus ante pectus verſus Diaconum cantantem, & ſic ſtat uſque ad finem. Cum Diaconus ſignans Miſſale, dicit: *Sequentia*, vel *Initium*, Celebrans ſimul cum eo ſe ſignat in fronte, ore, pectore, & ſimiliter, cum inclinandum, vel genuflectendum eſt, ſe inclinat, vel genuflectit verſus Crucem, aliique omnes in Choro facient ſimiliter. Cum canitur Evangelium, Thuriferarius poſt Diaconum manebit.

Cantato Evangelio, Accolythi deſcendunt, & facta genuflexione in medio, Candelabra ſuper credentiam ponunt. Subdiaconus defert Celebranti Miſſale apertum, ubi eſt principium Evangelii cantati, Celebrans ambabus manibus illud ſibi appropinquans, principium Evangelii oſculabitur, dicens: *per Evangelica dicta*. Subdiaconus claudit librum, & regrediens, Celebranti ſe inclinat, & dat Miſſale uni ex Accolythis, qui illud ad credentiam defert. Diaconus cantato Evangelio. accipit Thuribulum, & Celebrantem adhuc in cornu Epiſtolæ

 ſtan-

ſtantem triplici ductu thurificat, & redit Thuribulum Thuriferario. Si intra Miſſam Concionator debet prædicare, Celebrans ſimul cum Miniſtris facta inclinatione Altari, deſcendit, & vadit ad ſedendum.

Deinde Celebrans ſtans in medio Altaris verſus Crucem, ſtantibus poſt ejus terga miniſtris, intonat, ſi dicendum eſt, *Credo in unũ Deum*; Miniſtris factis genuflexionibus in propriis locis, aſcendunt ad Altare hinc inde, & ſimul cum Celebrante ſymbolum proſequuntur, dum dicunt verſum, *& Incarnatus eſt*, &c. Celebrans de more genuflectit uſque ad, *& homo factus eſt*, manibus hinc inde ſuper Altare poſitis ſe ſuſtentans; Miniſtri verò genuflectunt manibus junctis ante pectus, & Altare non tangentibus, & finito ab eis ſymbolo, factaque à Miniſtris genuflexione, & à Celebrante debita reverentia, pergunt ad ſedendum, deſcendendo per gradus collaterales Epiſtolæ, & ad ſcamnum oblongum à latere Epiſtolæ accedunt, ibique inter Diaconum à dexteris, & Subdiaconum à ſiniſtris Celebrans ſedet. Diacono, & Subdiacono ejus poſteriorem Planetæ partem elevantibus, ne ſuper illam ſedeat. Thuriferarius tamen ſuper gradus laterales Altaris inter Accolythos non ſedebit. Celebrãs, & Miniſtri ſtatim ut ſedẽt, capita cucullis cooperiẽt, cum ſurgunt ea diſcooperire debent. Dum in Choro canuntur illa verba, *& Incarnatus eſt*, Celebrans, & Miniſtri ſedendo, & caput aperiendo, profundè ſe inclinent, ſed in tribus Miſſis Nativitatis Domini, & in die Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ, Celebrans, & Miniſtri genuflectunt. Cantato à Choro verſu, *& Incarnatus eſt*, dictoque, *& homo factus eſt*. Diaconus defert Burſam ad Altare, extendit Corporale, & ad Celebrantem revertitur: Dum à Choro canitur verſus, *& vitam venturi ſęculi*, Celebrans, & Miniſtri veniunt per planum ante Altare in medio; Miniſtri genuflectunt, dum Celebrans debitam facit reverentiam, & ad Altare perventus illud oſculatur, quod ſemper faciet, dum de ſede,

Uſus Eccl. S. Petri Romæ.

Cerem. Epiſ. lib. 2. cap. 8.

Miſſ. rub. 17. num 3.

de, vel de Choro ad Altare aſcendit. Sed ſi aliqua rationabili de cauſa ſedere non poterunt, in Altari manebunt, & dum cantatur à Choro ℣. *& Incarnatus eſt*, Celebrans, & Diaconus à dexteris ejus, & Subdiaconus à ſiniſtris, æqualiter genuflectunt, ut ſupra. *Miſſ. rub. 17. n. 3.*

Cantato à Choro, *& homo factus eſt*, Diaconus facta prius genuflexione deſcendit, accipiat à credentia Burſam cum Corporali, procedit ad medium Altaris, & facta genuflexione ſupra infimum gradum aſcendit ad medium Altaris ad Celebrantis dexteram, extrahit corporale, & explicat in medium. Si non dicitur *Credo*, Subdiaconus, dicto *Oremus*, defert Burſam ſimul cum Calice, ut infra dicetur. Cantato ſymbolo, vel ſi non dicitur, incenſato Celebrante, ipſe oſculatur in medio, & dicit *Dominus vobiſcum* ſtantibus Miniſtris unus poſt alterum, & dicto *Oremus*, Diaconus poſt terga Celebrantis genuflectit, & aſcendit ad Altare ad dexteram illius, qui interim ſubmiſſa voce legit Offertorium; Subdiaconus autem præcedente primo Accolytho, vadit per planum ad credentiam, & per eundem Accolythum induitur velo oblongo ſuper humeros, & accipit Calicem, quem tegit extremitate veli, & defert ad Altare per gradus laterales, quem ſequitur primus Accolythus deferens pelviculam cum Urceolis. *Uſus Eccl. S. Petri Romæ.*

Diaconus detegit Calicem velo, accipit patenam cum hoſtia, deponit Pallam, & Patenam cum hoſtia dat Celebranti, qui hoſtiam offert more ſolito, dicens: *Suſcipe Sancte Pater &c.* & Patenam ſub corporale locat. Interim Subdiaconus extergit Calicem cum Purificatorio, Diaconus accepta ampulla vini, ponit vinum in Calicem, & Subdiaconus accepta ampulla aquæ eam oſtendens Celebranti, parum inclinatus, dicit humili voce: *Benedicite Pater Reverende*, qui facto verſus eam ſigno Crucis, dicit Orationem: *Deus qui humanę &c.* Interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem, quem Diaconus Celebranti dat, & cum eo dicit; *Offe-*

rimus tibi Domine, quem poſtea in Altari-poſitum, Palla cooperit. Acolythus interim pelviculam cum ampullis ad Credentiam reportat.

Deinde Diaconus Patenam in dextera Subdiaconi ſtãtis in cornu Epiſtolæ ponit, quam cooperit velo. Subdiaconus vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris in plano, & facta genuflexione, ſtat ibi ſuſtinens Patenam elevatam uſque ad Orationem Dominicam.

Cærem. Epiſc. lib. 3.

Dicto *Veni Sanctificator*, Celebrans ponit incenſum in Thuribulo dicens: *Per interceſſionem &c.* incenſat oblata, & Altare: *ut habetur in capite de Incenſatione*; aſſiſtente ſolum Diacono à dextris ejus. Cum Celebrans reddit Thuribulum Diacono, dicit: *Accendat in nobis &c.* Subdiaconus ſtat in plano poſt gradus in medio, & cum Celebrans inclinatur, vel genuflectit, ipſe nec inclinatur, nec genuflectitur. Diaconus Thurificato Celebrante, incenſat Chorum, & Subdiaconum tenentem Patenam, & reddito Thuribulo Thuriferario, incenſatur ab eo, à quo etiam incenſantur Accolythi, & populus, ut *habetur in cup. de incenſatione*. Celebrans cum incenſatus fuerit, lavat manus more ſolito, miniſtrante primo Acolytho ampullam aquæ cum pelvicula, & poſtea proſequitur Miſſam, ita tamen moroſè ſe gerat, ut Diaconus, qui Chorum incenſare debet, poſſit eſſe ad Altare cum in fine *Præfationis*, dicitur: *Sanctus*.

Eodem lib. 3.

Biſſ. pag. 169. l. C. §. 21.

Dum dicitur *Præfatio*, Diaconus, & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem, & paulo ante quam dicatur *Sanctus*, Diaconus facta genuflexione, aſcendit ad ſiniſtram Celebrantis, ubi ſolus cum eo dicit *Sanctus*, & quæ ſequuntur uſque ad Canonem, & ei aſſiſtit dum dicitur Canon, & folia libri vertit, cum opus eſt. Subdiacono cum patena ante gradus in medio remanente. Si autem Subdiaconus non tenet Patenam, aſcendit ad ſiniſtram, & Diaconus ad dexteram, & ſimul cum Celebrante dicunt *Sanctus &c.* Primus Accolythus dum dicitur *Sanctus* pulſat Campanulam more ſolito, & ſimul

Cær. Epiſc. lib. 1. cap. 10. & uſus Eccleſiæ S. Petri Romæ.

cum

cum ſecundo Accolytho accendunt candelabra magna ante Altare manentia.

Celebrans Canonem, & alia proſequitur, ut in Miſſa privata, niſi: quod Calix à Diacono diſcooperitur cum opus eſt. Dum Celebrans dicit: *Quam oblationem &c.* Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, & ad Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti elevat fimbrias poſteriores Planetæ, & diſcooperit, & cooperit Calicem. Subdiaconus interim ſtat genuflexus poſt terga Celebrantis. Primus Accolythus ad elevationem pulſabit campanulam more ſolito, & Thuriferarius incenſabit Sacramentum: Calice adorato, & repoſito ſuper Corporale, Diaconus redit ad librum, & Subdiaconus ſurgit. Dum Celebrans dicit: *Per quem hæc omnia*; Diaconus facta genuflexione Sacramento, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit, & cooperit Calicem, & ſimul cum Celebrante adorat.

Cum Celebrans incipit Orationem Dominicam, *Pater noſter*, Diaconus facta genuflexione vadit retrò poſt Celebrantem. Cum dicitur, *& dimitte nobis debita noſtra*, Miniſtri facta in propriis locis genuflexione, aſcendunt per viam breviorem ad Altare, ſcilicet Diaconus ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus ad dexteram Diaconi, & primus Accolythus retrò poſt Subdiaconum, & accepta à Diacono Patena, Accolythus accipit velum ab humeris Subdiaconi, & ad Credentiam defert. Subdiaconus ſtatim redit ad locum ſuum poſt terga Celebrantis; Diaconus abſtergit Patenam, quam dat Celebranti; illius manum oſculando, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, & cum Celebrante adorat.

Cum dicitur à Celebrante, *Pax Domini*, Subdiaconus facta genuflexione, aſcendit ad ſiniſtram Celebrantis, & cum eo, ac Diacono ſimul dicunt, *Agnus Dei, &c.* Sibi pectora percutientes: Deinde Subdiaconus facta ibidem genuflexione Sacramento, vadit poſt Celebrantem; ibique ſtat. Diaconus verò ad dexteram Celebrantis *Eod lib. 3.*

le-

lebrantis expectat pacem, qua accepta illam dat Subdiacono, qui eam in Choro dabit: ut *habetur in capite de modo dandi Pacem*. Diaconus poſt datam Pacem Subdiacono, vadit ad librum, ubi aſſiſtit ut prius, Subdiaconus poſtquam dederit Thuriferario pacem vadit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt diſcooperit, & cooperit Calicem, & genuflectit cum Celebránte. Dum Celebrans ſe communicat, ipſi ſtant manibus junctis profundè inclinati verſus Altare. Sumpto à Celebrante Sanguine. Subdiaconus acceptis ampullis ab Accolytho miniſtrat vinum, & aquam Celebranti. *Si facienda eſt Communio ſerventur ea, quæ habentur in cap. de modo Communicandi*.

Cær. Epiſc. eodem lib. 3.

Celebrante purificato, Diaconus & Subdiaconus mutent locum, & ideo eodem tempore diſcedant ab Altari, ut unus poſt alium ſimul in medio genuflectant. Diaconus Miſſale Celebrantis apertum cum pulvino defert ad cornu Epiſtolæ, reperit Communionem, & ſtatim vadit poſt terga Celebrantis. Subdiaconus facta genuflexione in medio poſt terga Diaconi, Calicem à latere Evangelii Purificatorio mundat, & cooperit; ut in Miſſis privatis, velo tamen excepto, & defert ad credentiam, facta prius in medio ante inferiorem gradum genuflexione: poſtea redit ad Altare, & ſtat poſt Diaconum, interim Accolythi debitis reverentiis extinguunt intorticia. Celebrans oſculato Altari in medio, Canit: *Dominus vobiſcum*, & Orationem, vel Orationes. Finita ultima Oratione, dictoque à Celebrante *Dominus vobiſcum &c.* Diaconus vertit ſe ad Populum, & canit: *Ite Miſſa eſt*, ſi dicendum eſt. Quo cantato per eandem viam lateris Epiſtolæ ipſe, & Celebrans vertunt ſe ad Altare. Si autem non eſt dicendum, loco ipſius canet: *Benedicamus Domino*, facie ad Altare verſa.

Miſſal. rit. 17. n. 7.

Dicto, *Placeat*, Diaconus genuflectit à latere Epiſtolæ, & Subdiaconus à latere Evangelii, & Accolythi in plano. Celebrans ſemel tamen benedicit Populum, eo

dem

dem modo, ut in Miſſis privatis, & tunc miniſtri, & Accolythi ſe ſignent ſigno Crucis. Poſtea ſurgunt omnes, Subdiaconus aſſiſtit Celebranti dicenti Evangelium, *In principio*, ſimul cum Celebrante ſe ſignat, & tenet Tabellam Evangelii ſuper Altare èrectam ante illum; Diaconus verò ſtat à parte Epiſtolæ, facie ad Celebrantem verſa. *Ad Verbũ Caro factum eſt*, omnes Miniſtri in locis ſuis genuflectant. Si autem eſſet dicendum aliud Evangelium, Subdiaconus dicto per Diaconum, *Ite Miſſa eſt*, Miſſale apertum cum cuſſino defert ad cornu Evangelii, ibique aſſiſtit.

Benedictione à Celebrante accepta, Accolythi accipiunt Candelabra accenſa, & aſſiſtunt hinc inde facie ad Altare verſa. Finito Evangelio, Subdiaconus reſpondet *Deo gratias*. Tunc Celebrans cum Miniſtris accedit ad medium Altaris, & ſimul faciunt convenientem reverentiam, & deſcendunt per ultimum gradum, ibique in plano ſimul cum eis, & Accolythis facit debitam reverentiam, ut in principio, & coopertis capitibus, ordine quo venerant, ad Sacriſtiam revertuntur; ubi Diaconus, & Subdiaconus detectis capitibus, ſe Celebranti hinc inde inclinant, qui eoſdem capite cooperto, & aliquantulum inclinato, reſalutabit. Celebrans deinde veſtibus Sacris ſe exuit à Thuriferario adiutus, quod ſimiliter facient Diaconus, & Subdiaconus Adjuvantibus Accolythis.

De Miſſa, quæ canitur cum Tribus tantum Accolythis. Cap. VI.

SI Miſſa abſque Diacono, & Subdiacono cantari debet; Dum canitur hora tertia, Accolythi ſex candelas in Altari accendent; Thuriferarius interim præparabit Credentiam, *ut habetur infra cap. de Credentia*. *Cær. Episc. lib. 3.*

Finita Tertia, Celebrans procedet ad Altare, *ut dictum*

Biſſ. Bauld ut ſupra. *ctum eſt in ſuperiori capite*, pręcedente Thuriferario cum Thuribulo fumigante, ſequentibus Accolythis cum candelabris accenſis, & ultimò Celebrante manibus junctis, qui facit Altari convenientem reverentiam: Acolythis inde in plano, & Thuriferario poſt terga Celebrantis ſimul genuflectentibus. Facta genuflexione, Accolythì candelabra ſupra Credentiam deponunt. Si eſt dies Dominicus, fit Aſperſio aquæ benedictæ: *ut habetur in cap. de aqua benedicta*. *Eod. lib. 3.* Celebrans facta Altari debita reverentia, facit Confeſſionem, Accolythis hinc inde facie ad Altare verſa, parum poſt eum genuflexis reſpõdentibus, & Thuriferario à parte Epiſtolæ propè Credentiam erecto ſtante. Advertant Accolythi, quoties ante Altare erecti, vel genuflexi manent, quod primus Accolythus ſemper ſtat à parte Epiſtolæ, & ſecundus à parte Evangelii.

Finita Confeſſione, Celebrans aſcendit ad Altare, quo oſculato, ſtans in ejus medio, vertit faciem ad cornu Epiſtolæ, & incenſum more ſolito ponit in Thuribulum, miniſtrãte cum debitis oſculis naviculam primo Accolytho in ſupremo gradu à dextris Celebrantis inclinato, & Thuriferario ad dexteram Accolythi inclinato ſimiliter cum oſculis Thuribulum, *ut habetur in cap. de Incenſatione*. Poſito incenſo in Thuribulo ſecundus Accolythus accipit naviculam à primo Accolytho. Dum incenſatur Altare Thuriferarius à dextris, & primus Accolythus à ſiniſtris Celebrantis, aliquantulum retrò, poſteriorem partem Planetæ aliquantulum ſublevatam, Thuriferarius ſiniſtra manu, & Accolythus dextera uſque ad finem Incenſationis Altaris tenebunt, & quoties Celebrans incenſando, ſe Cruci inclinat, ipſi ſemper genuflectunt licèt ibi non ſit Sanctiſſimum Sacramentum. Secundus Accolythus depoſita Navicula ſuper Credentiam, expectat à parte Epiſtolę, & cum Celebrans incenſaverit planitiem Altaris à parte Epiſtolæ, ipſe accepto à Credentia Miſſale Celebrantis aperto cum Cuſſino, po-

nit

nit illud ſuper Altare in Cornu Epiſtolæ.

Thurificato Altari Thuriferarius ſtans à latere Epiſtolæ extra Altare accipit cum oſculis à Celebrante Thuribulum, parumque retrograediens in plano, vel ſupra ultimum gradum à parte Epiſtolæ, factis debitis inclinationibus, antea, & poſtea, triplici ductu Celebrantem ſolummodò Thurificat, & facta ibidem genuflexione cum Thuribulo diſcedit, dum Celebrans dicit Introitum, & *Kyrie eleyſon*, primus Accolythus aſſiſtit à dextris ejus ſtans in ſecundo gradu, deinde deſcendit ad planum ante cornu Epiſtolæ ſtante ſecundo Accolytho in plano ante cornu Evangelii. Si debet dici *flectamus genua* Celebrans id dicet, & primus Accolythus, *Levate*, reſpondebit. Celebrans intonabit, ſi dicendum eſt, *Gloria in Excelſis*, & canet Orationem, vel Orationes. In Miſſis ſolummodò Defunctorum, & diebus Jejuniorum, dum dicitur Oratio, vel Orationes, Accolythi hinc inde genuflexi manent.

Dum dicitur ultima Oratio, primus Accolythus, ſi eſt Clericus, ſicuti eſſe debet, ſin minus Thuriferarius facta Altari genuflexione, in medio ante ultimum gradum accipit ambabus manibus Miſſale in Credentia poſitum, & pergens ad Altare, iterum genuflectit in medio, & in cornu Epiſtolæ ante gradus Altaris *cantat Epiſtolam*, tenens Miſſale propriis manibus, qua finita non oſculatur manum Celebrantis, ſed facta iterum in medio genuflexione, librum ad Credentiam reportat. Dum cantatur Epiſtola, Celebrans illam ſubmiſſa voce legit cum graduali, aſſiſtente ei ſecundo Accolytho, ſi eſt Clericus, vel primo Accolytho ſi eſt Laicus, à latere ipſius cornu Epiſtolæ, qui in fine Epiſtolæ reſpondit Celebranti, *Deo gratias*, & etiam transfert cum pulvino Miſſale Celebrantis ad cornu Evangelii.

Miſſal. rit. 6. n. 8.

Dum in Choro canitur graduale, Celebrans benedicit incenſum ut ſupra, poſtea dicit *munda cor meum &c.* ut in Miſſis privatis. Interim Accolythi acceptis candelabris

labris cum candelis accenſis, facta genuflexione, hinc inde ante Altare conſiſtunt. Thuriferario cum Thuribulo ſine navicula in medio ſtante. Circa finem gradualis, cum Celebrans eſt iturus ad cantandum Evangelium in cornu Evangelii, Thuriferario in medio ante Altare remanente, Accolythi facta ſimul genuflexione, pergunt ad cornu Evangelii extra Altare, & ibi conſiſtunt faciebus ad Celebrantem verſis: Miſſale autem Celebrantis in medio eorum erit.

Finito Chori cantu, Celebrans dicit: *Dominus vobiſcum*, & ſignans librum dicit: *Sequentia &c.* accipit Thuribulum à Thuriferario, & librum triplici ductu Thurificat, ita expeditè, ut poſt reſponſionem Chori, ipſe ſtatim Evangelium proſequatur. Incenſato libro, Thuribulum Thuriferario reddit, qui perget poſt gradus in medio Accolythorum, & Thuribulum leviter ducet, ne ignis extinguatur.

Cantato Evangelio, primus Accolythus ſubmiſſa voce reſpondet: *Laus tibi Chriſte*: & ſtatim Accolythi facta Celebranti inclinatione, & in medio ſimul genuflexione, Candelabra ſuper Credentiam deponent. Celebrans oſculatur Miſſale, & à Thuriferario triplici ductu incenſatur, deinde in medio Altaris cantat; *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*; Thuriferarius cum Thuribulo diſcedit. Celebrans ſubmiſſa voce proſequitur *Symbolum uſque ad finem*. Dum à Choro canitur ℣. *Et Incarnatus eſt &c.* genuflectit ut in Miſſis privatis. Accolythi verò in plano uſquè *ad homo factus eſt* incluſivè. Alio verò tempore Accolythi, dùm dicitur, *Credo*, ſtabunt erecti.

Uſus Eccleſiæ S. Petri Romæ.

Finito verſu omnes ſurgunt, primus Accolythus ſi eſt Clericus, ſin minus Thuriferarius vadit ad Credentiam, accipit manu ſiniſtra Calicem, cum Purificatorio, Patena, Hoſtia, Palla, velo parvo coopertum, & Burſam intus habentem Corporale plicatum, ponitque dexteram ſuper Burſam, ne aliquid in terram cadat, & defert Calicem ad Altare, incedens per breviorem viam, id eſt

per

per gradus laterales Epiſtolæ, & genuflexione facta ante infimum gradum, ponit Calicem ſuper Altare parum à parte Epiſtolæ; ibique genuflexione facta deſcendit in planum cornu Epiſtolæ. Dum primus Accolythus, & Thuriferarius defert Calicem ad Altare ſecundus Accolythus eum ſequitur cum pelvicula, & ampullis de Credentia acceptis, & Miniſtrat Celebranti, ut in Miſſis privatis. Aqua in Calicem poſita, ſtatim pelviculam cum ampullis ad Credentiam reportat.

Interim Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula venit ad Altare, & facta in medio ſimul cum primo Accolytho genuflexione, aſcendunt ad Altare, & genūflectunt, & Celebrans ponit incenſum in Thuribulo, & benedicit dicens: *Per interceſſionem*, &c. Celebrans accepto Thuribulo à Thuriferario incenſat *oblata*, deinde *Crucem*, poſtea *Altare*, eodem modo, & ordine, *ut dictum eſt in cap. de incenſatione*: Cum reddit Thuribulum Thuriferario dicit *Accendat in nobis*, &c., & ipſe incenſatur triplici ductu ut in principio Miſſæ. Deinde Thuriferarius facta ante Altare in medio genuflexione, incenſat Chorum, & Accolythos Altaris, deinde Populum, *ut habetur in citato capite*. *Cær.Epiſc. Eod.lib.3.*

Secundus Accolythus repoſita Navicula ſupra credentiam, dum Celebrans incenſat latus Epiſtolæ ipſe accipit Miſſale Celebrantis cum pulvino, & ſubſtinet uſque ad peractam incenſationem lateris Evangelii, & poſtea in loco ſuo reponit, & ſtatim facta in medio genuflexione, accipit à credentia pelviculam cum ampulla aquæ, & Celebrante incenſato, miniſtrat ei aquam ad *lavabo*, & poſitis his omnibus ſuper credentiam redit ad locum ſuum lateris Evangelii. Dum dicitur à Celebrante: *Orate Fratres*, Accolythi in plano genuflectunt, & reſpondent *Suſcipiat Dominus*, &c. quo finito, ſtatim ſurgunt, & hinc inde conſiſtunt.

Cum Celebrans dicit, *Sanctus*, primus Accolythus erectus pulſabit campanulam more ſolito, & ſtatim

Accolythi accendunt ſimul intorticia in candelabris ante Altare, vel in pariete poſitis, quilibet ex ſuo latere. Interim Thuriferarius egreditur per oſtiolum Evangelii, & facta ante infimum gradum lateralem Epiſtolæ genuflexione, ponit incenſum in Thuribulo abſque benedictione, & genuflexus in ſecundo gradu lateris Epiſtolæ, verſa facie ad latus Evangelii, dum elevatur Hoſtia conſecrata ter ducens Thuribulum illam incenſat, ſingulis ductibus correſpondentibus ictibus Campanulæ, à primo Accolytho dextera manu more ſolito pulſatæ, factis ante, & poſt profundis inclinationibus, & ſimiliter faciet ad elevationem Calicis. Dum elevatur Sanctiſſimum Sacramentum, primus Accolythus ſiniſtra manu, & ſecundus Accolythus dextera Celebrantis Planetam genuflexi elevabunt.

Finita elevatione Sanctiſſimi Sacramenti, Thuriferarius facta genuflexione ante infimum gradum lateralem Epiſtolæ, recedit, & Thuribulum, & Naviculam in Sacriſtia deponit, nec amplius reaſſumit; Accolythi verò ſurgunt, & ſtant hinc inde erecti (niſi Miſſa ſit pro Defunctis, vel pro diebus Jejuniorum, in qua genuflexi manebunt uſque ad Communionem) Celebrans cantat *Orationem Dominicalem*, *Pax Domini*, &c. reſpondente ſubmiſſa voce primo Accolytho: *& cum Spiritu tuo*, dicto *Agnus Dei*, Thuriferarius accipit per Inſtrumentum à Celebrante pacem, quam ſimiliter per Inſtrumentum in Choro dabit, & poſtea Accolythis ante Altare manentibus, ordine deſcripto *in cap. de modo dandi pacem*.

Si facienda eſt Fratrum noſtrorum generalis Communio, ſerventur ea, quæ *in cap. de modo communicandi dicta ſunt*. Communicatis omnibus, vel ſi non ſit Communio, ante ſumptionem ſanguinis, ſurgit ſecundus Accolythus, & acceptis ampullis de credentia, miniſtrat Celebranti, ut in Miſſis privatis. Celebrans purificat Calicem Purificatorio, & cooperit parvo velo, & Burſa, & collocat in medio Altaris more ſolito. Interim Thurife-

Eod. lib.

ra-

rarius defert Miſſale Celebrantis ad cornu Epiſtolæ, Accolythi Intorticia Cādelabrorum ante Altare manentium ſimul extinguunt, & ſtant erecti hinc inde ante Altare, & poſtea removent inſtrumenta extinctoria.

Celebrans canit, *Dominus vobiſcum*, & Orationem, vel Orationes, & *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, reliqua verò dicit ſubmiſſa voce, aut ſecreto, ut in Miſſis privatis. Thuriferarius in fine Miſſę miniſtrat Celebranti Tabellam Evangelii, & ſi dicendum erit aliud Evangelium præter conſuetum *Sancti Joannis In principio*, &c. Thuriferarius defert Miſſale ad latus Evangelii, ibique aſſiſtit. Cum Celebrans dat benedictionem, Accolythi genuflectunt in plano ante Altare, & factis in medio debitis genuflexionibus, accipiunt de credentia candelabra accenſa, vadunt ante Altare, & ſimul genuflexionem faciunt. Cum Celebrans dicit: *Et Verbum caro factum eſt*, omnes Miniſtri genuflectunt.

Finita Miſſa, Celebrans manibus junctis deſcendit ante infimum gradum, ibique in medio Accolythorum, & Thuriferarius poſt terga Celebrantis, omnes, & ſimul debitam faciunt reverentiam, ut in principio Miſſæ, & eo modo, ac ordine quo venerant, ad Sacriſtiam revertuntur; In qua Celebrans à Thuriferario adjutus, ſacris veſtibus exuitur. Deinde Thuriferarius, vadit ad Altare, accipit Calicem, & quæ pro Miſſa ſolemni ad credentiam detulerat, in Sacriſtiam defert. Accolythi depoſitis, & extinctis candelabris, redeunt ad Altare, & extinguunt candelas, *ut dictum eſt in capite de officio Accolythorum*.

De Miſſa, quæ canitur cum uno ſolum Accolytho. Cap. VII.

DUm dicitur hora tertia, Accolythus lotis manibus, & Superpelliceo indutus, accendit quatuor candelas ſuper Altare, & portat Miſſale ad cre-

credentiam pro Epiſtola cantanda, & Cuſſinum ſuper Altare in cornu Epiſtolæ, & adjuvat Celebrantem ſacris veſtibus ſe induentem. Accolythus Celebrantis Miſſale ad Altare defert, & Celebrans Calicem eo modo, & ordine quo in Miſſis privatis. Si eſt dies Dominicus fit aſperſio aquæ benedictæ, *ut habetur in cap. de aqua benedicta*. Incenſum nunquam defertur ad Altare, quia in tali Miſſa Thurificare quamplurima producit inconvenientia.

Cær. Epiſ. Eod lib. 2.

Ad Confeſſionem. Accolythus genuflexus reſpondebit ut in Miſſis privatis. Dum Celebrans canit orationem, Accolythus accipit Miſſale de credentia, & cantat Epiſtolam ante infimum gradum ipſius cornu Epiſtolæ. Cantata Epiſtola non oſculabitur manum ipſius Celebrantis, ſed Miſſale ſuper credentiam reponit, & accipiens Miſſale Celebrantis, illud transfert ad cornu Evangelii.

Ad Evangelium accendet candelabra in cornibus graduum Altaris, vel in pariete manentia, quæ finito Evangelio extinguuntur, & ſimiliter accendantur ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti à dicto *Sanctus* uſque ad Communionem peractam. Reliqua verò omnia efficiuntur, ut in Miſſis privatis. Finita Miſſa, & depoſitis à Celebrante ſacris veſtibus, Accolythus extinguat cereos in Altari, & quæ ab Eccleſia ad Sacriſtiam deferenda ſunt, deferet.

De Prima Miſſa Sacerdotis noviter Celebrantis. Cap. VIII.

PRima Miſſa noſtrorum Sacerdotum ſolemniter dici debet, ſed antequam ad eam dicendam admittantur, omnia, quæ ad Miſſæ Sacrificium, ejuſque Cęremonias pertinent diligentiſſimè diſcant, ideoque non ſolum ea quæ in Miſſali continentur, ſed etiam quæ ſequuntur, quotidiè legant.

Bur-

Burſa enim, in qua omninò corporale plicatum includatur, ita ſuper velum ponant, ut pars aperta Celebrantem reſpiciat, velo anteriori ſuper eam revoluto, ut Calix commodius ferri queat à Sacerdote ad Altare. Sacerdos Celebrans Miſſam debet eſſe crepidatus, calceatus, aut neceſſitate poſcente ſaltem cum ſandaliis. Amictus ponatur ſuper Caputium, & interim ſummum, & rigoroſiſſimum ſilentium obſervetur, ſudariolum Cingulo à latere dextero omninò adaptet, & pendere faciat, & nunquam ſuper Calicem, qui per nodum accipiendus eſt, deferat, non ſalutando, neque aliquem reſalutando per viam; Quod ſi magnates aliquis ei fiat obvius, caput non detegat, ſed tantum inclinet. In infimo gradu, ſeu pavimento, vel plana terra faciet Cruci profundam inclinationem, vel Sanctiſſimo Sacramento genuflexionem. Quandocumque in Matutino dictum eſt, *Te Deum laudamus*, ſemper in Miſſa dicitur *gloria in excelſis Deo*, præterquam in Miſſa feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati Sancti, in quibus dicitur *Gloria in excelſis*, quamvis in Matutinis non ſit dictum *Te Deum laudamus*, excepta etiam Miſſa Rogationum.

In Miſſis, quæ de aliquo Sancto dicuntur, eo die, quo ejus feſtum occurrit, licet de eo non Celebretur officium, & ex devotione dicatur, dici tamen debet *Gloria in excelſis*, quia non ſunt Miſſæ votivæ, ſed feſtivæ.

Semper dicitur à Celebrante *Dominus vobiſcum*, licet ſolus ſit Miniſter in Eccleſia, quia tunc Celebrans Eccleſiam alloquitur, & Eccleſiam in Eccleſia ſalutat. Concluſio autem ultimæ orationis in cornu Epiſtolę terminanda omninò eſt.

Si Miſſa privata coram Prælato fuerit celebranda, Sacerdos ad Altare ante ejus acceſſum vadit, Calicemque præparat in medio, reperit Miſſam, ſiſtit ſe extra Altare à parte Evangelii, & Prælato venienti facit debitam reverentiam, accedit ad Altare ante infimum gradum à cornu Evangelii facie verſa ad cornu Epiſtolæ, ubi genufle-

Uſus Capel. Summi Pontif. & Eccl. S. Petri Romæ.

nuflexus ſi eſt coram Summo Pontifice, coram aliis verò Prælatis ſtans, expectat benedictionem, ſeu ſignum, & dato ſigno erigit ſe, ſi eſt genuflexus, & genuflectit verſus Altare, & Summum Pontificem unica genuflexione; coram aliis verò Prælatis unica profunda inclinatione inclinabitur, & ſtans erectus aliquantulum verſus Altare, incipit Miſſam.

Si Prælatus Celebrantem ad Altare expectaverit, Calice per Sacriſtam in Altari præparato, Miſſaque in Miſſali ſuper cornu Epiſtolæ reperta, Celebrans manibus junctis procedit ad Altare per latus Evangelii, ſi Prælatus eſt genuflexus ſuper genuflexorio ibi parato ante medium Altaris, vel à parte Epiſtolæ prout convenit; ſed ſi fortè eſt à parte Evangelii Celebrans pergit per latus Epiſtolæ, & ſi Prælatus longe diſtat ab Altari, Celebrans tranſeundo, illum profundè ſalutabit. Si autem Prælatus eſt prope Altare, tunc Celebrans prius faciet convenientem reverentiam Altari, & poſtea Prælato, & ſic etiam faciendum eſt finita Miſſa; Celebrans ſtans ante infimum gradum Altaris in cornu Evangelii, ſi Prælatus non eſt in eadem parte, quia tunc Celebrans in cornu Epiſtolæ conſiſtere debet, ſignum expectabit.

Miſſ. rit. 3. n. 8.

Ad *Confiteor Deo*, ubi Celebrans dicit, *vobis fratres*, dicat *tibi Pater*, & ſimiliter in fine ubi dicit: *vos fratres*: dicat, *Te Pater*, quod dicens, Summo Pontifici, genuflectit, aliis Prælatis profunde ſe inclinat. Dicto *Oremus*, ante *Aufer à nobis*, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit ſecretò: *Aufer à nobis*, ut in ordine Miſſæ, & more ſolito proſequitur Miſſam. Finito Evangelio Celebrans non oſculatur librum, neque dicit: *Per Evangelica dicta*, defertur enim liber oſculandus per Miniſtrum Prælato, ut *habetur in cap. de officio Miniſtri in Miſſa privata, coràm Prælatis*.

Miſſal. rit. 3. n. 11.

Miſſal. rit. 3. n. 2.

Lib. 1.

Dicto *Agnus Dei* Miniſter defert cum inſtrumento

pa-

pacem Prælato eodem modo, quo dictum eſt *in cap. de modo dandi Pacem.* In fine Miſſæ Celebrans dicto *benedicat vos Omnipotens Deus*,&c. convertens ſe ad Summum Pontificem genuflectit, ad alios verò Prælatos faciet eis profundam reverentiam, poſtea ſtans Capite inclinato, quaſi licentiam petens benedicendi, proſequitur *Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus*, benedicens adſtantes à parte, ubi non adeſt Prælatus; ſed ſi Prælatus eſt in medio, Celebrans benedictionem verſus partem Evangelii dabit. *Cerem. Epiſ. lib.1.c.30.* *Miſſ. rit. 12. n.3. & Cær. Epiſ. lib.1. c. 30.*

Finito Evangelio in fine Miſſæ, convertit ſe ad Prælatum,coram quo Celebravit, & faciet ei convenientem reverentiam, ſcilicet genu uſque ad terram Summo Pontifici, & profundam aliis Prælatis, accipit Calicem capite aperto, & deſcendit more ſolito, facie tamen ad Prælatum verſa, & facit convenientem reverentiam Altari, & poſtea Prælato: deinde cooperit caput, & pergit ad Sacriſtiam.

In Miſſis Defunctorum, non defertur liber oſculandus Prælato, neque inſtrumentum Pacis.

Cardinali Protectori Congregationis noſtræ publicè, vel privatim ad noſtras Eccleſias accedenti, omnes preeminentiæ tanquam Legato deferri debent.

Cæremoniæ in prædicto Capitulo deſcriptæ ſemper obſerventur quotieſcumque, & ubicumque Celebratur Miſſa coram Summo Pontifice, aut Cardinali quamvis Diaconus, & non Sacerdos fuerit, etiam in Eccleſiis Cathedralibus aliorum Epiſcoporum, & in Eccleſiis Regularibus etiam exemptis, in quibus Cardinalis non habet Juriſdictionem, quia ſi coram Cardinali non ubique, ſed ſolum in loco ſuæ Juriſdictionis, eſſent hæ Cerimoniæ faciendæ; ſequeretur quod non eſſent faciendæ Cardinali, ut Cardinali, ſed ut Legato, aut Epiſcopo, & ſic ſuperfluum eſſet in Miſſali illud verbum coram Cardinali. *Miſſ. rit. 12. n.5. & Cær. Epiſc. lib. 1. c. 10 & Uſus Eccleſ. S. Petri Romæ.*

Serventur etiam hæ Ceremoniæ coram Legato Sedis

Apoſtolicæ, Nuntio, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo in eorum Provincia, Diœceſi, Reſidentiis, Civitate, vel loco Juriſdictionis, aut Legationis exiſtentibus. Extra autem hæc loca hæ Ceremoniæ minimè ſerventur, ſed dicatur Miſſa coram eis more ſolito, & ordinario, tanquam ſi nullus eſſet Prælatus prædictus, hoc ſolum excepto, quod finito Evangelio in fine Miſſæ ſtatim Celebrans convertit ſe ad Prælatum, coram quo celebravit, & facit ei profundam reverentiam, & accipit Calicem, &c.

Miſſ. rit. 12. n. 5.

Si aliquis Princeps, ſeu Principiſſa in locis ſuæ Juriſdictionis ad noſtram accedit Eccleſiam, dicatur Miſſa modo ordinario, nunquam eis Principibus Sęcularibus Celebrantis liber præbeatur oſculandus, ſed ad ſummum hoc ſolum fiat, quod eis *pax cum Inſtrumento deferatur*, & finita Miſſa, Celebrans, faciat ei, vel eis debitam reverentiam antequam Calicem accipiat.

Evangelium S. Joannis *In principio*, nunquam prætermittitur in fine Miſſæ, etiam ſi dicatur Miſſa votiva in Dominica *pro Oratione* 40. *horarum*, & de ea officium factum ſit. Si verò in aliqua Dominica, vel feria, quæ habet Evangelium proprium, officium fiat de Feſto, tunc in fine Miſſæ legitur Evangelium Dominicæ, vel feriæ excepta Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Miſſæ quando in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in officio lectum eſt. Finito ultimo Evangelio, nunquam oſculatur Miſſale, licet ſit Evangelium Dominicæ, vel Feriæ. Commemorationes fiunt proùt in Miſſali.

Miſſ. rub. 13. n. 12.

Prò prima Miſſa Altare Ornetur paramentis coloris convenientis, ut in Feſtis primæ Claſſis, ſex cerei accendantur ſuper Altare. Ad primas, & ſecundas Veſperas, & ad Miſſam ſolemnem pulſentur Campanæ prout in feſtis primæ Claſſis, & ſecundæ Veſperæ ſolemniter cum Pluviali Celebrentur. In Miſſa ſolemni aliqui ex ſenioribus, & in Cæremoniis verſati officium Diaconi, &

Conſt. noſtr. p. 2. c. 8.

Sub-

Subdiaconi facient, ut novum Sacerdotem juvare poſſint. Communio generalis Fratrum noſtrorum, & Sæcularium fiat in Miſſa, ſed nullus oſculabitur Celebrantis manum publicè in Eccleſia, nec etiam cum Sacramentum percipit. Finita Miſſa, fieri poteſt ſermo de Sacerdotali dignitate.

Si hæc prima Miſſa privatè dicitur, in Altari majori Celebrabitur, & Cærimoniarius Superpelliceo tantùm indutus ſine Stola ſemper aſſiſtet. Quando proceditur ad Altare, Miniſter Miſſale defert, ſequitur Cærimoniarius capitibus diſcoopertis, deinde Celebrans cum Calice capite cooperto. Cæremoniarius ad Confeſſionem ſtabit genuflexus ad dexteram Celebrantis, facie ad Celebrantem converſa. Deinde ſemper ſtans, aſſiſtit ad librum, & cum Celebrante ſe inclinabit, & genuflectet, prout opus erit; quaſi illum præcedens in omnibus actionibus à Celebrante faciendis.

Ad Conſecrationem Hoſtiæ, & Calicis Cærimoniarius inclinatus aſſiſtit ad librum: dùm autem Sacramentum elevatur genuflexus erit. Ad *Domine non ſum dignus*, ſtabit profundè inclinatus. Ad benedictionem, erit genuflexus; In reliquis partibus Miſſæ aſſidue ad librum aſſiſtet; Celebrantem ſi opus fuerit docendo. Dum fit Communio, Cæremoniarius ad ſiniſtram Celebrantis aſſiſtet, & procedet, non tamen Patenam tenebit. Et ſimiliter faciet per octo dies continuos ſequentes, dum novus Sacerdos in Oratorio, vel Eccleſia ſine Præſentia Secularium celebrat. Miniſter verò ſe geret, ut in aliis Miſſis privatis ordinariis.

Finita Miſſa, qui in Sacriſtia erunt, manum Celebrantis oſculentur. Celebrans per totum illum diem Hebdomadarii fungetur officio, & in omnibus communitatis actibus primum locum poſt Priorem, tenebit.

De Miſſa privata, quæ Celebratur in Altari, in quo Sanctiſſimum Sacramentum eſt diſcoopertum. Cap. IX.

SI in Altari, in quo Celebrandum eſt, Sanctiſſimum Sacramentum diſcoopertum apparet, quod quidem rariſſimè fiat, Celebrans pergens ad Altare, aperiat caput antequam ad medium Altaris perveniat, hoc eſt in cornu ultimi gradus, & ante Altare in medio genuflectitur utroque genu ante infimum gradum in plano, caputque Sacramento inclinat, aſcendit ad medium Altaris, & iterum genuflectit dextero genu, collocat Calicem ſuper Corporale in medio Altaris, quoniam Sanctiſſimum Sacramentum ſemper debet eſſe elevatum ab Altari, ſed ſi Calix impedit Sanctiſſimi Sacramenti conſpectum, collocetur à latere Epiſtolæ uſque ad Offertorium, quod ſimiliter faciet Communione peracta. Priuſquam diſcedat à medio, genuflectit, & in cornu Epiſtolæ ad Altare ſemiconverſus reperit Miſſam, & facta genuflexione in medio, deſcendit ad medium Altaris in plano, ubi iterum facta genuflexione, incipit Miſſam. *Biſſ. litt. M. n. 222. §. 1.* Finita Confeſſione, nulla facta genuflexione, aſcendit ad Altare, ubi ſtatim genuflectit unico tantum genu, & manibus junctis ſuper illud, inclinatus dicit: *Oramus te Domine*, & ad illa verba *quorum reliquiæ hic ſunt*, expandens manus ſuper Altare, illud deoſculatur, & dicto, *Amen*, iterum genuflectit.

Lecto Introitu, genuflectit in medio, & dicit: *Kyrie eleiſon*, ad *Dominus vobiſcum*, non vertit ſe ad Populum in medio Altaris, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, & oſculato Altari in medio, factaque genuflexione, vertit ſe à parte Evangelii, & ibi aliquantulum verſus Sacramentum dicit: *Dominus vobiſcum*, & ſic etiam dicit, *Orate Fratres*, & iterum facta genuflexione in medio, tendit ad orationem dicendam. *Ad Oremus*, & ad

Je-

Jeſum verſus Sanctiſſimum Sacramentum ſe inclinet, dum Orationem dicit, verſus Sanctiſſimum Sacramen- aliquantulum conſiſtat.

Finita Epiſtola cum graduali, & aliis, in medio genuflectit, ſurgit, & dicit: *Munda cor meum*, & quæ ſequuntur, & iterum genuflexione facta, accedit ad Evangelium legendum more ſolito. Si in Miſſa à Celebrante ſermo faciendus eſt, finito Evangelio, ipſe in cornu Evangelii capite diſcooperto, ſtabit erectus, & ad Sanctiſſimum Sacramentum aliquantulum verſus.

Finito Sermone, vel Evangelio, factaque in medio genuflexione, dicit: *Credo*, ſi dicendum ſit, & *Dominus vobiſcum*, ut ſupra, atque ad medium reverſus, genuflectit, & *Oremus*, ac Offertorium dicit, &c. poſtquam obtulerit Hoſtiam, genuflexionem facit, quam etiam faciet, antequam offerat Calicem, & priuſquam ad manus abluendas eat, iterum genuflectit.

Ablutionem digitorum faciet totaliter extra Bradellam Altaris, ſtans ſcilicet in primo gradu ad Altare ſemiconverſus, ne terga verſus Sanctiſſimum Sacramentum habeat, poſt ablutionem genuflectat in medio, & antequam ſe vertat ad dicendum: *Orate fratres*, iterum genuflectat. Ad *Orate fratres*, non complet circulum, ſed per eandem viam revertitur, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, & rediens ad medium, genuflectit, & ſecreta, & alia in medio ſtans, dicet.

Sumpto Sanguine, Celebrans genuflectit in medio, & ſumit purificationem à parte Epiſtolæ ad Altare converſus, & in eodem cornu Altari abluit digitos, & ablutionem ſumit, ibique digitos, os, & Calicm tergit, ac collocat Calicem ſuper Altare, ut in principio Miſſæ. *Cærem. Eccl. Rom. lib. 2. ſect. 1. c. 44.*

Poſtea dicit: Communionem, deinde *Dominus vobiſcum*, & Orationem, genuflectens ut ſupra, dicit: *Ite Miſſa eſt* (ſi dicendum eſt) eodem modo, quo dicitur, *Dominus vobiſcum*, dicit: *Placeat tibi*, &c. oſculatur Altare, & dicit: *Benedicat vos*, &c. genuflectit, & ver-

tens

tens ſe à parte Evangelii ibi dat benedictionem more ſolito; ſed non complet Circulum, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, & ideo rediens eadem via, non tamen ad medium, facie converſa ad latus Evangelii, dicit: *Dominus vobiſcum*, & ibi legit ultimum Evangelium, in cujus initio Celebrans non ſignat Altare, ſed tantum ſeipſum more ſolito. Dummodò Evangelium in libro *Biſſ. litt. G. n. 28. §. 1.* non legat, tunc enim librum ſignet: ad illa autem verba; & *Verbum Caro factum eſt*. Celebrans genuflectat aliquantulnm verſus Librum.

De Miſſa Solemni, coram Sanctiſſimo Sacramento diſcooperto. Cap. X.

CElebrans, & Miniſtri procedent ad Altare ut ſupra, & genuflectent ante, ſed non poſt Confeſſionem, qua Completa aſcendant ad Altare, ubi genuflectunt, & ſtatim Celebrans inclinatus dicit: *Oramus te Domine &c. ut cap. præcedenti dictum eſt*, & deoſculato Altari, retrocedens verſus cornu Evangelii, Thus ſine oſculis in Thuribulum immittit, & benedicit more ſolito, & genuflexus, Sanctiſſimum Sacramentum, triplici ductu Thurificat, facta antea, & poſtea profunda reverentia, & ſurgens thurificat Altare. Incenſato Altari, Celebrans deſcendit ad ſupremum Altaris gradum, & ibi non habens terga ad Sanctiſſimum Sacramentum, à Diacono triplici ductu Thurificatur.

Celebrans lecto Evangelio ſubmiſſa voce in cornu Evangelii, ſtans in eadem parte, thus in Thuribulum ante Evangelium immittet, & benedicet more ſolito ſine oſculis, ibique Diacono benedictionem pro Evangelio dabit. Deinde genuflectit in medio, & ſiſtit ſe in cornu Epiſtolæ. Finito Evangelio, librum à Subdiacono porrectum oſculatur, & à Diacono, ut ſupra, Thurificatur.

In hac Miſſa ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti, ſedere nullo modo convenit, ſed ſi propter concionem

longam audiendam, vel debilitatem Celebrans ſtare non poſſit, ſedebit capite diſcooperto, & cum ad ſedendum pergit, ac etiam cum redit, genuflexionem faciet ſupra Bradellam, & ante gradus in medio Altaris ſimul cum Miniſtris exhibebit.

Dicto *veni Sanctificator*, Celebrans ſtans ut ſupra, imponit thus in Thuribulum, & benedicit, eoque accepto, ſine aliqua genuflexione, more ſolito *oblata* Thurificat: deinde *Sanctiſſimum Sacramentum* genuflexus, & poſtea *Altare*, denique *ipſe* Thurificatur, qui & abluit manus ut ſupra.

Cum Diaconus dicturus eſt, *Ite Miſſa eſt*, non vertit ſe ad Populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, ſed à latere Evangelii.

De Miſſa Votiva Solemni. Cap. XI.

IN omnibus Miſſis votivis, quæ ſolemniter Celebrantur pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa; Paramenra Altaris, & Celebrantis erunt ejuſdem coloris: tunc enim Altaris paramenta cum Miſſa conveniре debent. Quocumque die etiam Dominico, aç dupplici, (exceptis feſtivitatibus primæ, & ſecundæ Claſſis) poteſt dici Miſſa votiva Solemnis prò re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa: non autem miſſa privata; licèt ſit pro eadem cauſa; poteſt etiam fieri incenſatio, & dari pax.

Res gravis eſt, cum Miſſa votiva dicitur pro Celebratione Capituli, non ſolum in Conventu, in quo Capitulum Celebratur, ſed in omnibus aliis totius Religionis, Congregationis, vel Provinciæ. Dicitur etiam res gravis cum Miſſa pro ſalute univerſali; vel pro aliqua neceſſitate non levi alicujus Principis, vel Reipublicæ, aut Communitatis, celebratur. Publica Eccleſiæ cauſa eſt, quando Miſſa pro electione Summi Pontificis, vel Epiſcopi in ſua Diæceſi, pro victoria impetranda, vel conſe-

quuta,

quuta, pro pace inienda inter Principes, & pro gratiarum actione Pacis initæ dicitur, & Celebratur.

Miſſal.rub. 8.n.4.& rub. 9. n. 14. & Cær. Epiſc. lib.1.c.ultim.

Dicitur *Gloria in Excelſis*, *&* *Credo* cum una tantum Oratione, licèt ſit dies Dominicus, aut feſtivus. Si Miſſa dicitur de Spiritu Sancto, Celebrans & miniſtri ad verſum: *Veni Sancte Spiritus &c.* genuflectunt uſque ad finem. Circa autem Præfationem obſerventur ea, quæ dicuntur in *Miſſali de Miſſa votiva privata*; in fine Miſsæ ſemper dicitur, *Evangelium S. Joannis, In Principio &c.* licet fuerit dies Dominicus.

Miſſal.rub. 17.n.3.

Cær.Epiſc. lib.1.c.ultim.

Quando ex Populi pietate, & frequentia, ac laudabili conſuetudine celebratur aliqua votiva feſtivitas B.Virginis Marię, ut S.Mariæ de Gratia, ſeu de Angelis, & aliæ poteſt cantari Miſſa votiva Beatæ Mariæ, quæ tnnc temporis eſt à Miſſali aſſignata, cum una Oratione ſolum, *cum Gloria in Excelſis*, *Credo*, *&* *Præfatione* Beatæ Mariæ. Miſſæ autem privatę dicentur de Beata Maria Virgine ſine *Gloria in Excelſis*, (ſi extra Sabbatum Celebrantur) & ſine *Credo*, dicenturque plures Orationes, quarum ſecunda erit de officio currenti: Vel dicantur Miſſæ privatæ de eo, de quo factum eſt officium cum Commemoratione Beatæ Virginis Mariæ, &c.

Miſſal.rub. 9. n. 14. & rub.8.n.4.& rub. 11.

In aliis autem Miſſis Solemnibus votivis, quæ non Celebrantur pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ, Principis, aut Communitatis cauſa, *ſemper dicuntur plures Orationes*, quarum ſecunda erit illius, de quo fit officium, & non dicitur *Gloria in Excelſis*, neque *Credo*.

De Miſſa privata pro Defunctis. Cap. XII.

MIſſæ Defunctorum dicuntur à principio uſque ad finem, eo modo, & eiſdem verbis, prout in Miſſali habentur, nihil penitus mutando, neque in perſona neque in genere, neque in numero, licet Miſſæ dicantur pro pluribus, vel pro uno tantum, etiam præſente Corpore Defuncti, & ideo Introitus ſemper dicitur

citur in numero plurali, *Requiem æternam dona eis*, & nunquam dicitur *ei &c.*

Miſſæ privatę pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, & dum dicit Rubrica Miſſalis, quod Miſſæ privatæ pro Defunctis non poſſunt dici in feſtis duplicibus, nec in diebus Dominicis, multo minus dici poterunt in illis diebus, in quibus duplex primæ Claſſis occurrens transferri debet, ut in Vigilia Nativitatis Domini noſtri, & feria quarta Cinerum, nec à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis, neque à Vigilia Pentecoſtes incluſivè, uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, nec non infra Octavam SS. Sacramenti, S. P. N. Auguſtini, & in Vigilia Epifaniæ ex novo Sac. Rit. Cong. decreto. *Miſſal. rub. 5. n. 2.* *Sac. Rit. Cōgreg.*

Poſſunt nihilominus in aliquo feſto duplici, quod non eſt de præcepto tolerari Miſſæ de *Requiem*, ut teſtatorum voluntates adimpleantur. *Sacr. Congreg. 1607. & 1626.*

Quando dicenda eſt Miſſa pro obitu, ſeu depoſitione alicujus Defuncti abſentis, cujus dies mortis ignoratur; vel tunc non eſt dies tertia, nec ſeptima, vel trigeſima ejus depoſitionis, Miſſa dicitur ut in die depoſitionis, cum una tantum Oratione, quæ eſt in Miſſali aſſignata, pro diebus Tertia, Septima, & trigeſima, non proferendo aliquem diem determinatum, ſed dicendo cujus depoſitionis diem commemoramus.

De Miſſa Solemni pro Defunctis. Cap. XIII.

PRima die cujuslibet Menſis, (extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) non impedita officio duplici, vel ſemiduplici, dicitur Miſſa principalis, ſeu Conventualis pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis, id eſt Miſſa quotidiana cum ſuis tribus Orationibus. Si verò in ea feſtum ſimplex, vel feria fuerit, quæ propriam habeat Miſſam, aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impe- *Miſſal. rub. 5. n. 1.*

dita, & infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo reaſſumi poſſit, in Eccleſiis Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie Celebrant, dicantur duæ Miſſæ, una Conventualis pro Defunctis, ut ſupra, & alia privata de feſto ſimplici, vel feria prædicta; ſed in Eccleſiiis non Collegiatis dicatur Miſſa privata de die cùm Commemoratione generali pro Defunctis, *Fidelium Deus &c.*

Ritual. Rom. de exequiis. Sac. Cõgreg. 23. Maii 1605.

In die Obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti, licet ſit feſtum duplex, aut dies feſtivus, *Miſſa propria pro Defunctis*, præſente tamen corpore Defuncti cantari poterit, dum tamen Miſſa Conventualis, ſeu Solemnis, & Officia Divina non impediantur, magnaque diei ſolemnitas, id eſt feſtum primæ Claſſis non obſtet, ſed aliæ Miſſæ privatæ erunt de officio currenti, & Defuncto poterunt applicari.

Biſſ. litt. C. n. 465. §. 1. & alii. Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 11.

Altare nullo modo cum ornatu feſtivo, ſed modo communi, & ordinario paretur. Imagines in Altari non ponantur. Conopæum Tabernaculi ſit violaceum, ſi habetur. Pallium, & Cuſſinus Altaris ſint nigri coloris. Sola Crux, & quatuor, aut ſex Candelabra pro qualitate Diei ſint ſuper Altare, & duo ſuper Credentiam cum ſuis Candelis. Sintque duo intorticia pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti, omnia ex cera communi, vel alba, ſecundum conſuetudinem locorum. Gradus Altaris, & Bradella ſint nudi; in Credentia ponantur ſolum, quę ſunt neceſſaria, & non deferatur ad Abacum velum pro patena tenenda.

Si facienda eſt abſolutio, in medio Eccleſiæ, aut ſupra ſepulchrum: Lectica Mortuorum accomodetur, & ſuper eam ſternatur pannus niger, & advertatur ne ſit pallium Altaris, & ſint ad minus quatuor Candelabra accenſa in ejus quatuor angulis: ſuper Abacum ſit Pluviale nigrum plicatum, & vaſculum cum aqua benedicta, & aſperſorio, & à parte Evangelii Crux proceſſionalis. Candelis in Altari, & ad tumulum accenſis, proceditur ad Altare, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, &

Ac-

Accolythis cum Candelabris accenſis, poſtea Subdiacono, deinde Diacono, & ultimo loco Celebrante nigris veſtibus, ſcilicet Tunicella, Dalmatica, & Planeta indutis. *Cær.Epiſc. lib.2. cap.11. Miſſ. rit. 13. n.2.*

Ad Introitum non incenſatur Altare, neque Celebrans. *Gloria in Excelſis* nunquam dicitur. Ad Orationes tam in principio, quam poſt Communionem, Thuriferarius, Accolythi, & omnes in Choro genufleƈtunt, quo uſque reſpondeatur, *Amen*, non tamen Diaconus, & Subdiaconus. Cantata Epiſtola, Subdiaconus non oſculatur manum Celebrantis, neque ab eo benedicitur, ſed reddito libro ipſi Accolytho accedit ad Altare, & accipit librum Celebrantis, & defert ad cornu Evangelii, Celebrantique, dum legit Evangelium, miniſtrat. *Miſſ.rub 17. nu.5. & Cærem. Epiſc. lib.2. cap.11.*

Si diſtribuendæ ſunt Candelæ Fratribus in Choro, (quæ diſtribui ſolent, ſi habentur, quando in fine Miſſæ facienda eſt abſolutio:) diſtribuantur ab Accolytho, vel Sacriſta, dum canitur ſequentia, & accendantur in Choro ad Evangelium, & ad Elevationem Sanƈtiſſimi Sacramenti, & poſt Miſſam, dum fit abſolutio uſque ad finem. *Miſſal. rit. 13. n. 2. & Cær.Epiſc. lib.2.c.11.*

Ad Evangelium Diaconus non petit Benediƈtionem, neque oſculatur manum Celebrantis, nec deferuntur luminaria, neque incenſum, ſed duo tantum Accolythi ſine Candelabris aſſiſtunt, medium habentes Subdiaconum librum tenentem. Finito Evangelio non defertur Celebranti liber oſculandus, neque incenſatur Celebrans. *Miſſal.ubi ſup.* Subdiaconus accipit Calicem cum Burſa à Credentia velo parvo, & non magno coopertum; Diaconus miniſtrat Celebranti, ut diƈtum eſt ſupra in Miſſa Solemni. Subdiaconus infundens aquam in Calicem, non petit à Celebrante benediƈtionem; Miniſtri ſcilicet Diaconus, Subdiaconus, & Accolythi cum in hac Miſſa vel abſolutione ad Tumulum, aliquid porrigunt Celebranti, vel ab eo aliquid accipiunt, nullo modo oſculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur, vel accipitur. *Miſſal. rit. 13. n. 2. & Cær.Epiſc. lib.2. cap.11.*

Oblata, & *Altare* incenſantur, benediciturque Thus dicendo: *Per Interceſſionem &c. ut dictum eſt in Miſſa ſolemni, ac etiam incenſum iſtud &c.* Et Pſal. *Dirigatur Domine &c.* poſt incenſationem Altaris, Diaconus Celebrantem ſolum ter ducens Thuribulum incenſabit, alii verò non incenſentur. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem. Cum dicitur *Orate fratres*, Diaconus reſpondet, *Suſcipiat &c.* Præfatio ſemper dicitur Communis, & ſimiliter Cōmunicantes. Paulo antequā dicatur *Sanctus*, Diaconus, & Subdiaconus aſcendunt ad Altare, & cum Celebrante dicunt *Sanctus*. Deinde Diaconus accedit ad librum, & Subdiaconus vadit poſt Celebrantem.

Miſſal. ubi ſup.

Ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti accenduntur Intorticia ante Altare manentia, quæ non extinguuntur, niſi communione peracta. Subdiaconus in cornu Epiſtolæ genuflexus, incenſat Sanctiſſimum Sacramentum. Omnes in Choro, & etiam miniſtri Altaris, exceptis Diacono, & Subdiacono, genuflectunt uſq; *ad Pax Domini, &c* *Ad Agnus Dei* nemo percutit ſibi pectus, nunquam datur pax, neque benedictio. In fine Diaconus facie ad Altare verſa, canit *Requieſcant in pace*. Si ſermo habendus eſt, habeatur finita Miſſa ante abſolutionem.

Cær. Epiſc. lib. 2. c. 11.

Miſſal ubi ſup. & Cær. Epiſc. ubi ſup.

Miſſal. rit. 13. n. 3.

De Abſolutione in fine Miſſæ ad Tumulum facienda. Cap. XIV.

Ritual. Rom. ante exequias parvulorum.

ABſolutio poſt Miſſam, debet fieri in Exequiis abſente corpore Defuncti, & in die Depoſitionis tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario. Sacriſta ſi non adeſt Pheretrum, ſeu Lectica Mortuorum, ponet pannum nigrum ſuper ſcamnum extenſum in medio Eccleſiæ, vel ſuper ſepulchrum, & in ejus Angulis ſint candelabra accenſa pro abſolutione facienda.

Finita Miſſa, Celebrans faciet in medio Cruci inclinationem, & deſcendit cum Miniſtris, ſi adſunt, & ante infimum gradum, in medio genuflectunt, & propè Creden-

dentiam per Thuriferarium exuitur Capſula & manipulo, & per tertium Accolythum induitur Pluviali nigro à Credentia deſumpto. Miniſtri verò Dalmaticam, & Tunicellam non deponunt, ſed tantum manipulos, & ſi eundum eſt longè ab Altari, in quo cantata eſt Miſſa procedent hoc ordine; Primo duo Accolythi, ſcilicet Thuriferarius Thuribulum, & Naviculam deferens, & alius vaſculum aquæ benedictæ, aſperſorium, ac librum portans; Deinde Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accenſis, ſi autem Abſolutio fit prope Altare, in quo Miſſa eſt ſolemniter Celebrata Thuriferarius, & Accolythus vaſculum deferens, remanet poſt Celebrantem, & primus omnium procedit, Subdiaconus medius inter Ceroferarios deferens Crucem, ſicuti in Proceſſionibus: Tempore verò Paſſionis coopertam feret; ſequuntur reliqui Fratres bini, ferentes Candelas accenſas (ſi habentur) junioribus præcedentibus, ſequitur Celebrans, facta prius Altari debita reverentia, & Diaconus à ſiniſtris ejus, omnes detecto Capite, excepto Celebrante, qui ſi tranſeunt ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti genuflectunt, ad locum verò pręparatum pervenientes, Cruci ſe inclinant.

Bauld. de abſol. poſt Miſſam. cap. 14. fol. 191.

Ritual. Rom.

Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad pedes Tumuli, ſeu Lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter prędictos Accolythos tenentes Candelabra acenſa, Crucem, ſeipſum ad Tumulum convertens, & parùm à Tumulo diſtans, ut Celebrans inter Crucem & Tumulum tranſire poſſit: Conventus verò ex utraque parte loci in duos Choros diviſus conſiſtat, ordine quo venerat, junioribus prope Crucem manentibus. Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare, & Tumulum aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, ita ut Crucem Subdiaconi reſpiciat, cui cum ibi pervenerit, ſtatim detecto capite ſe inclinat.

Diaconus ſtabit à ſiniſtris Celebrantis, Thuriferarius, & Accolythus aquam benedictã deferens, hinc inde propè

pè Crucem ſtantes, Celebrantis adventum expectant, & ipſo accedente ſtatim diſcedunt, & retrò à ſiniſtris Celebrantis ſe conſiſtunt. Interim Cantores hic inde ſtantes inter Crucem, & Tumulum, ſeu Lecticam mortuorum intonant Reſp. *Libera me Domine*, &c. *ut habetur in libro Precum*, &c. de exequiis Fratrum noſtrorum, & circa illius finem Diaconus pergit ad dexteram Celebrantis, qui ponit incenſum in Thuribulum, benedicens illud more ſolito, dicens *ab illo benedicaris*, miniſtrante Diacono à dexteris ejus ſine oſculis naviculam.

Finito *Kyrie eleiſon*, Celebrans intonat intelligibili voce, *Pater noſter*, & ſecreto proſequendo reliqua accipit aſperſorium cum aqua benedicta ſine oſculis de manu Diaconi, & facta Altari debita reverentia, comitante eodem Diacono à dexteris, & tenente ſimbriam anteriorem Pluvialis, circumjens Tumulum, aſpergit illum aqua benedicta, ter à parte dextera, ideſt à parte Evangelii, & ter à ſiniſtra, non autem caput, & pedes Defuncti, ſeu Lecticæ ſi corpus Defuncti adſit, ante Crucem verò profundè ſe inclinat, Diaconus autem genuflectit. Poſtea reddito Aſperſorio ipſi Diacono, de manu ejuſdem accipit Thuribulum, & eodem modo, quo aſperſerat, incenſabit ter ex una parte, & ter ex altera, & reddit Thuribulum Diacono, & Diaconus Thuriferario.

Biſſ. litt. A. n. 45. §. 4.

Conventus ad *Pater noſter* ſe inclinat, & eo ſecreto dicto, non expectat finem aſperſionis, nec incenſationis, ſed ſe erigit, & ſtat facie ad invicem verſa uſque ad finem. Tumulo incenſato, Diaconus ad proprium locum reverſus tenet librum apertum ſupra pectus ante Celebrantem, quo in ſuo loco ſtans junctis ante pectus manibus, & facie ad Crucem Proceſſionalem verſa, dicit ℣. Et orationem prout habetur in Miſſali.

Oratione finita tertius Accolythus accipit à Diacono librum, & ſimul cum Thuriferario redeunt ad crucem, Celebrans ſiniſtra poſita infra pectus, faciens Crucem manu dextera ſuper Tumulum, vel locum peractum,

quaſi

quaſi illum benedicens dicit. ℣. *Requiem ęternam dona eis Donine*, & Cantores canunt, *Requieſcant in pace*, licet pro uno ſolum Celebratum fuerit, & reſponſo à Choro, *Amen*, ſtatim extinguuntur candelæ, & Cantor incipit Pſal. *De profundis clamavi*, &c. Fratres, & Celebrans ſimul procedentes redeunt ad Sacriſtiam, vel Chorum, ordine quo venerant, Pſalmum alternatim dicendo, in cujus fine dicitur *Requiem ęternam*, &c. & dicuntur verſus, *à porta Inferi*, &c. cum oratione *Fidelium Deus*, &c. *ut habetur in ordinario precum*.

In hac abſolutione una tantum oratio debet dici, licet pro pluribus Celebratum fuerit, & illa oratio *Abſolve*, poteſt variari, & dici oratio, quæ dicta eſt in Miſſa, vel alia conveniens, & ideo in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in Abſolutione pro Summo Pontifice, Cardinali, vel Epiſcopo, dicitur oratio, quæ dicta eſt in principio Miſſæ.

Si officium fit pro uno Defuncto, Oratio, & Verſiculi, qui dicuntur ante Lecticam, ſeu Tumulum, dicantur in numero ſingulari, & ſi officium fit pro pluribus, dicuntur in numero plurali, ſi fuerit mulier in genere fæminino, & ſi fuerit Epiſcopus, vel Vicarius Generalis, aut Sacerdos, in oratione, exprimitur nomen dignitatis. *Miſſ. & Rit. Rom.*

Modus prædictus ſervabitur etiam in exequiis, & abſolutione Prælatorum, & Principum, abſente tamen Corpore Defuncti. Si dum fit abſolutio, elevatur in aliquo Altari Sanctiſſimum Sacramentum, omnes debent genuflectere: prævidere debet tamen Sacriſta, ne tunc in illis Altaribus Celebretur, vel ſi hoc commodè fieri nequeat, admoneantur inſervientes Miſſæ, ut abſtineant à pulſatione Campanulæ.

De

De Renovatione Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. XV.

SIngulis octo diebus, parvæ Hoſtiæ conſecratæ renoventur, & Hoſtiæ, ſeu particulæ conſecrandæ ſint recentes, & perfectè orbiculares, quæ quidem renovatio in feria quinta, vel Dominica fieri poteſt. Advertendum eſt autem, ut ſemper aliquæ Particulæ conſecratæ, quæ Communioni fidelium ſatis eſſe poſſint, conſecrentur in Pixide argentea, & intus deaurata rotunda, pedeque elevata, & intus non habeat corporale, ut *Clemens VIII. Summus Pontifex Eccleſias Urbis viſitando, præcepit*. Sicuti etiam in feria quinta Cœnæ Domini in Calice intus modo Hoſtia Conſecrata pro feria ſexta conſervatur. Sit Pixis bene clauſa, velo albo, & ornato ſemper cooperta, & in Tabernaculo clave obſerrato, & intra Tabernaculum nihil præter Sanctiſſimum Sacramentum recondatur.

Si in Miſſa privata, particulæ, ſeu Hoſtiæ minoris pro communione Populi erunt conſecrandæ, & illæ Hoſtiæ non fuerint ſuper Patenam, ſeu ſuper corporale, ſed in Pixide, vel in alio Calice, ſeu vaſe, Pixis cum Hoſtiis ſit ſuper Altare ante offertorium, & antequam Celebrans patenam cum Hoſtia accipiat, Pixis ſit ſuper Corporale, & dextera illam diſcooperiat, & intentionem ſuam ad omnes hoſtias offerendas, non determinando numerum dirigat, dicens, *Suſcipe Sancte Pater Omnipotens*, &c. & ſtatim depoſita Patena, cooperit Pixidem operculo, ſeu palla, & ſuper Corporale, retrò poſt locum Calicis, eam ponit. Cum autem eſt in canone dicturus, *qui pridie quàm pateretur*, trahit pixidem ante Calicem, & dextera diſcooperit, format ſignum Crucis, & ſuper omnes hoſtias profert verba Conſecrationis, *Hoc eſt enim*, &c. intendens Conſecrare omnes, & ſingulas Hoſtias, earum numerun non determinando,

&

& licet ſufficiat intentio virtualis, conetur tamen habere intentionem actualem. Depoſita Hoſtia ſuper Corporale, genuflectit cooperit dextera Pixidem, & retrò Calicem locat.

Dicto *Agnus Dei*, &c. cum ſequentibus orationibus, aperit oſtiolum Tabernaculi, genuflectit, extrahit vas, ponit ſuper Corporale, & diſcooperit, genuflectit, ſurgit, & dicit: *Panem Cœleſtem accipiam*, &c. *Domine non ſum dignus*. Celebrans ſumpta Hoſtia tunc conſecrata, ſtatim ſumit omnes particulas Hebdomadæ præteritæ conſecratas (niſi communicandis tunc tradendæ ſint) & fragmenta, & vas ſuper Calicem diligentiſſimè extergit, & ſanguinem ſumit, & ſtatim cooperit Calicem Palla, & reponit in vaſe particulas, ſeu hoſtias recenter Conſecratas, & illud cooperit, & facta genuflexione, collocat vas Sanctiſſimi Sacramenti intra Tabernaculum ſuper Corporale, genuflectit, & claudit Oſtiolum. Deinde ſumit Purificationem, &c. ſi vas hoſtiarum Hebdomadæ præteritæ debet vacuum remanere, illud digitis ſuper Calicem extergat, & lotis digitis abluat, & ejus ablutionem in Calicem fundat, & ſimul cum ablutione digitorum ſumat, & vas Purificatorio extergat.

Si in Miſſa ſolemni particulæ ſunt conſecrandæ, dicto Offertorio, quando Subdiaconus defert Calicem ad Altare, unus Accolythorum defert poſt eum Pixidem cum particulis conſecrandis, & alter ferat pelviculam, cum urceolis, vini, & aquæ. Accepta à Celebrante patena cum Hoſtia, Diaconus Pixidem diſcoopertam cum Hoſtiis ante Celebrantem parùm à parte dextera ſuper Corporale elevatam tenebit, & finita Hoſtiæ oblatione, Diaconus cooperit Pixidem, & retrò poſt locum Calicis ponit, ita ut non impediat Thurificationem, & parum ante Conſecrationem trahit Pixidem diſcoopertam parùm ante Calicem à parte dextera, & finita Conſecratione eam cooperit, & poſt Calicem ſiſtit.

Si transferendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum ab

uno Altari ad aliud, Sacerdos Superpelliceo, ſeu cotta, & ſtola coloris tempori convenientis indutus, & velo longo ſuper humeros impoſito, ſiniſtra manu velo cooperta Pixidem accipiat, & manu dextera ejuſdem veli extremitate conteget, atque utraque manu, eam ante pectus elevatam geſtans, præcedentibus duobus ſaltem Accolythis cum Intorticiis, vel candelis accenſis, defert dicendo voce remiſſa, & humili alternatim cum illis Hymnum Sanctiſſimi Sacramenti; ſcilicet *Pange lingua glorioſi*, &c. vel Pſal. *Miſerere mei Deus*, &c.

De Modo Communicandi, & Miniſtrandi Sanctiſſimam Euchariſtiam in Miſſis ſolemnibus, & privatis, ac extra Miſſam. Cap. XVI.

CUm nihil digniùs, & nihil Sanctiùs, & admirabiliùs habeat Eccleſia Dei, quàm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt fons omnis ſanctitatis, & gratiæ, verè realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum ſenſibilium continetur, ideo in adminiſtratione illius Sacerdos ſummum ſtudium ponat, ut reverentia, qua decet, debitoque cultu, hoc divinum Sacramentum honoretur, & pertractetur.

Omnes ſunt ad Communionem admittendi, exceptis publicè indignis, ut ſunt excommunicati, interdicti, manifeſtique infames, ſcilicet, Meretrices, Concubinarii, Fæneratores, Magi, Sortilegi, Blaſphemi, & alii ſimiles publicè peccatores, niſi prius de eorum pænitentia, & emendatione conſtiterit, & publico ſcandalo, prius ſatisfecerint: Occulti verò Peccatores, occultè petentes repellat, non autem ſi publicè petant, & eos ſine ſcandalo præterire nequeat, quoniam nec Chriſtus Judæ Proditori ſuum Corpus negavit. Amentibus, ſeu Fræneticis Communicare non licet, niſi dum habent lucida intervalla,

valla, & devotionem, & nullum adſit periculum iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem, nedum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet.

De modo Communicandi intra Miſſam ſolemnem.

INtra Miſſam ſolemnem Communio generalis fieri debet, quoties datur abſolutio generalis, *ut habetur lib.* 1. & etiam in Miſſa ſolemni Sacerdotis noviter Celebrantis. Sumpto à Celebrante ſanguine, ſtatim Diaconus cooperit Calicem palla, & ponit à parte Epiſtolæ ſuper Corporale, aperit oſtiolum Tabernaculi, & facta ſimul cum Celebrante, & Subdiacono genuflexione. Pixidem è Tabernaculo extrahit, ſi non eſt ſuper Altare, & facta iterum genuflexione, retrogrediens genuflectit ſupra Bradellam à dextris Subdiaconi.

Accolythi unus a dextris Diaconi, & alter à ſiniſtris Subdiaconi facie ad invicem verſa ſuper Bradellam, vel in ejus lateribus genuflexi tenent ambabus manibus linteum mundiſſimum extenſum ante eos, ut ſi forte Hoſtia Conſecrata ceciderit, in ipſo recipiatur, & tunc facta per Diaconum ſimul cum omnibus qui Communicari debent Confeſſione: Celebrans dicit: *Miſereatur veſtri*, &c. *Indulgentiam*, &c. & Diaconus reſpondet. *Amen*: Poſtea diſcooperit Pixidem, quam, facta genuflexione, accipit abſque velo, & converſus ad communicandos in medio Altaris dicit: *Ecce Agnus Dei*, &c. & reliqua ut in Miſſis privatis. Diaconus, & Subdiaconus dum dicitur à Celebrante *Domine non ſum dignus*, ſtant profundè inclinati verſus Sacramentum. Celebrans accedens ad communicandos, prius communicet Diaconum, & Subdiaconum, ſi fuerint communicandi, poſtea tres Altaris Miniſtros, ſi non aderunt Sacerdotes, deinde Clericos, & ultimò Fratres Converſos. Accolythi poſtquam Communionem ſumpſerint, linteum reaccipient, ut ſupra.

Fratres communicandi per oſtiolum à parte Evangelii, bini, bini, unus poſt alium, ab antiquioribus incipiendo, egredientes, ante infimum Altaris gradum, facta ſimul genuflexione, ſurgunt, & ſuper gradum genuflectunt, primò quidem Sacerdotes, ſi aderunt, habentes Stolas coloris tempori convenientis, quoad fieri poteſt, in collo pendentes: Deinde Accolythi, & alii ut ſupra, itaut in ipſo gradu ſint quatuor communicandi genuflexi, & cum duo diſcedunt, ſtatim duo alii inſimul in eorum loco genuflectant, ut ſic Celebrans à miniſtratione non cogatur deſiſtere.

Ritual. Rom. & Cer. Epiſ. lib. 2. cap. 23.

Uſus Eccl. S. Petri Romæ.

Dum fit Communio, Subdiaconus parùm inclinatus à dextris Celebrantis Patenam ſubtus Sacramentum tenebit; Diaconus verò ſtans à parte Epiſtolæ Fratribus purificationem miniſtrabit. Celebrans communicando ſemper incipiat à parte Epiſtolæ. Quibus communicatis bini, bini ſurgunt, & ante ultimum gradum genuflectunt, & à parte Epiſtolæ per manum Diaconi purificantur, & per oſtiolum Epiſtolæ Chorum ingrediuntur, ſtatimque reliqui Clerici, & Converſi uſque ad ultimum Tertiarium, eodem modo accedunt.

Cerem. Epiſ. lib. 2. cap. 11.

Si adſunt Sodales Congregationis noſtræ poſt Fratres immediatè communicentur extra Altaris Cancellos, deinde alii Sęculares, & Mulieres, quibus omnibus Thuriferarius purificationem miniſtrabit, *ut habetur in cap. de Officio Miniſtri in Miſſa privata*. Si in Miſſa ſolemni Fratres noſtri non communicantur, nec etiam Sęculares debent communicari, niſi finita Miſſa, ne Chorus retardetur.

Communione finita, Celebrans cum Diacono, & Subdiacono aſcendit ad Altare, ponit Pixidem ſuper Corporale, & facta ab his tribus Sacramento genuflexione, Diaconus eam cooperit, & intra Tabernaculum ponit, & facta iterum genuflexione, illud claudit, & tunc Celebrans, & Subdiaconus ſurgunt, & Miſſam proſequuntur.

De

De modo communicandi intra Miſſam privatam.

OMnibus diebus Dominicis, & feſtivis, ac in feſtivitatibus B. Mariæ, & Ordinis noſtri, & omnibus quintis feriis totius anni communicare tenentur in Miſſa Conventuali omnes Fratres noſtri non Sacerdotes. Communio Populi intra Miſſam ſtatim poſt Communionem Celebrantis fieri debet, niſi quandoquè ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda. *Conſt. lib. 1. cap. 4.* *Rit. Rom.*

Si Sęculares ſunt communicandi, Celebrans poſt ſumptionem ſanguinis immediatè, antequam ſumat primam purificationem, vel infundere faciat in Calice vinum, ponat Calicem palla coopertum à parte Epiſtolæ ſuper corporale, & facta genuflexione, ponat particulas conſecratas in Pixide, vel ſi pauci ſint illi, qui ſunt Communicandi, ſuper patenam, niſi in principio fuerint poſitæ in Pixide, ſeu alio Calice, vel ex Tabernaculo extrahat. Interim Miniſter ante eos ſuper Cancellos Altaris extendit, ſi non erat extenſum linteum, & genuflexus à latere Epiſtolæ, vultum habens verſus cornu Evangelii facit pro eis Confeſſionem, dicens *Confiteor Deo &c.* *Conſt. Miſſ.*

Si autem ſunt communicandi Fratres noſtri, tunc dicto, *Domine non ſum dignus*, egrediuntur duo Clerici, unus à parte Epiſtolæ, & alter à parte Evangelii, qui eſt à parte Epiſtolæ accipit linteum, & Clerico ſibi correſpondenti à parte Evangelii porrigit unam lintei partem, qui linteum accipit, & ambo genuflexi ſuper gradum facie ad invicem verſa, linteum manibus tenent extenſum ante mentum Fratrum communicandorum uſque ad finem. Fratres bini, bini egrediuntur è Choro, & quatuor ſuper gradum genuflexi, capite inclinato, clara, & humili voce incipiunt: *Confiteor Deo &c.* & Fratres in Choro proſequuntur, & poſteà pergunt ad Altare, ut ſupra in Miſſa ſolemni.

Cele-

Celebrans facta Sacramento genuflexione, manibus ante pectus junctis, vertit ſe ad Populum, advertens, ne terga Sacramento vertat, & in parte Evangelii dicit: *Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam abſolutionem, & remiſſionem peccatorum &c.* etiam ſi unus fuerit communicandus. Dicens abſolutionem, & remiſſionem manu dextera facit ſignum ✠ ſuper Communicandos, ſiniſtram infra pectus tenendo.

Miſs. rit. 10. num. 6.

Deinde Celebrans ad Altare ſe convertit, diſcooperit Pixidem, genuflectit, & accipit manu ſiniſtra Pixidem, ſeu Patenam cum Sacramento infra indicem, & medium digitum, dextera verò ſumit unam particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet aliquantulum elevatam ſuper Pixidem, ſeu Patenam, & converſus ad Communicandos in medio Altaris, oculis defixis ad Sanctiſſimam Hoſtiam, dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*, mox ſubdit, *Domine non ſum dignus*, (licet tantum fœminæ Communicentur) *ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*, quod & miniſter, & qui communicantur ter pectus percutiendo ſecretò dicent.

Rit. Rom.

Quibus verbis tertio repetitis, Celebrans accedit ad eorum dexteram, hoc eſt ad latus Epiſtolæ, nihil dicens eundo, nec redeundo, & primò Communicat Miniſtrum Altaris, ſi communicari velit, & unicuique porrigit Sacramentum faciens cum eo ſigno ✠ ſuper Pixidem, vel Patenam, intra tamen labium Pixidis, ſeu Patenæ, & ſimul dicit, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

Qui Communicantur, ore mediocriter aperto, oculiſque ſubmiſſis, cum magna devotione, Sanctiſſimum Sacramentum ſuper linguam intra os exiſtentem ſuſcipiant, quo ſuſcepto quam citius, & abſque dentium attritione potuerint, ipſas particulas traiiciant. Eos autem, qui vix os aperiunt, Celebrans admoneat, ut aperiant, nec Sacramentum dimittat, antequam intra os

depo-

depoſitum eſſe cognoverit, ne ſua culpa in terram cadat.

Si Sanctiſſimum Sacramentum non erit intra Pixidem, ſed ſuper Patenam, caveat Celebrans ne propter ventum, vel reſpirationem communicandorum aliqua Hoſtia in terram decidat. Ideo dum ipſe Populum communicat, unam Hoſtiam inter indicem, & pollicem dexteræ manus tenens, cæteras inter indicem, & pollicem ſiniſtræ habeat, vel indicem, & pollicem ſiniſtræ manus ſuper alias particulas ponat. Celebrans incipiet communicare Populum à parte Epiſtolæ unicuique dans Sacramentum, uſque ad ultimum lateris Evangelii, & ſi alii acceſſerint, revertitur quoties opus fuerit: ſemper incipiendo à parte Epiſtolæ. Fratres in Choro purificationem ſument.

Omnibus communicatis, Celebrans tenens ſuper Pixidem digitos revertitur ad Altare, nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ, & licèt Miſſa ſit Defunctorum, non tamen datur benedictio, quia in Miſſis Defunctorum non datur. Si particulæ conſecratæ erant ſuper corporale, extergit illud cum Patena, & ſi aliqua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit, deinde dicit ſecreto. *Quod ore ſumpſimus Domine &c.* Interim porrigit Calicem Miniſtro, qui infundit in eo parum vini, quo ſe purificat, deinde abluit digitos, quos abſtergit purificatorio, interim dicens: *Corpus tuum Domine &c.* & alia facit, *ut in Miſſa privata ordinaria continetur.*

Miſs. rit. 10. num. 6.

Canon Miſs.

Si Communio in fine Miſſæ juſta de cauſa eſt differenda, tunc tantum fiat, cum Hoſtiæ conſecratæ intra Tabernaculum ſunt. Si in Altari remanent particulæ conſecratæ in Calice, ſeu alio vaſe uſque ad finem Miſſæ, ſerventur ea, quæ dicuntur *in feria quinta Cœnæ Domini circa finem Miſſæ.*

De

De modo Communicandi Populum extra Miſſam.

SI abſoluta Miſſa ſtatim aliqui ſunt communicandi, Sacerdos adhuc Planeta indutus Sacram Communionem miniſtrabit: Si autem Sacerdos fuerit extra Altare, tunc lotis manibus, & ſuperpelliceo indutus, ac deſuper Stola coloris Officio convenientis, pręcedente Miniſtro cum Burſa, & Corporali, procedit ad Altare manibus junctis, accenſis prius candelis, & intorticio, genuflectit in medio ante infimum gradum, aſcendit ad Altare, extrahit de Burſa Corporale, & extendit ſuper Altare, vel ſaltem adhibeatur palla. Aperto Oſtiolo Tabernaculi, genuflexus, Sacramentum adorat, extrahit Pixidem velo albo coopertam, & illam ſuper corporale depoſitam genuflectens adorat, tunc manibus junctis ante pectus à parte Evangelii; vertit ſe ad Populum, & finita à miniſtro Confeſſione, in eadem parte Evangelii dicit *Miſereatur &c. Indulgentiam &c.* diſcooperit Pixidem, & reliqua facit, ut dictum eſt ſupra.

Finita Communione, Sacerdos dum revertitur ad Altare, digitos, quibus tetigit Sacramentum, tenet junctos ſuper Pixidem, dicens antiphonam, *O Sacrum Convivium &c.* cum verſu, *Panem de Cœlo &c.*& Orationem ſubdit, *Deus qui nobis &c.* vel tempore Paſchali: *Spiritum nobis Domine &c.* ut in Rituali, antequam cooperiat Pixidem;& ſi aliquod fragmentum digitis adhęret, cautè reponat in Pixidem, & digitos quibus tetigit Sacramentum, abluat, & purificatorio extergat, adoret Sacramentum, poſtea cooperit Pixidem, eamque reponit intra Tabernaculum, iterum genuflectat, & Oſtiolum Tabernaculi claudat: Ablutionem verò ſumat, ſi celebraverit, vel iis, qui tunc communicaverunt, ſumendam per Miniſtrum tradat, vel ſaltem in Sacrarium injiciat: & facta reverentia Cruci, & ſiniſtra infra pectus poſita, manu dextera extenſa, ſemel benedicit iis, qui communicaverunt

Ritual. Rom.

runt

runt : dicens : *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii ✠ & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper*. ℟. à Miniſtro *Amen*. Poſtea plicat Corporale, reponit intra Burſam, quam accipit Miniſter, qui extinctis luminibus, præcedit Sacerdotem, qui niſi Miniſtro expedito, ab Altari non recedat.

Dum Populus Sanctam Euchariſtiam ſumit, viri quantum fieri poteſt, à mulieribus ſint ſeparati. In magnis Feſtivitatibus, in Eccleſiis majoribus, in quibus magnus eſt cõcurſus communicandorum, aliquis Sacerdos modeſtus, & devotus ad communicandum deputetur. Vinum cum aqua pro Populi purificatione, non Calice, ſed vaſe vitreo miniſtretur, & vaſa purificationis ſoli illi uſui in Sacriſtia ſerventur.

Poſt meridiem, Sacram communionem accipere, non eſt à Canone, neque à Jure prohibitum, & ideo homo jejunus, quavis diei hora, poteſt extra Miſſam Euchariſtiam ſumere. *Sylv. Euchar. 3 q. 15. Azor. inſtit. mor. 1. p. lib. 10. c. 25.*

De Aqua benedicta, & ejus Aſperſione. Cap. XVII.

ALexander Papa primus aquam benedictam inſtituit, dicens: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi, ſanctificentur, & purificentur, nam ſi cinis vitulæ Sanguine aſperſus populum Sanctificabat, atque mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata, populum ſanctificabit.* *De Conſecr. diſt. 3. aqua ſale.*

Singulis Dominicis diebus, & quandocumque opus fuerit, Aqua benedicta renovetur, & benedicetur in Sacriſtia, vel Eccleſia, non à Diacono, ſed à Sacerdote, ſuperpelliceo, & Stola violacea induto, vel Amictu, Alba, Cingulo, & Stola ſine manipulo; & benedicitur benedictione, quæ in fine Miſſalis habetur. Aqua benedicta hebdomadæ præteritæ projicitur, non per Eccleſiam,

ſed in Piſcinam Sacrarii, quia eſt aqua Sacramentalis, & benedicta.

Cær. Epiſc. lib. 2. cap. 31. Diebus Dominicis celebraturus ſolemniter Miſſam, finita hora tertia, indutus amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali coloris tempori Convenientis, inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris indutos veſtibus ad Miſſam, & officium convenientibus, ſcilicet Dalmatica, & Tunicella, vel Planetis plicatis, prout tempus requirit ſine manipulis, præcedentibus Thuriferario nihil deferente, & Accolythis cum Candelabris accenſis, ad Altare accedit, & in plana terra ante infimum Altaris gradum inter Diaconum, & Subdiaconum, Sacramento cum eis genuflectit, ſurgit, & infimo gradu genuflexi manent. *Cær. Epiſc. lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 30. & 31.* *Bauld de aſperſ. aquæ num. 3. Biſſ. de aſp. fol. 80.*

Thuriferarius, & Accolythi, facta genuflexione Altari, ſtatim ad Credentiam pergunt, Accolythi deponunt Candelabra accenſa, & ad ſua loca ante gradus redeunt; Thuriferarius accipit à Credentia manu ſiniſtra, non per manubrium, ſed per pedem vaſculum Aquæ benedictæ intra habens aſperſorium, & ſtans erectus in plano à dextris Diaconi, offert illi genuflexo ſine oſculis vaſculum intra habens aſperſorium; Diaconus accipit à vaſculo Aſperſorium, & dat Celebranti cum oſculis primum aſperſorii, mox dexteræ Celebrantis. *Uſus Eccleſiæ S. Petri Romæ.*

Celebrans, miniſtris hinc inde fimbriam Pluvialis elevantibus, adhuc genuflexus intonat Antiphonam: *aſperges me*; Choro proſequente, *Domine*, *hyſſopo &c.* vel tempore Paſchali; *Vidi Aquam &c.* aſpergit primo Altare, in medio ſcilicet, poſtea ad partem Evangelii, deinde ad partem Epiſtolæ, & poſtremò aſpergat ſe ipſum, cavens ne aqua in nimia quantitate ſuper Altare immittat, deinde ſtatim ſurgit, & aſpergit hinc inde miniſtros, ſcilicet Diaconum, & Subdiaconum, adhuc genuflexos, deinde omnibus ſurgentibus, factaque Altari genuflexione, reddit aſperſorium Diacono, qui illud cum debitis oſculis recipit, & poſtea tradit Thuriferario, vel Accolytho, *Biſſ. lit. A. nu. 465. §. 3. Gavant. & Bauld. &c.* *Idem ibid. §. 5.*

lytho, omnes procedunt ad aſpergendum Fratres in Choro perintrantes Oſtiolum à latere Epiſtolæ: præcedit Thuriferarius deferens vaſculum aquæ benedictæ, qui ſemper à dextris Diaconi vaſculum cum opus eſt Celebranti porrigit, ſequitur Celebrans ſine Aſperſorio medius inter Diaconum, & Subdiaconum, Accolythis ante Altare erectis manentibus. *Idem ut ſupr.*

Celebrans & Miniſtri pervenientes ad medium Chori, faciunt debitam reverentiam, mox ſe ad fratres Convertentes, Celebrans accipit aſperſorium, & inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, fimbriam Pluvialis anteriorem elevantes aſpergit omnes in Choro, primo quidem, ſi adſit Pręlatus illum ſeparatim aſperget, factis ei ante, & poſtea reverentiis: deinde aſperget reliquos omnes non ſeparatim, ſed plures ſimul ex illa parte Præſidentis commorantes, (exceptis Prælatis, & Dignitatibus, qui ſeparatim omnes aſperguntur:) deindè tranſeundo ad aliam partem Chori factis in medio debitis reverentiis, ſimul cum Miniſtris, aſpergit eodem modo. Si inter Fratres in Choro erit aliquis ſęcularis, aſpergatur ſimul cum Fratribus. Omnes cum aſperguntur, debent aſpergenti caput inclinare, & aſperſionem aquæ benedictæ reverenter recipere. Dum canitur ℣. *Gloria Patri &c.* Celebrans, & miniſtri ſiſtunt, & ſe inclinant. *Cærem. Epiſc. l. 2. c. 31. Idem ut ſup.*

Cunctis in Choro aſperſis, Celebrans reddet Aſperſorium Diacono, qui illud, ut ſupra, recipit, & Thuriferario tradit, factiſque in medio debitis reverentiis, Celebrans, & Miniſtri diſcedunt egredientes per Oſtiolum à parte Evangelii, ibique facta genuflexione, Celebrans reaſſumit de manu Diaconi aſperſorium, cum debitis oſculis, & aſpergit Accolythos, & Thuriferarium, ac etiam populum circumcirca Cancellos aſtantem, incipiens à latere Evangelii, tendens ad latus Epiſtolæ, & tranſeuntes per medium, faciunt Altari debitam reverentiam. Celebrans aſpergens fratres, & populum, dicet *Cærem. E-*

ſubmiſſa voce cum Miniſtris, Antiphonam *Aſperges me*, *&c.* cum Pſal. *Miſerere &c. ut in Miſſali.*

Dum Celebrans aſpergit Chorum, primus Accolythus facta genuflexione Altari, accipit à Credentia Miſſale Celebrantis, & redit ad locum ſuum lateris Epiſtolæ. Celebrans finita aſperſione, reddit aſperſorium Diacono, qui primo deoſculando dexteram Celebrantis, deinde aſperiorum, illud accipit, & intra vaſculum Thuriferarii reponit. Celebrans pergit ante gradus Altaris in medio, ibique ab omnibus debita reverentia exhibita, & Antiphona *Aſperges me* per Chorum repetita, Diaconus accipit ab Accolytho Miſſale, & Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, junctis manibus, voce ſonora cantat verſus, & Orationem, *Exaudi &c. ut habetur in Miſſali*. Diacono ſiniſtra, & Subdiacono dextera librum apertum tenentibus.

Dum dicitur Oratio, ſecundus Accolythus accipit à cornu Evangelii manipulum dextera, & Planetam ſiniſtra, & finita Oratione porrigit manipulum Subdiacono, qui porrigit illum Celebranti in Cruce oſculandum. Diaconus reddit Miſſale primo Accolytho, & ſolvit Pluviale Celebrantis. Thuriferarius depoſito vaſculo ſuper Credentiam, accipit Pluviale ab humeris Celebrantis, & ſecundus Acolythus ſtans in plano, vel infimo gradu induit Celebrantem manipulo, & planeta, ac etiam miniſtri Sacri ſuos accipient manipulos. Interim primus Accolythus defert Miſſale clauſum ſuper Credentiam, & Thuriferarius Pluviale ad Sacriſtiam.

Cær. Epiſ. l. 2 c. 30.

Biſ. ut ſupr.

Quando in Dominicis diebus canitur Miſſa ſine Diacono, & Subdiacono, Thuriferarius præcedit ad Altare nihil deferens, ſequuntur Accolythi cum Candelabris accenſis, deinde Celebrans Pluviali indutus, qui ante Altare Sacramento genuflectit, Accolythi hinc inde in plano, & Thuriferario poſt terga Celebrantis, ſimul cum Celebrante genuflectentibus; factis genuflexionibus, Accolythi candelabra ſuper Credentiam deponunt. Celebrans

brans accepto aſperſório cum aqua benedicta, & oſculis de manu Thuriferarii, genuflexi à dextris ejus, aſpergit Altare, ſeipſum,& miniſtros canens Antiphonam prout in Miſſali, & facta Altari debita reverentia, præcedente Thuriferario, & primo Accolytho, procedit ad Chorum, ubi factis debitis reverentiis aſpergit Chorum, primo Accoytho fimbriam Pluvialis à dextris elevante, & Thuriferario vaſculum miniſtrante.

Interim ſecundus Accolythus accipit à Credentia Miſſale, & debitis genuflexionibus redit ad locum ſuum lateris Evangelii,& finita Aſperſione, atque Chori cantu, ipſe cum alio Accolytho hinc inde Miſſale tenebit, dum Celebrans canit verſus, & Orationem. Qua finita, primus Accolythus defert Miſſale clauſum ad Credentiam, interim ſecundus Accolythus accipit à cornu Evangelii Planetam plicatam cum manipulo,quam tradit Celebranti, Thuriferarius exuit Celebrantem Pluviali, & ſecundus Accolythus induit eum Planeta. Thuriferarius defert Pluviale ad Sacriſtiam, & accepto Thuribulo cum prunis ardentibus, & naviculam cum Incenſo ad Altare ſtatim revertitur. *Cærem. Epiſc.l.2.c.31.*

Si Miſſa canitur cum uno tantum Accolytho,dum Celebrans Chorum aſpergit,Accolythus ſiniſtra elevat fimbriam Pluvialis Celebrantis, & dextera vaſculum miniſtrat. Finita aſperſione deponit vaſculum, & accepto Miſſali tenet illud apertum ante Celebrantem. Completa Oratione, Sacriſta, vel alius accipit Pluviale ab humeris Celebrantis, & Accolythus porrigit illi manipulum, & induit eum Planeta.

Hæc Antiphona *Aſperges me &c.* prædicto modo dicitur ad Aſperſionem aquæ benedictæ in ſingulis Dominicis, per totum Annum, excepta Dominica de Paſſione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur verſus, *Gloria Patri &c.* ſed pòſt *Pſal. Miſerere mei &c.* repetitur immediatè Antiphona: *Aſperges me*: excepto etiam tempore Paſchali, ſcilicet à Dominica Paſchæ, uſque ad

Pente-

Pentecoſtem, quo tempore intonat Antiphonam; *Vidi Aquam &c.*dicitur *Pſalm. Confitemini Dño &c.* ℣. *Gloria Patri & ad* ℣.*Oſtende nobis Domine &c.*additur *Alleluja*. Dominica verò Trinitatis reſumitur Antiphona *Aſperges me &c.*

Si Epiſcopus illius Diæceſis, in qua eſt Conventus noſter, Nuncius Apoſtolicus, vel Legatus de latere in eorum reſidentiis, vel loco Juriſdictionis, aut aliquis S. R. E. Cardinalis præſens fuerit: Celebrans poſtquam Altare aſperſerit, priuſquam ſeipſum aſpergat, ſurgat, & facta Altari debita reverentia, ſimul cum Diacono,& Subdiacono, ac Thuriferario vaſculum aquæ benedictæ deferente ad Prælatum accedat. Accolythis ante Altare remanentibus. Celebrans Prælato inclinationem profundam, & Diaconus, Subdiaconus, & Thuriferarius genuflexionem facient; Celebrans aſperſorium cum aqua benedicta oſculatum ei reverenter porriget, cum ſigno oſculationis illius manus, ob majorem reverentiam, quod ſi annuit, facta ei antea, & poſtea profunda reverentia, eum aſpergat, parum aquæ benedictæ illi immitens,

Si autem Prælatus aſperſorium capit, primò ſeipſum, deinde Celebrantem inclinatum aſperget, & eidem aſperſorium reddet. Celebrans aſperſorium oſculatur, & Prælato profundam inclinationem, & Diaconus, & Subdiaconus, ac Thuriferarius genuflexionem facient. Celebrans reliquos Prælatos, ſi adſint debitis inclinationibus, ante, & poſtea, ſigillatim aſperget, & parùm à Prælato, ſeu Prælatis recedens, vel ante Altare, Diaconum, & Subdiaconum aſperget, omneſque in Choro Permanentes, & reverſus ad Altare, aſpergit Accolythos, & Thuriferarium, deinde Populum. Advertat Diaconus, ut cum aſperſorium Celebranti in præſentia ſupranominatorum Prælatorum tradit, vel ab eo recipit, nullo modo aſperſorium, nec manum Celebrantis oſculetur.

Si

Si autem aliquis magnus Princeps, ut Imperator, Rex, aut Magnus Dux, ſeu Magna Principiſſa, vel alius ſimilis in loco ſuæ Juriſdictionis præſens fuerit, ſtatim ut Celebrans Altare, & ſeipſum aſperſerit, ad Principem aceedit, cui debita inclinatione facta, aſperſorium aqua benedicta inunctum ei porrigit, ut de aſperſorio aquam benedictam manu capiat. Vel ſi Principi magis placuerit, Celebrans reverenter eum aſpergat, parum aquæ benedictæ illi immittens. Poſtea facta ei reverentia, parùmque ab eo recedens, Diaconum, Subdiaconum, alioſque ut ſupra aſpergit. Si autem minoris dignitatis Princeps fuerit, poſt aſperſionem Diaconi, & Subdiaconi aſpergendus erit, vel poſt aſperſionem Chori, aut omnium Miniſtrorum Altaris.

Quomodo autem facienda ſit aſperſio in oratione ſerotina, dicetur ſuo loco.

De modo, & ordine imponendi Thus in Thuribulum, & de Thurificatione Altaris, & aliorum in Veſperis, & Miſſis ſolemnibus.
Cap. XVIII.

THuribuli, Thuris, & Thurificationis uſus eſt antiquiſſimus; Quoniam ex veteri Teſtamento initium habuit, ſecundum quod ait Moyſes ab Aaron. *Tolle Thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper*. Et Apocal; *Stetit Angelus juxta Aram Templi, habens Thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa mnlta*. Hinc ab ipſis Eccleſiæ primordiis, hoc inſtitutum fuit, & in hunc uſque diem perſeverat.

Guil. Buran. in rat. lib. 4. & Stephan. Duran. lib. 1.

Num. c. 16.
Apoc. c. 8.

De modo imponendi Thus in Thuribulum, illudque benedicendi.

IN Miſſa ſolemni, ter miniſtratur, & benedicitur incenſum, primo in principio Miſſæ ante introitum, & tunc incenſatur Altare, & Celebrans. Secundo ante Evangelium canendum, & tunc Diaconus in principio Evangelii ter Miſſale, & ſinito Evangelio, ter Celebrantem incenſat, Tertio poſt offertorium, & tunc incenſantur, *oblata*, *Crux*, *Reliquiæ* ſi adſint, *Altare*, *Celebrans*, & *alii*, ut dicetur inferius. In Veſperis autem ſolemnibus ſemel tantum *ad Canticum Magnificat* Thurificatur. Materia, quæ ponitur in Thuribulo, debet eſſe incenſum, & ſi aliqua addantur aromata, Thus ea longè ſuperare debet, & Thus non debet eſſe omninò contuſum, ne repente evaneſcat. Quando Celebrans ponit Thus in Thuribulum, ſtat in medio ſupra gradus Altaris, facie ad latus Epiſtolæ ſemiconverſa, & ſemper illud benedicit, excepto quando eſt Thurificandum ſolummodò Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum.

Thuriferarius ſiniſtra manu Thuribulum, & dextera Naviculam tenens aſcendit, & Naviculam ſemiapertam, itaut apertura Altare reſpiciat, Diacono, vel primo Accolytho, abſente Diacono, ad dexteram Celebrantis ſtanti ante Superiorem gradum ſine oſculis tradit, & ſuſtentans ſiniſtra per annulum majorem Thuribulum, dextera minori annulo operculo latè elevato, eadem manu dextera catenulas in medio, ſcilicet inter ſummitatem, & infimam partem complectitur, & inclinat in ſupremo gradu ad dexteram Diaconi, vel primi Accolythi, facie tamen ad latus Evangelii verſa, tenens Thuribulum, itaut ejus inferior pars æquetur naviculæ in manu Diaconi, vel primi Accolythi, ut Celebrans ex Navicula incenſum in illud immittere commode poſſit. Diaconus interim, vel primus Accolythus, Naviculam

am-

ambabus manibus verſus dexteram Celebrantis tenens, & ad Celebrantem converſus dicit, *Benedicite Pater Reverende*, & ſtatim cochlear intra naviculam exiſtens, & dexteram manum Celebrantis oſculatur. Celebrans verbis Incenſum benedicit hoc modo ſiniſtram pectori admovens, dextera cochlear ex Navicula accipit, & ter dextera cum eo ſumit ex Navicula incenſum, illudque etiam ter in Thuribulum immittit, dicens: *ab illo benecaris*, &c. *Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23.*

Interim Diaconus, vel primus Accolythus abſente Diacono, ſiniſtra tenebit elevatam fimbriam Planetæ, vel Pluvialis, ne Celebrans, impediatur, & dextera Naviculam apertam, & elevatam, ut Celebrans commodè incenſum accipere poſſit, depoſito à Celebrante Cochleari in Navicula, Diaconus, vel primus Accolythus rurſus manum Celebrantis, & cochlear oſculatur. Deinde Celebrans manu dextera producit ſignum Crucis ſuper Thus in Thuribulo, nihil dicens. Interim Diaconus primo Accolytho, vel primus Accolythus abſente Diacono, naviculam ſecundo Accolytho ſine oſculis tradit. Thuriferarius ſurgens Thuribulum claudit, & manu ſiniſtra porrigit ſine oſculis, catenularum ſummitatem in dextera Diaconi, & manu dextera Thuribulum in ſiniſtra illius collocat. Diaconus catenulas prope anulum, quas dextera tenet prius oſculatas in ſiniſtram Celebrantis, & catenulas propè vaſculum quas ſiniſtra tenet in dexteram illius ponit, eandem dexteram oſculans. *Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 23.*

In Veſperis autem, & Miſſis ſolemnibus, in quibus non adſunt Diaconus, & Subdiaconus, Thuriferarius inclinatus Thuribulum claudit, & tenens dextera catenularum ſummitatem, ſiniſtra verò inferiorem partem catenularum; ſummitatem catenularum oſculatam ſiniſtræ Celebrantis porrigit, & inferiorem partem catenularum propè vas porrigit illius dexteræ, quam etiam oſculatur.

De modo Thurificandi Altare in principio Miſſæ, & Veſperis Solemnibus.

IMpoſito incenſo in Thuribulo, Celebrans, ſe ad Altare ſemivertit, & accipit à Diacono, vel Thurifeario Thuribulum, videlicet ſiniſtra catenularum ſummitatem, propè anulum, dextera verò eaſdem catenulas ſimul junctas propè vas, ſicque Thuribulum ſubſtinet, ut illud commodè ducere verſus *Crucem*, & *imagines*, & ad ſe reducere poſſit, quod rectè fiet, ſi Celebrans ita Thuribulum teneat, ut parum, vel quaſi nihil catenularum remaneat inter ipſius dexteram, & operculum Vaſculi, præſertim cum Thurificantur *oblata*, nam ſi nimis Thuribulum pendeat, nec commodè, nec ſicurè, nec cum decore illã actionem poterit exercere.

Cær. Epiſc. lib. 1. c. 23.

Dum thurificatur *Altare*, Celebrans cum gravitate, ac decore ſe gerat, non perſonam, aut caput dum Thuribulum ducit, reducitque movendo, ſiniſtram, qua ſummitatem Catenularum retinet, quaſi immobilem ante pectus tenebit, dexteram, verò ad brachium commodè, ac tractim cum Thuribulum ad ſe trahit, illud ſub brachio deorſum extenſo leviter, & competenti mora reducat, & dum procedit thurificando *Altare* eundo, & redeundo ſemper illum pedem prius moveat, qui proximior eſt Altari, totque omnino paſſus faciat, quot Thuribuli tractus, ut manus, & pedes in motu decenter concordent.

Cær. Epiſc. ut ſupra.

Celebrans accepto Thuribulo, genuflectit cum Miniſtris Sanctiſſimo Sacramento, vel ſi non adeſt, facit Cruci profundam reverentiam, & ſtans erectus, triplici ductu incenſat Crucem, mox iterum facta Sanctiſſimo Sacramento genuflexione, vel Cruci profunda reverentia, pergens ad Thurificandum *Altare* à parte Epiſtolæ ter ducet Thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur Candelabra, uſque ad cornu Epiſtolæ, ibique demiſ-

demiſſa manu illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem ſemel, atque iterum ducens Thuribulum incenſabit, mox verſus ad *Altare* elevans manum incenſat ejus planitiem, ſeu Menſam in parte ſuperiori, ter ducens Thuribulum uſque ad medium: ubi facta iterum *Sanctiſſimo Sacramento* genuflexione, vel *Cruci* reverentia, procedit ad aliud latus thurificando *Altare* triplici ductu, uſque ad cornu Evangelii, & ſimiliter thurificata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu duplici ductu, adhuc ſtans ibidem elevans Thuribulum, ſuperiorem Tabulæ partem, uſque ad Altaris medium triplici ductu thurificabit, ſicut in cornu Epiſtolæ: deinde manu dextera aliquantulum demiſſa Thurificat frontem, ſeu anteriorem Altaris partem ter ducendo Thuribulum, procedens à cornu Evangelii, uſque ad Altaris medium, ubi denuo facta Sanctiſſimo Sacramento genuflexione, vel Cruci reverentia, Thurificat reliquam partem anteriorem Altaris triplici ductu uſque ad cornu Epiſtolæ, ibique firmans ſe reddit Thuribulum Diacono, vel eo abſente, Thuriferario, qui accipiens ſiniſtra catenulas prope vaſculum, & dextera manubrium oſculatur dexteram Celebrantis, & poſteà manubrium.

Si in Altari fuerint *Reliquiæ*, ſeu *imagines Sanctorum*, Celebrans Incenſato Sanctiſſimo Sacramento, factaque ei genuflexione, vel ſi non adeſt Sacramentum incenſata Cruce, & facta ei reverentia, antequam diſcedat à medio Altaris, id eſt quaſi nihil à medio diſcedens, primum incenſat eas, quæ à dextris ſunt, videlicet à parte Evangelii propè Crucem, bis ducens Thuribulum abſque ulla capitis inclinatione; neque ante, neque poſt, & iterum facta Sanctiſſimo Sacramento genuflexione, vel Cruci reverentia, incenſat eas, quæ à ſiniſtris ſunt; & proſequitur incenſationem Altaris ut ſupra.

Si ſuper Altare eſt Sanctiſſimum Sacramentum, expoſitum, & non ſolum Sanctiſſimum Sacramentum, ſed etiam Altare eſt immediatè Thurificandum, ut in veſ-

peris ſolemnitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & in Miſſa Solemni, in qua eſt expoſitum Sanctiſſimi Chriſti Corpus. Celebrans ſtans erectus ante Altare in medio ponit incenſum in Thuribulo, ut ſupra cum benedictione more ſolito, ſine oſculis tamen. Poſtea ſuper gradum Altaris genuflexus Thuribulum à miniſtro accipit, & facta profunda inclinatione Sanctiſſimo Sacramento, ter illud thurificat graviter, & moroſè Thuribulum ducens. Deinde iterum Sacramento ſe profundè inclinat: poſtea ſurgens, & ad Altare acccedens, *Reliquias*, vel *Imagines* à latere Evangelii, ſi aderint, incenſabit, & facta genuflexione, alias *Reliquias*, vel *Imagines*, & *Altare* à latere Epiſtolæ, & cætera ut ſupra dictum eſt, Thurificabit, genuflectens ſemper in medio, manu ſiniſtra Altare non tangendo; cum à parte Epiſtolæ ad partem Evangelii, vel è contra tranſierit.

Si autem Sanctiſſimum Sacramentum ſolummodò eſt incenſandum, ut in principio, & in fine Proceſſionum, in quibus Sanctiſſimum Sacramentum defertur, vel cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, tunc ſine oſculis, & abſque benedictione, incenſum, & Thuribulum Celebranti ſtanti; non autem genuflexo miniſtratur; ſimiliter in elevatione Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſa Solemni, incenſum ponitur in Thuribulo à Thuriferario, vel Accolytho abſque aliqua benedictione, triplici ductu Thurificatur Hoſtia, itidemque Calix, facta antea, & poſtea à Miniſtro genuflexo profunda inclinatione. Dum Celebrans genuflexus Sanctiſſimum Sacramentum incenſat, omnes ejus Miniſtri erunt genuflexi, ſimulque cum eo ſe inclinent.

Cær. Epiſc. lib. 1. c. 23.

Si aliud Altare in Veſperis præter *Altare Majus* fuerit Thurificandum, ſcilicet *Altare Patroni*, vel *Titularis*, cui dedicata eſt Cappella, & de quo fit officium eo die. Celebrans incenſato Altari majori, redditoque Thuribulo Thuriferario, factaque in medio ante infimum Altaris gradum Sacramento genuflexione, proce-

det

det ad Altare Cappellæ, eo ordine, quo ad Altare majus. Celebrans facta profunda reverentia Altari, Reliqui verò genuflexione, Celebrans oſculato Altari in medio illud incenſabit, ut dictum eſt de Altari majori, non tamen ponet incenſum in Thuribulum. Incenſato Altari, omnes in Chorum revertuntur. Sed ſi Chorus eſt valde diſtans, Celebrans deſcendet ante infimum gradum, ibique à Thuriferario incenſatur, & uſque ad finem Veſperarum manebit. Hęc tamen conſuetudo Thurificandi Altare Cappellæ in noſtris Eccleſiis propter noſtrum modum canendi ſine Organo obſervari debet cum omni ſollicitudine.

Celebrans, dum ad *Magnificat* in Veſperis, & *ad Benedictus* in Laudibus, ac in principio Miſſæ ante Introitum Altare incenſat, nihil dicet, ſed ſolum cum incenſantur *Oblata*, & *Altare* poſt Oblatorum incenſationem. Dum incenſatur Altare in veſperis, Thuriferarius à dexteris, & primus Accolythus à ſiniſtris Celebrantis ei aſſiſtunt ſuper Altaris Bradellam, altera manu anterioris Pluvialis fimbrias in Veſperis elevantes, alteram pectori admoventes, & cum tranſeunt ante Crucem ſemper genuflectunt, licet in Altari non ſit Sanctiſſimum Sacramentum: Quod ſimiliter facient in Miſſa Diaconus, & Subdiaconus, extremitatem Planetæ manu elevantes.

De modo Thurificandi Oblata, & Altare.

POſt oblationem Calicis, dicto *veni ſanctificator, &c.* incenſantur *Oblata*, & *Altare*, nam Diaconus tenens Naviculam petit benedictionem, ut ſupra, & Celebrans reſpondit dicens: *Per Interceſſionem, &c.* ut in Miſſali, ter ponens, & ſemel benedicens incenſum in Thuribulo, manu dextera ſignum Crucis ſupra Thuribulum faciat, & accipit ut ſupra Thuribulum à Diacono, nulla facta Cruci reverentia, nec Sanctiſſimo

mo Sacramento genuflexione incenſat *Oblata*, ubi eſt advertendum, quod debet ducere Thuribulum æqualitèr, hoc eſt, non demittendo illud, ſicuti in Circulis ſequentibus, in quibus ita ducitur, ut circumeat Calicem, ſed illud ducat ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, non tamen deſignando quatuor puncta ∴ ſed per lineas rectas ✠ ter ducens Thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul, ad modum Crucis, hoc modo: Elevans Thuribulum ſcilicet ultra Calicem, ducit illud verſus ſe, & mox à latere Evangelii ad latus Epiſtolæ, & ſimiliter faciat alias duas Cruces ſuper *Oblata*.

Biſſ. lit. C. E. §. 40.

Poſtea circumducit ipſum Thuribulum ter girans circa *Calicem*, & *Hoſtiam* ſimul, ſcilicet bis incipiendo à dextera ad ſiniſtram; id eſt habens Thuribulum circa Calicem verſus ſe, illud verſus cornu Epiſtolæ ducendo, circulum ante ſe perficiet, & ſimiliter faciet ſecunda vice, ſed tertia vice è contra ducet Thuribulum à ſiniſtra ad dexteram, id eſt à ſe Thuribulum per latus Evangelii, & poſtea per latus Epiſtolæ circulum ante perficiendo, (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera) diſpenſat verba in qualibet incenſatione hoc modo. In prima Cruce dicendo *Incenſum iſtud* In ſecunda, *à te benedictum* in tertia *aſcendat ad te Domine*. In prima Circuitione dicet: *& deſcendat ſuper nos* in ſecunda: *Miſericordia*, in tertia *Tua*.

Cær. Epiſc. lib. 1. c. 23.

Deinde facta Cruci reverentia, Diaconus amovet à medio Calicem ad partem Epiſtolæ, ne impediat Thurificationem Crucis, & incenſata Cruce, reponit in loco ſuo. Celebrans verò incenſat *Crucem*, *Reliquias*, ſeu *Imagines*, *& Altare*, *ut ſupra dictum eſt*, ſed ſi Sanctiſſimum Sacramentum eſt Thurificandum, Crux non Thurificabitur, interim dicens: *Dirigatur Domine*, *&c.* ita omnia verba diſpenſans, ut eodem tempore verba, & Thurificatio finiantur hoc modo: In prima Incenſatione Crucis dicet: *Dirigatur Domine Oratio mea*, in ſecunda, *ſicut incenſum*, in tertia *in conſpectu tuo*; in prima

Cær. Epiſc. lib. 1. c. 23. & Uſus Eccleſiæ S. Petri Romæ.

in-

incenſatione Candelabrorum à parte Epiſtolæ dicet:*elevatio*, in ſecunda *manuum*, in tertia *mearum*. In prima, & ſecunda incenſatione poſterioris partis cornu Epiſtolę dicet *Sacrificium*; In prima, ſecunda,& tertia incenſatione Planitiei ejuſdem lateris dicet:*Veſpertinum*. Ad partem Evangelii in prima incenſatione Candelabrorum dicet: *Pone*, in ſecunda : *Domine*, in tertia : *cuſtodiam*; ad extremam partem in prima, & ſecunda incenſatione dicit: *Ori meo*, in prima incenſatione Planitiei, ejuſdem lateris dicit: *Et oſtium* in ſecunda *Circumſtantiæ*, in tertia *in labiis meis*. In prima Incenſatione frontis Altaris à parte Evangelii dicet, *ut non declinet*, in ſecunda *cor meum*, in tertia : *in verba malitiæ*, deinde in prima incenſatione frontis Altaris à latere Epiſtolæ dicet *ad excuſandas* in ſecunda : *excuſationes*, in tertia: *in peccatis*.

Si verò ſuper Altare adſint *Reliquiæ*, eodem modo quo ſupra incenſantur. Dum incenſatur *Altare* à parte Evangelii ſecundus Accolythus Miſſale cum cuſſino manibus extra Altare tenebit. Celebrans reddens Thuribulum Diacono dicit: *Accendat in nobis Dominus ignem ſui amoris &c.*

De modo Thurificandi Celebrantem, Chorum, Miniſtros Altaris, & Populum.

CElebrans in Miſſa Solemni tribus vicibus Thurificabitur, primo Ante Introitum poſt Incenſationem Altaris; ſtans enim Celebrans ad Cornu Epiſtolæ brachium ſiniſtrum verſus Altare,& dexterum verſus populum tenens à Diacono,vel ſi abeſt à Thuriferario ambabus manibus Thuribulum tenente ad partem Epiſtolæ extra Altare ſtante, triplici ductu ante, & poſt ei inclinationem faciendo, incenſatur. Celebrans verò nec ante, nec poſt incenſationem Diacono ſe inclinet, ſed immobilis manebit. Et ſimiliter incenſatur Celebrans tertia vice in Miſſa Solemni, incenſatis Oblatis,

&

& Altari,& ad *Magnificat* in Sabato Sancto:Secunda vice incenſatur Celebrans cantato Evangelio:Nã dum Celebrans Miſſale oſculatur,Diaconus Thuribulum à Thuriferario accipit,& ad medium Altaris pergit, ibique ante infimum gradum in plano ſtans, non tamen ſupra, inclinationem faciens Celebranti,ter illum incenſat,& iterum ſe ei inclinet, ſuo loco verò à parte Evangelii, ſtans Thuriferarius, Celebrantem incenſabit, quando Diaconus abeſt.

Biſſ. litt. D. §. 18.

In Veſperis autem incenſato Altari, Celebrans facta in medio reverentia, deſcendit ante infimum gradum debita reverentia ab omnibus ſimul exhibita, pergat ſimul cum miniſtris ordine quo venerat ad locum ſuum in Choro. Sed ſi Chorus valdè diſtat ab Altari, Celebrans deſcendat ante infimum gradum, ibique Thuriferarius eum incenſabit, ut ſupra dictum eſt debitis inclinationibus ante, & poſt. Interim Celebrans ſtat in medio, facie ad Altare verſa, & parumper ad Thuriferarium converſus, nullam tamen ei inclinationem faciet.

Chorus, Miniſtri Altaris, & populus ſemel in Miſſa ſolemni (incenſatis Oblatis, & Altari) thurificantur, & ſemel in Veſperis ſolemnibus ad Magnificat.

In Miſſa ſolemni, thurificatis Oblatis, Altarì, & Celebrante, Diaconus facta ante Altare in medio ſimul cum Thuriferario genuflexione Thuribulum deferente (ſi Chorus eſt retrò Altare) pergit ad Chorum per oſtiolum Epiſtolæ, prędecente Thuriferario nihil deferente, & facta ſolita reverentia in medio, vadit ante ſuperiorem, ſeu digniorem, & illum triplici ductu Thurificat, facta ei profunda reverentia ante, & poſt. Deinde bis Thuribulum ducens Thurificabit ſingulos Sacerdotes à parte Superioris, ſeu dignioris: & unico ductu Thurificabit ſingulos Clericos, & Laicos ex eadem parte; deinde facta debita reverentia in medio, incenſantur ſimiliter alii Sacerdotes, & non Sacerdotes ex altera parte. Dum incenſatur Chorus Thuriferarius ſtat parum retrò à ſiniſtris

ſtris Diaconi, qui finita Thurificatione,factiſque cum illo debitis reverentiis in medio egreditur per Oſtiolum Evangelii ad Altare; In Veſperis ſolemnibus idem ſimiliter faciet Thuriferarius per ſe ipſum.

Diaconus ſtans ante Altare à latere Evangelii in pavimento, duplici ductu Subdiaconum incenſat, facta ei ante, & poſt capitis inclinatione; Poſtea reddito Thuribulo Thuriferario aſcendit ad locum ſuum poſt Celebrantem, & facta genuflexione Altari, & facie ad Thuriferarium converſa, ab illo duplici ductu Thurificatur debitis reverentiis. Thuriferarius incenſato Diacono, incenſabit Accolythos, primò, primum, & ſecundò ſecundum unico ductu, & ſimiliter faciet in Veſperis.

Miniſter Thurificans Chorum, advertat ne terga vertat Altari, vel Sanctiſſimo Sacramento, nec eſt neceſſe illi, vel illis quos Thurificat nimis appropinquare, licèt ſint Prælati. A dignioribus incipiet, tàm in Prælatorum, quam aliorum Thurificatione. Et licet fumigatio thuris, quam ex Altari attulit ſit omninò conſumpta, thus tamen non ſuperaddat, ſed cum illo benedicto (licèt conſumpto) Thurificationem finiat, nec ignis licèt ſit extinctus addatur. Procuret ut in Miſſa ſolemni finita Præfatione, & in Veſperis dicto Dominus vobiſcum, ante Orationem Thurificatio Chori finiatur.

Cum Miniſter Thurificans Chorum, ingrediendo debitam reverentiam in medio exhibuerit, omnes in Choro exiſtentes, ſi ſedent, ſurgere debent. Si aliquis dum incenſatur genuflexus extiterit, erigat ſe, & ſi fuerit ad Altare converſus ad Thurificantem ſe vertat: quia nulli genuflexo, aut ad Altare converſo, vel capite cooperto incenſatio exhiberi debet.

Si Thurificans eſt Clericus imagini faciet genuflexionem, Prælatis, & Dignitatibus profundam reverentiam ante, & poſt Thurificationem in ſignum gratitudinis inclinabunt, Clerici autem mediocriter, ſed ſi Thurificans eſt æqualis,vel majoris dignitatis,cum eo qui Thu-

rificandus eſt, invicem reverentiam facient, ante, & poſt pro eorum qualitate.

Cær. Epiſc. lib. 1. c. 23. Thurificatis Accolythis, ut ſupra Thuriferarius facta genuflexione Altari, ad Populum ſe convertit, & ſtans propè medium Altaris, parum longè ab ultimo gradu Thurificat Populum triplici ductu, graviter, & moroſè Thuribulum ducens, primo in medio, ſecundò à latere Epiſtolæ, ſeù à parte dextera populi Thurificandi, & tertiò à latere Evangelii, ſeu ſiniſtra Populi, facta Populo communiter ante, & poſt, larga inclinatione prima à latere Epiſtolæ, & ſecunda à latere Evangelii incępta.

Si præſens fuerit aliquis S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiſcopus, aut Epiſcopus loci, ſeu Nuntius Apoſtolicus, vel Legatus à latere in ſua Provincia, & intra fines ſuæ juriſdictionis, vel Imperator, aut Rex, ſeu Princeps Magnus, Superiorem non recognoſcens, tunc incenſato Celebrante duplici ductu, immediatè incenſantur prædicti, triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & poſt: Prior autem, & omnes alii Prælati noſtri duplici ductu, & Sacerdotes uno Thurificabuntur, & ſi aderit Vicarius noſter Generalis, ipſe duplici ductu, alii verò Prælati noſtri, & Sacerdotes, Diaconus, & Subdiaconus in Miſsa unico tantum Thurificabuntur. Præſente Cardinali, Epiſcopus loci duplici ductu Thurificabitur: Prælati autem noſtri omnes, & dignitates unico tantum incenſabuntur. *Cær. Epiſc. ibidem.*

Epiſcopus, vel alius Prælatus Eccleſiaſticus, extra fines ſuæ Juriſdictionis, Pro rex, vel Gubernator Regni, ſeu Provinciæ in ſuo Regno, vel Provincia, Princeps, & Heros Superiorem recognoſcens intra fines ſui Dominii incenſabitur triplici ductu immediatè poſt Celebrantem, triplici ſimiliter ductù Thurificatum. Prior verò, Chorus, & Populus Thurificantur, ac ſi prædicti abeſſent. Magiſtratus Civitatis Thurificatur ſecundum uſum, & conſuetudinem loci.

Si aliqua Perſona ex prædictis inter Fratres in Choro

exti-

extiterit, ſi ante illum nullus Prælatus ſederit, modo prædicto illi Thus dari debet. Sed ſi poſt Priorem ſederit, ut Prior Thurificabitur. Alios autem Sęculares, ſi inter Fratres non fuerint, Thurificare non convenit. Prior ante quoslibet Eccleſiaſticos, & Sęculares, (exceptis prædictis) Thurificandus eſt. Si aliqua Mulier inſignis fuerit in noſtra Eccleſia, ut Regina, vel magna Principiſſa, utique, & ipſi thus dari convenit in loco, ubi daretur ejus Viro, ſi adeſſet. *Cær. Epiſc. ibidem.*

De Modo, & Ordine dandi Pacem. Cap. XIX.

Dicto *Agnus Dei &c.* Diaconus à dexteris Celebrantis genuflexus expectat pacem, & finita Oratione ſecreta: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, Pacem &c.* cum Celebrans eſt oſculaturus Altare ipſe ſurgit, & oſculatur Altare extra Corporale, ſimul, & eodem tempore, cum ipſo Celebrante, à quo dicente: *Pax tecum*, complexus, accipit parum inclinatus pacem, ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus, & levitèr tangentibus, & ei reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*; Poſtea facta Sacramento genuflexione vertit ſe ad Subdiaconum ſtantem retrò poſt Celebrantem, & nulla ad invicem inclinatione præmiſſa, eodem modo ſe amplexantibus, & ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus, & leviter tangentibus, dat ei Pacem dicendo: *Pax tecum*, & ipſe reſpondet: *Et cum Spiritu tuo*, & poſtea mutuo ſibi invicem inclinationem faciant. *Miſs. Rit. 10. num. 8. & Cær. Epiſc. lib. 1. c. 24.* *Cær. Epiſc. lib. 1. c. 8. & Cærem. Pariſ. Craſ. l. 1. cap. 50.*

Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta in medio ante ultimum gradum Altaris, ſimul cum Thurifario genuflexione, comitatus ab eo vadit manibus junctis ad Chorum per Oſtiolum à latere Epiſtolæ, & facta in medio debita reverentia Altari, dat Pacem primò digniori, eum complectens, ſiniſtris genis ſibi invicem approquinquantibus, licèt ſit Vicarius noſter Genera- *Cærem. Pariſ. Craſ. & Uſus Eccl. S. Petri Romæ.*

lis, vel etiam aliquis Epiſcopus dicendo: *Pax tecum*, & ille reſpondet: *Et cum Spiritu tuo*: Deinde Subdiaconus parum retrogrediens, ei inclinationem faciat profundè, vel mediocriter, ſecundum dignitatem perſonæ, & facta in medio debita reverentia, dat pacem ei, qui eſt in primo loco Alterius Chori, & ſi Chorus habuerit alios ordines Sedium, Subdiaconus deſcendens, duobus primis Chori inferioris, *ut ſupra pacem dabit*. Deinde factis iterum in medio reverentiis ſolitis, revertitur, per oſtiolum Evangelii ad Altare, ubi facta genuflexione in medio, ante infimum gradum, dat Pacem Thuriferario, qui ipſum comitaverat, & Thuriferarius dabit pacem Accolythis ante Altare manentibus.

Cær.Epiſc. l.1.c.24.

Ille qui a Subdiacono Pacem in Choro accipit, eodem modo quo illam accepit, alteri propè ipſum ſtanti, *Pax tecum*, dicendo, Pacem dabit, & ille alteri, & uſque ad ultimum. Qui pacem recipit, ſe inclinet verſus Pacem dantem dicendo: *Et cum Spiritu tuo*, & poſtea ei reverentiam profundam, vel mediam ſecundum ejus dignitatem, vel recipientis gradum facere debet. Si dum datur pax, aliquis in Choro ſedebit, vel fuerit genuflexus, aut inclinatus, ſe erigat, & faciem verſus deferentem vertat: Quia nullo Eccleſiaſtico oſculum Pacis dandum eſt niſi ſtanti.

Cær.Epiſc. ibidem.

Si aderunt Laici, ut Magiſtratus, & Barones, & alii Nobiles, detur eis Pax, eodem ordine, *ut in præcedenti capitulo de Thurificatione dictum eſt*. Poteſt etiam eis dari Pax per oſculum. Aliis autem Sęcularibus ordinariis pax nunquam dari debet, niſi fuerint inter Fratres in Choro.

In Miſſa privata, & etiam ſolemni, ſi adſit aliquis Prælatus Eccleſiaſticus, vel Princeps Sęcularis, ſeu Principiſſa in locis ſuæ Juriſdictionis, cum inſtrumento Pax eis deferatur, & nullo modo cum Patena; quia Patena extra Altare deſervire non debet. Dicto *Agnus Dei &c.* Miniſter aſcendit ad Altare, accipit Pacis Inſtrumentum

à parte

à parte Epiſtolæ exiſtens, & ibi in cornu Epiſtolæ ad dexteram Celebrantis ſtat genuflexus, & dextera manu inſtrumentum pacis elevatum ſuper Altare tenebit, donec dicta ſit Oratio: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* Qua finita Celebrans oſculatur Altare in medio, & Miniſter adhuc genuflexus, Inſtrumentum Celebranti offert oſculandum, quo oſculato à Celebrante, ab eodemque dicto: *Pax tecum*, Miniſter reſpondet: *& cum ſpiritu tuo*.

Miniſter nullo modo Inſtrumentum Pacis oſculabitur, ſed ſurgens, iterumque Sacramento genuflectens vadit ad Prælatum, ſeu Principem, & ſtans ante illum abſque ulla inclinatione, vel reverentia, ſignum reverentiæ faciet hoc modo, ſcilicet ſiniſtra manu velo coloris Paramentorum è manubrio Pendente Inſtrumentum Pacis, ubi Prælatus, vel Princeps eſt oſculaturus leviter extergit, vel tangit, poſtea velum in illa parte, qua inſtrumentum tetigit, oſculabitur, ac ſtatim abſque ulla inclinatione, (licèt ille cui Pax defertur eſſet Supremus Princeps, ſeu etiam Imperator, aut Cardinalis, *Cær. Epiſc lib. 1. c. 29.* quia ante non habetur conſideratio Miniſtri deferentis, ſed ipſius Pacis, quæ à Sacrificio Altaris ad Prælatum, ſeu Principem defertur) Inſtrumentum Pacis oſculandum ei offerens, dicit: *Pax tecum* quo oſculato Miniſter reverentiam faciet. Et ſi plures ſint Prælati, eodem modo ſingulis Pacem dabit, incipiendo à digniori. Poſtea inſtrumentum Pacis ſuper Altare in Cornu Epiſtolæ deponet. *Cær. Epiſc. lib. 1. c. 24. & 29.* Si Miſſa Celebratur pro Defunctis, Pax dari non debet. Ritus autem, ſeu Ordo dandi pacem in aliquibus ſolemnitatibus, habetur infra.

De Abacu, ſeu Credentia. Cap. XX.

CRedentia, ſeu Abacus in noſtris Miſſis ſolemnibus, non erit longior, neque altior quatuor Palmis, & nunquam in Veſperis, ſed pro Miſſa ſolemni-

lemni tantùm ſolet præparari, linteamine albo, ſeu mantili lineo non benedicto, ſed mundo, & ſimplici ſuper ſtrato, uſque ad terram circumcirca pendente contegatur, & nullo modo Pallio paretur, non Crux, nec Imagines, neque Reliquiæ ſuper eam ſunt ponendæ. Ad partem Epiſtolæ in plano ut regulariter fit, locabitur, ſi loci diſpoſitio patitur, ſin autem ut poteſt; propè tamen Celebrantem.

Miſſal. Rit. 2. n. 5. & Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 12.

Super Angulos Credentiæ ponentur duo tantum Candelabra Accolythorum candelis continuè accenſis, in ipſius medio ſit Calix cum Purificatorio, Patena, Hoſtia, Palla, Velo, & Burſa Coloris paramentorum, intus habente corporale plicatum.

Uſus Eccleſ. S. Petri Romæ.

Si ad Introitum incenſandum eſt Altare; Super Credentiam ponetur Cuſſinus coloris paramentorum cum Miſſali Celebrantis Clauſo, & aliud Miſſale pro Epiſtola, & Evangelio canendis. Si autem ad introitum non incenſatur, Cuſſinus, & Miſſale Celebrantis, apertum ponetur ſuper Altare in Cornu Epiſtolæ, & ſuper credentiam ponetur Miſſale pro Epiſtola, & Evangelio.

Super eandem Menſam ponentur etiam pelviculæ cum ampullis vini, & aquæ manutergio coopertis, & omnia ſupradicta cooperiantur velo pulchro Coloris cæterorum Paramentorum, quo Subdiaconus cum Patenam tenebit, uti debet; ponetur etiam vas cum aqua benedicta, & aſperſorio, ſi eſt dies Dominicus, & alia ſi quæ erunt neceſſaria. In Sacriſtia erit vas cum carbonibus accenſis, & forcipe ad ipſos carbones in Thuribulo commodè ponendos.

Cær. Epiſc. ubi ſupra.

In Miſſis Defunctorum ſi facienda eſt abſolutio in fine, ſuper Credentiam erunt Pluviale nigrum, & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio.

CÆREMONIALIS ECCLESIASTICI JUXTA RITUM ROMANUM,

Uſumque Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. P. Auguſtini, Congregationis Italiæ, & Germaniæ:

LIBER QUARTUS.

De Ritu Eccleſiaſtico in perpetuis totius anni feſtivitatibus obſervando.

De Tempore Adventus. Cap. I.

ADventum Domini, qui eſt tempus renovationis, & reformationis novi Hominis B. Petrus Apoſtolus per quatuor Hebdomadas ante Nativitatem Domini noſtri primò inſtituit venerari in Commemorationem, & memoriam Adventus ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Tempus Adventus à Veſperis Sabbati ante primam Dominicam Adventus incipiet, & uſque ad primas Veſperas Nativitatis Domini excluſivè durat.

Gracil. Du-ran. in rat. l. 6. & Teſaur. Sacer. part. 1.

Quia verò Tempus Adventus eſt Tempus partim lętitiæ partim Mæroris, ideò in Officio de Tempore paramenta ſemper erunt violacea, & ſuper Altare nun-

quam

quam in Dominicis,aut feriis vaſcula cum Floribus, aliavæ ſimilia ponant, exceptis feſtis Sanctorum, & Dominica tertia, quæ eſt Dies lætitiæ. Miſſæ verò, & officia hoc Tempore celebrent prout in Miſſali, & Breviario continetur. Advertendum eſt quod ſi in Dominicis Adventus venerit aliquod feſtum ſecundę Claſſis, tunc pulſari debent campanę, ac ſi feſtum Celebraretur.

De Vigilia Nativ. Dñi N. Jeſu Chriſti. Cap. II.

TEmpus Nativitatis Dñi incipit in primis Veſperis ejuſdem Feſti Nativitatis,& uſque ad ſecundum Completorium Officii Purificationis B. Mariæ incluſivè durat, etiam ſi prædictum feſtum Purificationis propter aliquam Dominicam 2. Claſſis occurrente transferatur. Tempus enim Nativitatis terminat ſemper die 2. Februarii.

Sac. Rituum Congreg.

In Vigilia Nativitatis Domini, Hora prima ſolemniter cantabitur, & Sacerdos Martyrologium cantaturus induitur ſuperpelliceo,& Stola violacea, & cũ canitur Capitulum, Cantor ponet Legile in medio Chori, Martyrologio deſuper impoſito, & dum canuntur Reſponſoria brevia, Sacerdos ingreditur Chorum manibus junctis, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & navicula, & Ceroferariis cum intorticiis accenſis, & in medio faciunt Altari debitam reverentiam, & Prælato inclinationem. Sacerdos miniſtrante Thuriferario Thuribulum,& Clericò naviculam dicendo. *Benedicite Pater Reverende*, ponit incenſum in Thuribulo more ſolito dicens: *Ab illo benedicaris &c.* & incenſat ter librum, ut fit ad Evangelium, Ceroferarii aſſiſtent Sacerdoti facie ad invicem versà, & Thuriferarius poſt ejus terga.

Dicto *Benedicamus Domino*, reſponſoque à Choro *Deo gratias*,omnibus in Choro ſtantibus, & capitibus detectis Sacerdos non ſignans librum neque ſe ipſum incipit ſonora voce. *Octavo Kalendas &c.*& proſequitur eadem

dem voce uſque ad illa Verba: *In Betlehem Judę naſcitur ex Maria Virgine factus Homo.* Quæ quidem Verba canet altiori voce, & in fine genuflectet; Omnes autem in Choro exiſtentes à principio illorum Verborum ſe in Terram proſternent, exceptis Sacerdote, qui finitis prædictis Verbis genuflectet, ut ſuprà, & non ſe in Terram proſternet, & Accolythis, qui ſemper ſtare debent. Deinde Sacerdos paulò altius dicat. *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Carnem &c.*

Quibus dictis omnes ſurgunt, & ſtatim Sacerdos, ut ſupra indutus factis debitis reverentiis diſcedit cum Accolythis, & Lector ordinarius, ſedente Choro capite cooperto, proſequitur in tono ordinario Lectionē Martyrologii ab illis Verbis. *Eodem die Natalis S. Anaſtaſię, &c.* Deinde dicet prò abſolutione Capituli Lectionem brevem. *Per quem accepimus gratiam &c.* Veſperæ canuntur Solemniter à Prælato cum veſtibus Sacris, ſcilicet Pluviali, Stola &c.

De Solemnitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & tribus ſequentibus Feſtis. Cap. III.

NAtalis Domini Noſtri dies, in quo Chriſtus Jeſus prò Redemptione Mundi naſci corporalitèr voluit, ab Apoſtolis ſolemniter inſtitutus fuit. Ad Matutinum hora quinta noctis pulſentur ſolemniter Campanæ prò primo ſigno, & accenſis in Eccleſia luminibus, Portæ ejus aperiantur, & Carbones ignis ardentis diverſis in locis locentur. Dato 2. ſigno Celebrans pluviali, & Miniſtri ſuperpelliceis in Sacriſtia induuntur, & accenſis luminibus in Choro, & Altari, decurſaque ſexta hora noctis cum dimidia dabitur tertium ſignum, & tunc Celebrans cum Miniſtris procedit ad Chorum ad canendum Matutinum eo modo, & ordine, *quo dictum eſt lib. 2. cap. de Matutino ſolemni*: Quod numquam cum Pluviali canitur, niſi expreſsè notetur.

Cantata per Celebrantem Nona Lectione, ſtatim ipſe ibidem ante Legile intonat Hymnum: *Te Deum laudamus*. Interim Diaconus, & Subdiaconus induuntur in Sacriſtia veſtibus Sacris pròMiſſa Solemni, Thuriferarius omnia prò Celebratione neceſſaria in credentia pręparabit. Finito Hymno Præſidens Chori canet in Choro verſum: *Dominus vobiſcum*: *Oremus &c.* & Orationem: *Concede quæſumus &c.* & repetit *Dominus vobiſcum*, Cantores canunt: *Benedicamus Domino*, & reſponſo à Choro *Deo gratias*, Verſus *Fidelium Animæ* non dicitur, quia immediatè ſequitur Miſſa.

Mox Celebrans procedit cum Miniſtris ad Altare *ut habetur in capite de Miſſa Solemni*. Cum Celebrans intonat: *Gloria in Excelſis &c.* Campanæ in ſignum Lætitiæ Solemniter pulſantur. Dum canitur à Choro Verſiculus Symboli: *Et incarnatus eſt*; Celebrans, & omnes alii genuflectere debent in omnibus tribus Miſſis Nativitatis Domini.

Celebrans ſumpto Sanguine non purificabit Calicem vino, nec minus Purificationem ſumet, ſed tantum digitos abluet, non in Calice, ſed in Vaſe vitreo ad hunc uſum pręparato ſibi à Subdiacono porrecto, poſteà idem Subdiaconus immiſſo per Accolythum in Calicem vino illum purificat, & Vinum in Vaſculum Purificationis infundit aſſumendum poſt ultimam Miſſam, Calicemque Purificatorio abſterget, & more ſolito accomodatum, ad Credentiam deferet.

Finita prima Miſſa ſolemni, Pręſidens in Choro ſtatim intonabit: *Deus in adjutorium* prò Laudibus, quæ à Capitulo tantum Canuntur, & Celebrans in Sacriſtiam deponit Planetam, & Manipulum, & accepto Pluviali cum Miniſtris ad Chorum pergit, & aſſiſtit ad Laudes eo modo, & iiſdem cæremoniis, ac incenſationibus, *prout de Veſperis ſolemnibus dictum eſt*: Diaconus etiam, & Subdiaconus depoſitis in Sacriſtia Sacris veſtibus, ad Chorum redibunt.

Pri-

Prima Miſſa Solemni finita non poterunt noctis Tempore aliæ Miſſæ privatæ celebrari, quia hoc eſt à Sacra Rit. Congreg. prohibitum, die 7. Septembris 1641. & die 9. Auguſti 1653. Animadvertat Sacriſta, quod hac die in ſingulis Altaribus, in quibus eſt Celebrandum ſint Vaſcula Criſtallina, vel vitrea, Palla, vel Purificatorio cooperta prò ablutione Celebrantium.

Sacerdos Tres Miſſas ſucceſſivè unam poſt aliam Celebraturus, in Sacriſtia tres Hoſtias ſuper Patenam Calicis ponet, & cum in Altari Calicem præparat, duabus Hoſtiis ad Partem in Altari poſitis, unam tantum ſuper Patenam relinquat, poſt primam, & ſecundam Miſſam ſumpto Sanguine, nulla facta Purificatione, neque ablutione, Calicem in medio Altaris collocat, & Patena cooperit, & digitos cum vino, & aqua in vaſe mundo præparato abluit, & nullo modo intra Calicem, in quo Sanguinem conſecravit. Terſis Purificatorio digitis, vaſculum propè Altaris medium collocet, & cooperiat: Calicem, in quò conſecravit non purificabit, nec Purificatorio deterget, neque ſuper illum Purificatorium extendat, ſed ſuperimponens ei Patenam, & Pallam deſuper velum aptabit, non tamen Corporale plicabit. In fine dicto Evangelio S. Joannis: *In Principio erat Verbum &c.* & facta in medio Reverentia, deſcendit ante infimum gradum, & incipit aliam Miſſam. In Tertia vero Miſſa ſumpto Sanguine, Calicem vino abluit, & Purificationem ſumit, poſteà more ſolito digitis vino, & aqua in Calicem ablutis, ac Purificatorio terſis, vinoque Purificationis à Vaſculo intra Calicem Celebrantis infuſo, ablutiones ſumet; deinde Calicem, in quo Celebravit, & Vas ablutionis Purificatorio terget. Reliqua more ſolito proſequetur.

Si aliquis Sacerdos non continuatim, ſed tempore interpoſito Miſſas Celebrare voluerit, poſt quamlibet Miſſam Communione peracta, Calicem vino purificabit, & Purificatorio abſterget. Reliqua faciet ut in Miſ-

ſis ordinariis. Si ob rationabilem Cauſam unicam tantum Miſsã hac die aliquis dicere voluerit, licet quamlibet ex tribus aſſignatis dicere valeat; Tertia tamen Miſſa convenientior erit, quia hæc magis Officio diei reſpondet, & ſecundum Miſſalis rubricas. Miſſa quoad fieri poteſt Officio debet convenire, ſi verò Celebrans per oblivionem ſumeret in prima, vel ſecunda Miſſa Purificationem, vel ablutionem, finita illa Miſſa, ſtatim redeat ad Sacriſtiam, quia cum ipſe non ſit jejunus, aliam Miſſam celebrare non poteſt.

Hora Tertia Decima pulſabitur primum ſignum prò ſecunda Miſſa in Aurora cantanda, omnibuſque in Choro congregatis canitur Hora Prima, & interim Celebrans cum Miniſtris in Sacriſtia Sacris induitur Veſtibus. *Finita Prima*, Celebrans cum Miniſtris procedit ad Altare more ſolito, & in Miſſa non ſumit Purificationem, neque ablutionem, ſed ſolum abluit in Vaſe Digitos. Illuceſcente die Lampades concinnantur. Communio fit in Altari ad hoc deputato, ac etiam poſt tertiam Miſſam cujuslibet Celebrantis.

Hora competenti canitur in Choro *Hora Tertia*, & interim Celebrãs, & Miniſtri Sacris Veſtibus induuntur. Si eſt dies Dominicus fiat aſperſio Aquę benedictæ; canitur Miſſa, & ad illa verba Evangelii: *Et Verbum Caro factum eſt*, omnes excepto Subdiacono, & Accholythis genuflectunt; Diaconus facie ad librum converſa; Reliqui verò omnes facie ad Altare. Veſperæ Solemniter cum Pluviali canuntur. In Feſtivitatibus autem Sanctorum Stephani, Jo: Evang. & Innocentium, Veſperæ cum Pluviali ſolemniter cani poterunt.

De

De feſto Circumciſionis Domini noſtri, & Annua Benedictione Conventus. Cap. IV.

CIrcumciſio fuit inſtituta à Deo Tempore Abrahę, quæ fiebat in Carne Præputii contra originale Peccatum, quod à Parentibus per concupiſcentiam contraximus. Hæc Dies eſt Octava Nativitatis Domini à tempore antiquo ſolemniter celebrata, ratione Nominis Jeſu hodierna die impoſiti, & ejus pretioſiſſimi Sanguinis pro nobis in Circumciſione effuſi. In primis Veſperis Circumciſionis (quæ ſicut etiam Matutinum, & ſecundæ canuntur abſque Pluviali, niſi ſit Titularis Eccleſiæ) nulla fit Commemoratio, nec etiam S. Sylveſtri. Ritus autem, & Ordo benedicendi hac die Conventum *habetur infrà, ac in Ordinario Precum*. Hac eadem die tempore orationis mentalis matutinæ fit capitulum de ſolemnitate occurrente, & ſchedulæ Sanctorum menſis, & anni diſtribuuntur.

De Feſto Epiphaniæ Domini. Cap. V.

EPiphania Græcè, Latinè verò Apparitio, ſeu Manifeſtatio appellatur. Hæc Feſtivitas videtur ab Apoſtolis inſtituta, nam viri Apoſtolici, ut Mundus Deum, quem Elementa, Cælitus prædicarunt, agnoſceret, hunc Diem annua ſolemnitate ſacrarunt.

Primę Veſperę ſolemnitèr à Prelato cani debent cum Pluviali ſicut, & Matutinum ab eodem Sacris veſtibus induto, modo, quo dictum eſt, *in cap. de Matutino ſolemni*. Ideoque dicto ſecreto *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo in Deum &c.* ommiſſis illis verbis: *Domine Labia mea aperies &c. Deus in Adjutorium &c.* immediatè intonat Antiphonam: *Afferte Domino*, ſignans ſe ante Antiphonam, ſicut ſolet fieri ad verſum. *Deus in Adjutorium*, ait enim D. Hieronymus; *Ante omnem* *Gavant. to. 2. ſect. 6 cap. 13. num. 8. & Biſſ. in ſimil. litt. M. §. 2.*

Actum

Actum manus pingat Crucem, quod etiam facient alii Choriſtæ,& Cantores intonant Pſalmum, *ut habetur lib. 2. cap.de Matutinis Solemnibus*.

In tertio Nocturno, ne confuſio Chori oriatur, ſed devotiùs Officium recitetur, erunt quatuor Cantores in medio, duo primi Cantores ab Altari, ſeu imagine remotiores incipient canẽdo Antiphonam:*Venite adoremus eum*; qua intonata ſtatim genuflectent, & Chorus manens genuflexus proſequitur: *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter*; & ſtatim omnes ſurgunt, primi Cantores cantabunt primum verſum Pſalmi:*Venite exultemus &c.* ſecundi Cantores altari propinquiores canent ſecundum verſum: *Præoccupemus &c.* & ſic viciſſim canent totum Pſalmum, primis Cantoribus ſemper canentibus verſum immediatè poſt Antiphonam: *Venite Adoremus eum &c.* ſicut fit ad Invitatorium cujuslibet Matutini, omnes autem in Choro erunt genuflexi à principio uſque ad finem Antiphonæ *Venite Adoremus &c.*quoties repetitur.

Ad verſũ 7. & 8. Reſponſorii ad illa Verba *Cùm Maria* ſe erigant,& profundè ſe inclinent omnes in Choro exiſtentes, & deinde ſe genuflectant ad illa Verba: *Et procidentes adoraverunt eum* quibus prolatis ſurgunt, & data benedictione ſedeant.

Ad omnes Miſſas, dum in Evangelio dicuntur illa Verba: *Et procidentes adoraverunt eum*,genuflectitur, & ſimiliter in Miſſa ſolemni omnes(excepto Subdiacono,& Accolythis)genuflectant, Diaconus facie ad librum converſa, reliqui verò Omnes ad Altare. In ſecundis Veſperis, quæ ſolemniter à Prælato canuntur cum Pluviali, nulla debet fieri Commemoratio, niſi de Dominica, ſi Feſtum Epiphaniæ venerit in Sabbato.

De Votorum renovatione. Cap. VI.

SIcut Dedicatio Templi materialis à S. Matre Eccleſia annua feſtivitate colitur, ita à nobis celebritas Templi ſpiritualis Animæ annua votorum re-

no-

novatione debet honorari ſecũdum exhortationem Beati Pauli Apoſtoli: *Renovamini Spiritu mentis veſtræ*.

In die igitur Epiphaniæ Domini hora Orationis mentalis matutinę, Fratres omnes ad Capitulum convenient, & genuflexi dicent Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*, cum verſu, & Oratione ſolitis. Quibus finitis ſedebunt, & facto per Superiorem, vel alium ad nutum ejus circa renovationem votorum Sermone, datoque oſculo Pacis, atque Abſolutione Generali procedunt ad Eccleſiam, & accenſis in Altari candelis, exponitur Sanctiſſimum Sacramentum per R.P.Priorem ſuperpelliceo, & Stola alba indutum, qui poſito incenſo in Thuribulo abſque benedictione, & oſculis, genuflexus triplici ductu Sanctiſſimum Sacramentum thurificat, facta profunda inclinatione anteà, & poſteà.

R.P.Prior indutus, ut ſuprà ante medium Altaris in plana Terra coram Sanctiſſimo Sacramento genuflectitur, & renovat ſuam Profeſſionem vulgaribus Verbis ſequentibus (quæ verba debent eſſe ibi ſcripta in Tabella, aut teneatur hoc Cæremoniale, ut legendo ea recitent, ne confuſio oriatur.)

Io Fr. de S. N. viliſſimo peccatore, & indegniſſimo Servo della Maeſtà Voſtra, rinuovo, e conſermo in preſenza Voſtra, e della Santiſſima Trinità, e di tutta la Corte Celeſte, la mia Profeſſione, e prometto alla V. Maeſtà Dio mio, alla Beatiſſima Vergine Maria, al P. S. Agoſtino, & al noſtro Superiore d'oſſervare i Voti d'Obedienza, Povertà, Caſtità, & Humiltà ſecondo la Regola, e Coſtitutioni noſtre ſino alla Morte. Et à maggior gloria voſtra, confidando ſolo nel voſtro Divino ajuto, propongo eſercitarmi in queſt'anno nella virtù N. Vel in aliis virtutibus, quibus voluerit, ſeù magis indigere perſpexerit.

Quibus Verbis finitis, quin Terram oſculetur, ſurgit, & à parte Evangelii propè Altare genuflectit, genuflexis manentibus omnibus.

Mox dignior ex Patribus ante Sanctiſſimum Sacramen-

mentum in medio genuflexus, clara voce Profeſſionem renovabit, & Virtutem proponet, ut ſuprà, & oſculata Terra in ſuum locum redibit, & genuflectet, & hunc ordinem ſervabunt omnes Fratres à dignioribus incipiendo, & ne Tædium generetur, dum unus Virtutem, ſeù Virtutes proponit, alter accedet, ut dū unus diſcedit, alter ſtatim genuflexus incipiat. Deinde debito ordine accedunt Converſi, ſeû Laici, & Tertiarii Profeſſi, & eodem modo ſua vota renovabunt. Novitii verò genibus flexis ibi aſſiſtant, & nihil dicant, ſed bona propoſita mente revolvant, ac Deo proponant.

Poſtea Præſidens ſolus erectus dicit *Pater noſter*, quo ſecreto completo, dicit Verſus, & Orationem, prout in Ordinario Precum &c.

Deinde R.P.Prior ponit incenſum in Thuribulo, & Sanctiſſimum Sacramentum Thurificat, *ut ſuprà*, benedicit Fratres cum Sanctiſſimo Sacramento, nihil dicens, & reponit Sacramentum intrà Tabernaculum, quo clauſo omnes diſcedunt.

De Benedictione, ac diſtributione Candelarum, ac Proceſſione, & Miſſa in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Cap. VII.

Niceph. hiſtor. lib. 12.

PUrificationis B. Mariæ Virginis ſolemnitas, quæ à Græcis *Hyppapante* appellatur, Tempore Juſtiniani Imperatoris, cum ſic expoſcentibus Hominum commiſſis apud Conſtantinopolim, Mors potenti manu tunc invaluiſſet, *à Sergio Papa primo* liberationis cauſa ad Honorem Deiparæ Virginis Conſtantinopoli Orientali Eccleſia inſtituta fuit: In Eccleſia autem Occidentali *à Gelaſio Romano Pontifice* triginta annis prius fuit introducta. In cujus Proceſſione feruntur Cerei ardentes, quia lumen, quod eſt *ad revelationē gentium*, ſicut dixit Simeon, hoc die prò nobis in Templo fuit præſentatum.

Cæſ. Baron. in Mar. Rom.

De

De Benedictione Candelarum.

ALtare habeat duo pallia, ſcilicet unum album, & ſuprà illud alterum violaceum, removendum à Sacriſta in fine Proceſſionis, niſi hoc feſtum venerit in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ. Dum in Choro canitur hora tertia paramenta Altaris erunt convenientia Officio, quod celebratur, ut ſi ſit Officium de feſto Beatiſſimæ Virginis veſtimenta erunt alba, ſi autem ſit Officium de Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, veſtimenta erunt violacea.

Sacriſta dum canitur Tertia, candelas benedicendas à latere Epiſtolæ ſuper Credentiam ponet, ita ut Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ commodè poſſit eas aſpergere, & thurificare poſt illarum benedictionem. Candelæ benedicendæ ſint ex cera alba, in quantitate ſufficienti prò Eccleſiæ, & conſuetudinis qualitate. Sacriſta in fine Tertiæ cooperit Altare pallio violaceo, ſi ibi à principio non erat.

Thuriferarius ſuper ipſam Credentiam deferat vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & propè Credentiam ponet Crucem proceſſionalem, & in Altari à parte Epiſtolæ ponat Miſſale, ſubtus habens cuſſinum violaceum. Accolythi verò cottis, ſeù ſuperpelliceis induti accendunt Cereos in Altari, & in Candelabris ab ipſis deferendis.

Finita hora Tertia, quæ terminatur cum Versù *Benedicamus Domino* (ubi advertendum eſt, quod Verſus *Fidelium Animæ* numquam eſt dicendus in fine illius Horæ, poſtquam ſequitur Miſſa cantata, vel etiam privata dummodo ſit Conventualis, vel Pſalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, vel Officium Defunctorum, Pſalmi Graduales, aut Officium B. Mariæ Virginis, etiam ex Devotione recitandum, in his omnibus caſibus terminabitur

Bauldr. p. 2. cap. 11. ar. 1. n. 46. & Biſ. lit. T. I. num. 112. §. 7.

hora cum verſu *Benedicamus Domino*) Prior ſit in Sacriſtia indutus amictu, Alba, Cingulo, Stola, & pluviali violaceo unà cum duobus aliis habitu Diaconali,& Subdiaconali ejuſdem coloris violacei indutis, ſcilicet cum Planetis plicatis ante pectus, ſine manipulis habente Diacono ſub Planeta Stolam ab humero ſiniſtro pendentem ſub brachio dextero; quia Benedictio, & Proceſſio candelarum ſemper fit Paramentis violaceis,& quocumque feſto etiam primæ Claſſis adveniente, nunquam hæc Benedictio, nec Proceſſio transferuntur.

Procedunt ad Altare primò Thuriferarius cum Thuribulo non fumigante, & navicula, ſequuntur duo Accolythi cum Candelabris accenſis, poſtea Subdiaconus, & Diaconus medium habentes Celebrantem, ut fit in ſolemni Aſperſione aquæ benedictæ. Si eſt dies Dominicus Thuriferarius non defert Thuribulum, cum ante Candelarum Benedictionem immediatè neceſſariò fieri debeat Aſperſio aquæ benedictæ. In Conventibus parvis, ubi commodè fieri non poteſt,omittantur Diaconus, & Subdiaconus.

Statim, ac Celebrans pervenerit ante Gradus Altaris, facta cum Miniſtris debita reverentia, & ſi eſt dies Dominicus facta Aſperſione, & dicta Oratione: *Exaudi nos Domine &c.* aſcendit ad Altare, quo in medio oſculato, & facta inclinatione accedit ad partem Epiſtolæ inter medium, & cornu Altaris, & ſtantibus Diacono à dexteris, & Subdiacono à ſiniſtris Celebrantis, ipſe Celebrans ſtans verſus Altare incipit clara voce,& manibus junctis benedictionem dicens: *Dominus Vobiſcum &c.* cum Orationibus, ut in Miſſali habetur; interim ſemper ſtans junctis manibus, præterquam dum dextera extenſa ſignum Crucis facit ſuper Candelas, ſiniſtra ſuper Altare poſita, & Diacono fimbriam pluvialis dexteram anteriorem elevante,ne brachium Celebrantis impediatur. Accolythi facta ſimul cum Celebrante genuflexione Altari, Candelabra ſuper Credentiam deponant, & pri-

mus

mus Accolythus accipit Vas cum Aſperſorio aquæ benedictæ, & ſtat à latere Epiſtolæ ſimul cum Thuriferario.

Finita quinta, & ultima Oratione, ſcilicèt: *Domine Jeſu Chriſte, qui hodierna die &c.* Celebrans miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario Thuribulum, imponit cum oſculis more ſolito incenſum in Thuribulum, & benedicit, deinde accepto aſperſorio cum oſculis de manu Diaconi, qui Pluvialis partem dexteram elevat, dum Celebrans aſpergit ter ipſas candelas, ſcilicet in medio, à dexteris, & ſiniſtris eorum, dicens Antiphonam: *Aſperges me Domine &c.* ſine cantu, ſine Pſalmo, & ſine Gloria Patri, poſtea accipit Thuribulum, Diacono ſimiliter miniſtrante, & ſimili modò triplici ductu candelas thurificat. Thuriferarius accepto à Diacono Thuribulo, & primus Accolythus Aſperſorio, illa cum Vaſculo in Sacriſtiam deferant.

De Diſtributione Candelarum.

BEnedictione Completa Celebrans cum Diacono, & Subdiacono ad medium Altaris ſe retrahit, & inclinationem omnes ſimul faciunt, deinde Altari renes vertentes, ad Populum ſe convertunt, & Celebrans ſtat medius inter Diaconũ à ſiniſtris, & Subdiaconum à dexteris, eo quia Diaconus in hoc caſu debet *Biſſ. li t B.E*
porrigere Celebranti candelas diſtribuendas, quod *n.87.§.10.*
idem propter eandem rationem ſervari debet in diſtributione Palmarum. Tunc Supprior aut dignior, ſeù Præſidens Chori accedit ad Altare per Oſtiolum Evangelii, quem ſequuntur alii bini, bini à dignioribus incipiendo. Prædictus dignior Sacerdos ſine Stola facta ante infimum gradum Sacramento genuflexione, accipit de manu Diaconi ſine oſculis candelam benedictam *Biſ. ibid. §. 11*
non accenſam, & ſtans ſuprà gradum viciniorem Bradellæ aliquantulum à latere Epiſtolæ cum debita reverentia, candelam deoſculatam dat in Manu Celebran-

 tis,

tis, qui eam accipiens non genuflectit,nec manum illius,
Idem ibid. ſed tantum Candelam oſculatur, quam tradet Subdiacono, à quo conſignabitur alicui Accolytho tenendam uſque ad Proceſſionis initium. Celebrans ſtatim incipit diſtribuere candelas non accenſas primò eidem digniori, à quo ipſe acceperat, ante eum genuflexo, niſi ſit Prælatus, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, & genu-
Bauldr. p. 4. c. 6 a. 2. Biſs. ut ſup. §. 11. & 12. flexis, mox omnibus aliis Sacerdotibus; poſteà Fratribus Clericis, & Converſis binis ad Celebrantem accedentibus; Deinde Thuriferario, & Accolythis, & ultimo Sæcularibus, cum hoc tamen, quod Principibus, Magnatibus,ſeù Nobilioribus ſolummodo ad Altare,ce-
Cærem. Epiſc. l. 2. c. 18. Biſs. lit. B. E. n. 86. §. 12. teris autem ad Cancellos Capellæ (ſi talis erit uſus), qui facta genuflexione ante infimum gradum aſcendunt ad Supremum, & ibi genuflexi dextera candelas accipiunt, & candelam, & poſteà manum Celebrantis oſculantur, miniſtrante Diacono à ſiniſtris Celebrantis can-
Biſs. ibidem ut ſupra. delas cum oſculo candelarum ſolum, & Subdiacono à dexteris, altera Manu hinc inde fimbriam pluvialis elevantibus.

Fratres cum candelas receperint, ante infimum gradum genufluctent, & in Chorum per latus Epiſtolæ revertentur. Thuriferarius, vel Accolythus, ſeù Sacriſta ſtans in cornu Epiſtolæ candelas benedictas Diacono porriget, qui illas Celebranti dabit.

Si Prælati Sæculares adſint, & non accedunt ad Altare, per aliquem Sacerdotem cum oſculis, & debitis inclinationibus candelas benedictas ad eos mittere poteſt.

Cum Celebrans incipit diſtribuere candelas,duo Cantores intonant: *Lumen ad revelationem &c.* Advertendum tamen hic eſt, quod Verſus *Gloria Patri &c.* In fi-
Biſs. ubi ſup. §. 11. & 12. ne Cantici: *Nunc dimittis* ſemel tantum dicitur, eſtò pluries repetatur prædictum Canticum. Completa autem diſtributione candelarum, non verò prius in Choro cantatur: *Exurge Domine &c.*

Si candelæ ſint Populo diſtribuendæ, Celebrans facta

Fra-

Fratribus Candelarum diſtributione deſcendit, & intrà Cancellos candelas Populo circumcirca diſtribuit adjutus à Miniſtris. Vel aliquis Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus candelas diſtribuat, uno ex Accolythis ei candelas miniſtrante.

Finita diſtributione Candelarum Celebrans aſcendit ad Altare, Miniſtris poſt eum ſtantibus, & dicit facie ad Altare verſa: *Oremus* (Si eſt tempus poſt Septuageſimam, & non eſt dies Dominicus, Diaconus dicit *Flectamus genua*, & eo primum genuflectente, omnes genuflectunt præter Celebrantem, Subdiaconus verò primus omnium ſurgens dicit *Levate*, & tunc omnes ſurgunt) & cantat Orationem: *Exaudi &c.*

De Proceſſione Candelarum.

DUm Celebrans cantat Orationem, accenditur candela Celebrantis, & aliorum omnium Fratrum, & Sæcularium, & finita Oratione *Exaudi &c.* Celebrans ponit incenſum in Thuribulo miniſtrante Diacono Naviculam more ſolito, & benedicit incenſum. Subdiaconus abſque candela accipit Crucem Proceſſionalem, & ſtat in medio ante infimum gradum Altaris inter Ceroferarios cum candelabris accenſis, Diaconus ad Populum converſus voce clara dicit: *Procedamus in Pace*; Et Chorus reſpondet: *In Nomine Chriſti Amen.* Et tunc Celebrans, & non prius, ſe ad Populum vertit, & ordinatur Proceſſio progrediens foris per Eccleſiæ plateam, vel per ipſam Eccleſiam juxtà ritum Eccleſiarum.

Ante Crucem procedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, quem ſequuntur duo Accolythi cum Candelabris, & cereis ardentibus, & inter eos medius Subdiaconus paratus planeta ante pectus plicata portans Crucem, deinde ſequuntur Fratres noſtri Converſi, Clerici, & Sacerdotes bini, bini, ultimo Celebrans Pluviali

indu-

indutus cum Diacono à ſiniſtris. Celebrans, & omnes alii ſuas candelas accenſas manibus propriis deferunt, illi quidem, qui à dexteris ſunt, dextera, & illi, qui à ſiniſtris ſunt ſiniſtra. In principio Proceſſionis inchoatur à Cantoribus, & in ingreſſu Eccleſiæ Cantatur Reſponſorium; *Obtulerunt, &c.* quod pariter intonetur à Cantoribus proſequente Choro. ℣. *à Cantoribus*; ℟. *à Choro* prout in Ordinario Precum &c. Antiphona *Adorna &c.*

Biſs. ubi ſup. §. 16.

Finita autem Proceſſione Chorum ingreſſi, candelas extinguent.

De Miſſa Solemni in die Purificationis.

SI Celebranda eſt Miſſa de Feſto, & non de Dominica; Sacriſta dum fit Proceſſio removet Pallium, & Cuſſinum violaceum ab Altari, & remanet Album. Celebrans cum Miniſtris depoſitis in Sacriſtia veſtimentis violaceis, ſumit veſtimenta alba, ſcilicet Planetam, Stolam, & Manipulum; Miniſtri verò propria uniuſcujuſque paramenta ſolita.

Si autem Feſtum Purificationis venerit in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, Feſtum transfertur in ſequentem diem, Pallium violaceum non removetur ab Altari, & Celebrans depoſito pluviali, accipit Planetam violaceam, &c. Miniſtri verò remanebunt cum Planetis ante pectus plicatis, & accipient Manipulos.

Dum inchoatur Evangelium omnes preſertim de Choro tenent candelas accenſas in manibus uſque ad finem Evangelii, & iterum ad Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti uſque ad Communionem peractam, ſive Miſſa cantetur de feſto, ſive de Dominica.

Sacr. Rit. Congreg.

Poſt Completorium hujus diei dicitur Antiphona: *Ave Regina Cælorum*, etiam ſi Officium Purificationis transferatur, ut modò eſt Decretum à Sacra Rituum Congregatione.

De

De Feria quarta Cinerum, & Benedictione, & impoſitione eorum. Cap. VIII.

QUoniam hujus diei Officium, & Miſſa eſt de Feria, ideò Altare non feſtivo, ſed feriali apparatu debet eſſe ornatum. Dum dicitur in Choro *hora Sexta, & Nona*, Thuriferarius deferet ad Credentiam vaſculum cum Aſperſorio Aquæ Benedictæ, & Vas pro ablutione, & Mappulam pro abſterſione manuum Celebrantis poſt impoſitionem Cinerum: Miſſa verò non canitur apud Nos.

Vas cum Cineribus mundis factis ex palmis Olivarum, ſeù aliarum Arborum anni præteriti benedictis, & noviter combuſtis, ſit ſuper Altare in Cornu Epiſtolæ, ac etiam Miſſale ſuper pulvinum pro Benedictione facienda in eodem cornu erit apertum. Interim Accolythi ſex, vel quatuor Cereos ſuper Altare accendent, & Miniſtri in Sacriſtia Planetis plicatis ſe induant ſine Manipulis, & Superior accipiet Stolam, & Pluviale violaceum ſine Manipulo.

Finita Nona non dicitur in Choro Antiphona: *Ave Regina Cælorum*; quia non diſceditur, ſed ſtatim Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum procedit ad Altare manibus junctis capite cooperto, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Accolythis cum Candelabris accenſis. Ante Altare omnes ſimul genuflectunt, & ſurgunt. Accolythi facta genuflexione Candelabra ſuper Credentiam deponunt, & primus Accolythus accipit à Credentia Vas Aquæ Benedictæ cum Aſperſorio. *Biſs lit. B. E. num. 84.*

Mox Cantores in Choro intonant, prout in Ordinario precum, Antiphonam: *Exaudi nos Domine, &c.*

Celebrans aſcendit cum Miniſtris ad Altare, quod in medio oſculatur, accedit ad Cornu Epiſtolæ, & ſtantibus

bus Diacono à dextris ejus, & Subdiacono à dextris Diaconi legit ſubmiſſa voce Antiphonam : *Exaudi nos Domine,&c.* Repetita à Choro Antiphona, Celebrans ſtans in eadem parte Epiſtolæ,non vertens ſe ad Populum , & habens manus junctas, dicit: *Dominus vobiſcum* , & *Oremus* , & quatuor Orationes in Miſſali deſcriptas pro Cinerum Benedictione , ſtantibus interim Diacono à dextris , & Subdiacono à ſiniſtris Celebrantis .

Finitis Orationibus,miniſtrante Diacono Naviculam, & Thuriferario Thuribulum , ponit incenſum in Thuribulo , & benedicit more ſolito , & accepto Aſperſorio , ter aſpergit Cineres, ſcilicet in medio, à dextris , & ſiniſtris , interim dicens ſubmiſſa voce Antiphonam : *Aſperges me* , *&c.* ſine Pſalmo , & poſtea triplici ductu eas ſimiliter thurificat , miniſtrante Diacono cum Oſculis Aſperſorium, & Thuribulum , ac Fimbriam pluvialis anteriorem elevante . Thuriferarius , accepto à Diacono Thuribulo , illud in Sacriſtiam deferat , & primus Accolythus Vas cum aqua benedicta , & Aſperſorio in Sacriſtiam ſimiliter ferat .

De Impoſitione Cinerum.

FInita benedictione Supprior , vel dignior ex Choro , accedit ad Altare per Oſtiolum Evangelii , quem ſequuntur alii bini, bini digniores; primum Supprior , vel dignior facta ante inferiorem gradum Sacramento genuflexione , aſcendit , & accipit à Vaſculo de manu Diaconi , (qui ſtat à dexteris Celebrantis) ſine oſculo cineres, & ſtans ſuprà gradum proximiorem Bradellæ aliquantulum à latere Epiſtolæ , cum debita reverentia Celebranti non genuflexo , ſed capite inclinato , & inter Diaconum , & Subdiaconum ſtanti cineres imponit dicens . *Memento Homo , quia pulvis es , & in pulverem reverteris* . Statim Celebrans in medio Altaris ad Populum converſus inter Diaconum à dexteris Vas Cinerum

Biſs. n. 86. §. 10. idem ubi ſup. §. 6.

rum tenentem, & Subdiaconum à ſiniſtris fimbriam pluvialis tenentem elevatam accipit pollice, & indice manus dexteræ Cineres, & imponit primò eidem Digniori, à quo ipſe Cineres accepit, ante ipſum Celebrante genuflexo, mox Diacono, & Subdiacono, & omnibus Fratribus ante eum in Superiori gradu genuflexis, imponenſque Cinerem, formabit ſuper Caput ſingulorum ſignum parvæ Crucis cum Cineribus dicens. *Memento homo &c.*

Dum imponuntur Cineres Capiti Celebrantis, Cantores in Choro intonant, prout in Ordinario Precum &c. Antiphonas.

Expleta Fratrum impoſitione Cinerum, Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum deſcendit in planum, & ſtans in medio intra Cancellum, imponit Cineres Populo. Recipientes Cinerem genuflexi, & capite diſcooperto eſſe debent, & ideo mulieres ſuper Caput, & non ſuper velum Cineres recipient, quantum fieri poteſt. Si Populus frequens fuerit, poterit alius Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola violacea indutus Cineres imponere Populo.

Si adſit aliquis Prælatus, Celebrans poſtquam fuerint ei à digniori Cineres impoſiti, ſtatim Prælato Cineres imponet, & poſtea digniori ex Patribus. Quod ſi Prælatus petens Cineres fuerit in Sacriſtia, vel aliqua Capella, Dignior ex Patribus, vel alius Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola violacea indutus, Prælato ſtanti Cineres imponet.

Sæculares autem, quacumque dignitate, vel Officio fulgeant, Sacerdotibus omnibus in Cinerum receptione ſunt poſtponendi, & hoc propter humilitatem, quæ in his actibus repræſentatur, ſic enim obſervatur per Imperatores, Reges, ac Principes, quando ſunt præſentes in Capella Sanctiſſimi Domini Papæ; ſecus tamen fieri debet in candelarum, ac ramorum diſtributione.

Completa Cinerum impoſitione, Celebrans aſcendit

ad Altare, & facie ad illud verſa, junctiſque manibus, ac ſtantibus poſt eum Miniſtris, dicit: *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, & *Orationem*. *Concede nobis Domine*, qua finita reſpondetur, *Amen*.

De Miſſa Feriæ Quartæ Cinerum.

CElebrans finita Oratione, ſi tunc eſt Celebraturus Miſſam, deponit Pluviale, lavat manus privatè in Angulo Altaris à parte Epiſtolæ, & ſtatim accepto manipulo, induitur planeta, & incipit Miſſam: Prout in Miſſali, ſed quia hæc Miſſa eſt ferialis, ideo non canitur apud nos.

De Tempore Quadrageſimali.

TOto Tempore Quadrageſimali altaria nullo ſolemni ornatu, nec figuris, nec minus floſculis ornentur, exceptis ſolum diebus feſtivis, & Dominica: *Lætare Jeruſalem*, quæ eſt quarta Quadrageſimæ, & dies Lætitiæ. Si occurrerit feſtum aliquod in Dominicis Quadrageſimæ fiet, ut dictum eſt in feſtis occurrentibus in Dominicis Adventus.

De Benedictione, Diſtributione, ac Proceſſione Olivarum, & de Miſſa Dominicę Palmarum. Cap. IX.

HÆc Dominica dicitur Palmarum, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum de Bethania ad Jeruſalem pergeret ſuper Aſellum ſedendo, multitudo Plebis cum ramis Palmarum obviantes ei, clamaverunt dicentes: *Hoſanna*, *Benedictus*, *qui venit in Nomine Domini*, in cujus memoriam hunc diem Mater Eccleſia Celebrat, & in eo Proceſſionem facit.

Officium benedictionis, & diſtributionis Palmarum ſimile eſt ferè in omnibus Officio Benedictionis, & Diſtributionis Candelarum, quod fit in die Purificationis

B. Mariæ Virginis. A parte Epiſtolæ Altaris Majoris præparetur menſa, in qua ponantur palmæ, ſeù rami Olivarum, ſive aliarum Arborum, juxtà conſuetudinem Regionum benedicendæ, & ſi palmæ haberi non poſſint, rami Olivarum, vel aliarum ornentur cum parvis Crucibus ex palmarum foliis compoſitis, qui pro Fratribus, & Populo ſufficiant. Prò Celebrante verò, & Prælatis, ac Magnatibus, ſpecioſiores cæteris appareant. Abacus, ſeù Credentia erit ſimiliter à parte Epiſtolæ continens omnia, quæ in die Purificationis enumeravimus, & etiam Vas prò ablutione, & Mappam prò abſterſione manuum Celebrantis, ac Miſſale Celebrantis, & Miniſtrorum.

Horà quartadecima pulſatur ad Horam Tertiam, quæ dum in Choro canitur, Prior cum Miniſtris in Sacriſtia Veſtibus Sacris induitur, Celebrans ſcilicet Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & pluviali violaceo ſine Manipulo, Miniſtri Planetis ante pectus plicatis ejuſdem Coloris ſine manipulis, & Diaconus cum Stola ab Humero ſiniſtro ſub dextero pendente induuntur. Finita hora Tertia, Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, præcedente Thuriferario nihil deferente, quem ſequuntur Accolythi cum Candelabris accenſis, procedit ad Altare, & facit Aſperſionem Aquæ benedictæ more ſolito, *ut habetur lib. 3. cap. de Aqua benedicta.*

De Benedictione Palmarum.

CElebrans dicta Oratione: *Exaudi nos &c.* aſcendit ad Altare, quod in medio oſculatur, & accedens ad cornu Epiſtolæ, ſtantibus Diacono à dextris Celebrantis, & Subdiacono à dextris Diaconi ambobus manipulos à primo Accolytho accipientibus legit ſubmiſſa voce Antiphonam: *Hoſanna &c.* quæ interim intonantibus Cantoribus à Choro cantatur. *Hoſanna filio David, Benedictus, qui venit in nomine Domini, ò Rex Iſrael: Hoſanna in Excelſis.* *Biſs. lit. B. n. 87. § 6.*

Finita Antiphona, Miniſtri pergunt poſt Celebrantem, qui ſtans in cornu Epiſtolæ non vertens ſe ad Populum incipit canendo Benedictionem Palmarum, manibus junctis, dicens. *Dominus vobiſcum*, *Oremus*, & Orationem: *Deus quem Diligere &c.* Interim Subdiaconus accedit ad Credentiam in cornu Epiſtolæ, ubi Planè, tam ante pectus plicatam deponit in manibus primi Accolythi, qui illam ſuper Credentiam locat, & ſic Alba, Manipulò indutus accipit Miſſale, & canit Lectionem: *In diebus illis venerunt filii Iſrael &c.* in loco ſolitò ante infimum gradum.

Biſſ. loco antedicto.

Interim Celebrans, aſſiſtente Diacono à dextris ejus legit ſubmiſſa voce Lectionem, & Reſponſorium: *Collegerunt Pontifices*, ibique manens cantata Lectione, dat benedictionem Subdiacono, deoſculata prius ejus manu. Poſteà Subdiaconus dat Miſſale Accolytho; reaſſumit Planetam ante pectus plicatam, Accolytho adjuvante.

Chorus cantata Lectione canit prout in Ordinario Precum, Reſponſorium: *Collegerunt Pontifices &c.*

Dum canitur à Choro Reſponſorium Diaconus accedit ad Credentiam, exuitur Planeta plicata, adjuvante Accolytho, qui illam ſuper Credentiam ponit, & accipit Stolam latiorem (Qua deficiente accipit eamdem Planetam Diaconi complicatam ad modum Stolæ, vel aliam complicatam) quam humero ſiniſtro Diaconi, ac ſuper Stolam transverſam adaptat, & ſub brachio dextero connectit. Diaconus accipit Miſſale, quod defert ſuper Altare: Celebrans Miniſtrante Diacono cum oſculis naviculam, & Thuriferario Thuribulum, ponit incenſum in Thuribulo, & benedicit. Deinde Diaconus in medio Altaris genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* accipit Miſſale de Altari, petit benedictionem à Celebrante, & procedit ad cantandum Evangelium ſignando, & incenſando librum more ſolito; Subdiacono librum inter duos Accolythos cum Candelabris accenſis tenente.

Biſs. lit. B. n.87. §.5.

Fi-

Finito Evangelio Subdiaconus defert librum oſculandum Celebranti, & Diaconus illum incenſat, & Stolam latiorem, ſeu Planetam complicatam propè Credentiam deponit, Accolytho adjuvante, & induitur ut prius Planeta ante pectus plicata. Si autem Benedictio fiat à Celebrante ſine Miniſtris veſte ſacra indutis, tunc primus Accolythus deferat Miſſale ad partem ſolitam Evangelii, & ibi legatur à Celebrante, dicto prius tamen, *Munda cor meum &c. & jube Domne &c.* finito Evangelio, deoſculatoque libro, ac incenſato Celebrante à Thuriferario deferatur à primo Accolytho Miſſale ad cornu Epiſtolæ.

Celebrans ſtans in eadem parte Epiſtolæ facie ad Altare verſa medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris canit manibus junctis: *Dominus Vobiſcũ*, & Reſpondente Choro; *& cum Spiritu tuo*, cantat Orationem. *Auge fidem*. (Quando occurrit ad aliquod Verbum benedicere ramos, quod idem obſervandum eſt in benedictione Cinerum, & Candelarum, dexterà benedicat, ſiniſtra poſita ſuper Altare, & Diaconus à dextris elevet fimbriam Pluvialis) ſed Præfationem, *Qui gloriaris* canit manibus extenſis uſque ad *Sanctus*, qui dum à Choro ſolemniter cantatur, à Celebrante, & Miniſtris voce ſubmiſſa dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt Cœli, & Terra gloria tua Hoſanna in Excelſis, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in Excelſis*. *Biſſ. litt. B. E. n. 87. §. 7.*

Poſtea Celebrans manibus junctis canit. *Dominus vobiſcum. Orẽmus*; & quinque Orationes, quæ in Miſſali habentur ſtantibus Miniſtris, ut ſupra. Completa quinta Oratione. *Benedic quæſumus Domine*. Celebrans miniſtrante Diacono Naviculam, ponit incenſum in Thuribulo, & benedicit more ſolito, & accepto cum oſculis de manu Diaconi Aſperſorio, ter aſpergit ramos aqua Benedicta, dicens ſubmiſſa voce, Antiphonam *Aſperges me &c.* ſine cantu, & ſine pſalmo, & accepto ab eodem

Thu-

Biſs. lit. B. n. 87. §. 9. Thuribulo, ter ſimiliter eos Thurificat, Diacono fimbriam Pluvialis anteriorem elevante, ut dictum eſt de Benedictione Candelarum. Poſtea Celebrans junctis, ut prius manibus verſus Altare canit. *Dominus vobiſcum Oremus*, & Orationem *Deus*, *qui filium tuum &c.* ſtantibus ut ſupra Miniſtris.

Diſtributio Palmarum eodem ordine fiet, ac dictum eſt capite de diſtributione Candelarum, Diacono, & Subdiacono deponentibus manipulis. Poſtea Celebrans, & Diaconus cum ramo in ſiniſtra manu, facta genuflexione Altari, vertit ſe ad Populum dicens clara voce: *Procedamus in pace*, & Chorus reſpondet: *In Nomine Chriſti Amen*.

De Proceſſione Palmarum.

PRæcedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante in dextera, & navicula in ſiniſtra, deinde Subdiaconus Planeta indutus deferens Crucem velo violaceo tectam medius inter duos Accolythos, cum Candelabris, & Candelis accenſis, ſequuntur poſteà Fratres per Ordinem à Junioribus incipiendo, ultimo Celebrans cum Diacono à ſiniſtris, omnes cum ramis in manibus, quos dexterà ferent, qui à dextris ſunt, & ſiniſtra, qui à ſiniſtris, & intonantibus Cantoribus cantantur Antiphonæ, prout in Ordinario Precum &c.

Si Proceſſio propter pluviam non poteſt exire extrà Eccleſiam, fiat tamen Proceſſio per Eccleſiam, ſed in reditu ad Altate majus duo Cantores prævenient, & clauſo Oſtiolo Cancelli Altaris majoris cantant verſus, & omnia fiunt, ut dictum eſt ſuprà licet à Populo videantur.

De Miſſa Solemni Dominicæ Palmarum.

FRatribus in Chorum ingreſſis Celebrans cum Miniſtris ſiſtit ante Altare, & depoſitis palmis, & Pluviali, accipit Manipulum (quod pariter faciant Diaconus, & Subdiaconus) & caſulam, & incipit Miſſam. Dum Celebrans canit Orationem, Subdiaconus accedit ad Credentiam, & Planetam ante pectus plicatam deponit in manibus Accolythi, qui illam ſuper Credentiam locat, & ſic Alba, & manipulo indutus accipit Miſſale, & canit Epiſtolam more ſolito, & cum Cantabit in Epiſtola illa verba. *In Nomine Jeſu omne genuflectatur*, Celebrans, & omnes alii uſque ad Terram genuflectent, & permanent genuflexi uſque ad illa verba: *Et Infernorum* incluſivè.

Subdiaconus cantata Epiſtola, oſculataque Celebrantis manu, Miſſale Accolytho tradit, & Planetam ante pectus plicatam reaſſumit, Accolytho adjuvante. *Biſs. lit. D. n. 225. §. 7.*

Dum canitur Epiſtola, tres in ordine Diaconatus conſtituti (ſi commodè fieri poteſt) parantur in Sacriſtia Amictibus Albis, Cingulis, Manipulis, & Stolis, Stolas more Diaconorum ab humero ſiniſtro ſub dextero pendentes habebunt coloris violacei, & nullo modo cum Manipulo ſolum, quia tota Paſſio Evangelium eſt. Interim Accolythi deferunt duo, vel tria Lectorilia, & collocant ea recta linea in loco, ubi cantari ſolet Evangelium, vel in Pulpito ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum, & ponunt ſuper ea duo Miſſalia.

Dũ canitur Tractus procedunt à Sacriſtia hoc ordine, antecedit Thuriferarius nihil deferens, quẽ ſequitur ille, qui Textus, vel Evangeliſtæ perſonã agit deferens Miſſale ante pectus, deinde qui Turbarum junctis ante pectus manibus. Poſtea qui agit Perſonam Chriſti manibus junctis, & capitibus detectis ante Altare majus in medio ſimul genuflectunt; ſtante Perſona Textus à dextris, &

Per-

Perſona Chriſti in medio,& Perſona Turbarũ à ſiniſtris, aſcendunt ad Altare, & nulla Benedictione petita, neque habita, oſculantur tantum manum Celebrantis, deſcendunt, & iterum genuflectunt. Deinde qui Evangeliſtæ, poſtea, qui Turbarum, ultimo qui Chriſti Perſonam agunt ad Lectorilia pergunt,ibique ſtantes recta linea, qui Evangeliſtæ Perſonam agit medium locum tenet, & qui Chriſti dexteram ejus, & qui Turbarum illius ſiniſtram, ſtantibus facie, ſicut ſtat Diaconus, dum canitur Evangelium.

Qui Perſonam Evangeliſtæ agit Paſſionem abſolutè incipiat, & cum dicit: *Paſſio Domini noſtri*: non ſignat librum, neque ſe ipſum, quod & in aliis diebus ſervatur, quando legitur Paſſio.

Cum inchoatur Paſſio, Celebrans, & omnes Miniſtri Altaris (præter Diaconos cantantes) omneſque Fratres in Choro, & Populus in Eccleſia ſtantes erecti, & capite detecto, ramos benedictos in manibus tenebunt, uſque ad finem Paſſionis, & Evangelii tantùm.

Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ aliquantulum ad cantantes converſus, ſubmiſſa voce legit Paſſionem,aſſiſtentibus Diacono à dextris ejus, & Subdiacono à dexteris Diaconi indutis planetis ante pectus plicatis, & ſe inclinat cum opus eſt, non tamen genuflectit, & perveniens ad illam partem, quæ dicitur in Tono Evangelii non ulterius procedit, ſed ſtans in eodem cornu Epiſtolæ faciem ad Diaconos cantantes totaliter convertit, ſicuti dum cantatur Evangelium, & ſimiliter facient Diaconus, & Subdiaconus, ibidem in cornu Epiſtolæ à dextris Celebrantis permanentes.

Ad illa verba: *Jeſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum*; Diaconi Cantores genuflectunt verſus Lectorilia, & Celebrans, & Miniſtri verſus Crucem Altaris: alii verò omnes in Choro ſe proſternent orantes per ſpatium unius *Pater noſter*; deinde omnes ſurgunt, Diaconi proſequuntur Paſſionem, qua Completa,

facta-

factaque Altari in medio debita reverentia, ad Sacriſtiam ordine, quo venerunt revertantur.

Celebrans pergit ad medium, ibique inclinatus more ſolito dicit. *Munda cor meum, & jube Domne benedicere*, Subdiaconus defert Miſſale Celebrantis ad cornu Evangelii, ibique ei aſſiſtit, dum legit illam partem Paſſionis, qua finita Celebrans non oſculatur Miſſale.

Interim Diaconus exuitur Planeta plicata adjuvante Accolytho, qui illam ſuper Credentiam ponit, & accipit Stolam latiorem (qua deficiente accipit eamdem Planetam Diaconi complicatam ad modum Stolæ, vel aliam jam complicatam), quam humero ſiniſtro Diaconi, & ſuper Stolam tranſverſam adaptat, & ſub brachio dextero connectit, & ſic Alba, Manipulo, & Stola ordinaria, & latiori, ſeu planeta complicata indutus, ponit Miſſale in medio Altaris, & more ſolito miniſtrat incenſum Celebranti, qui illud in Thuribulum ponit, & benedicit. *Biſs. litt. M. n.250 §.4.*

Diaconus genuflexus dicit: *Munda cor meum &c. Jube Domne benedicere &c.* & accepta benedictione, oſculataque Celebrantis manu, procedit ad cantandum Evangelium more ſolito, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo fumigante, & duobus Accolythis ſine Candelabris, at cum ramis palmarum, hinc inde, dum Evangelium canitur, aſſiſtentibus. Subdiaconus tenebit Miſſale, quod Diaconus incenſabit, non tamen dicat: *Dominus vobiſcum*, nec ſignabit Miſſale, nec ſeipſum, ſed junctis ante pectus manibus, cantat illam partem, quæ dicitur in Tono Evangelii: *Altera autem Die &c.* Celebrante ſtante in cornu Epiſtolæ, verſa ad Diaconum facie, palmamque in manu tenente. Cantato Evangelio Subdiaconus defert Miſſale oſculandum Celebranti, quem etiam Diaconus Thurificat, & tunc omnes ſuas palmas deponunt. *Gaſtal. lib. 3. ſect. 1. c. 5. n. 6. Biſſ. lit. M. n.250. §.4.*

Propter paucitatem, & penuriam Miniſtrorum, poterit Diaconus Miſſæ perſonam Evangeliſtæ gerere, &

Subdiaconus,ſi in Diaconatus ordine eſt conſtitutus, poterit agere Perſonam Turbæ, alio Diacono Perſonam Chriſti gerente. Et licet Miſſa cantetur ſine Diacono, & Subdiacono, tres tamen miniſtri debent eſſe ad canendam Paſſionem.

Biſſ. lit. M. nu. 250. § 4. Bauld. p. 4. cap. 6. art. 3. Gavant. tõ. 1. p. 4. tit. 7.

Communione peracta, & delato per Diaconum Miſſale Celebrantis ad cornu Epiſtolæ, ipſe Diaconus Stolam latiorem, ſeu Planetam complicatam propè Credentiam deponit, Accolytho adjuvante, & induitur, ut prius Planeta ante pectus plicata.

In fine Miſſæ ſolemnis legitur Evangelium S. Joannis: *In Principio erat Verbum*, quia Evangelium Palmarum fuit cantatum ante Miſſam in ſolemni palmarum Benedictione.

De Matutinis Tenebrarum Quartæ, Quintæ, & Sextæ Feriæ Majoris Hebdomadæ. Cap. X.

IN Matutinis Tenebrarum accenduntur ſuper Candelabrum triangulare quindecim Candelæ, ad ſignificandum duodecim Apoſtolos, & tres Marias Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum proſequentes, quę Candelæ omnes extinguuntur, excepta eminentiori, & ſuprema, quæ nunquam extinguitur, quia lumen fidei Tempore noctis Paſſionis Domini in omnibus Diſcipulis, & Mariis extinctus fuit, & in ſola Beatiſſima Virgine Maria remanſit.

Pro officio Solemni Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ parabitur Altare pallio coloris violacei; Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti erit ſimiliter violaceo Conopæo undequaque coopertum, Bradella Altaris lignea, & gradus erunt nudi, & diſcooperti.

Biſſ. litt. C. A. n. 16. § 2. Gavant. tõ. 4. ſect. 6. cap. 13. n. 7.

Super Altare erunt ſex candelabra cum candelis ex cera communi, & non alba. Ante infimum Altaris gradum ponetur candelabrum triangulare à parte Epiſtolæ, (eo quia eſt ſiniſtrum cornu Altaris, quod in Miſſa ſignificat

ficat Hæbreos, ad quos primò venit Chriſtus, ut *colligitur ex Ivo. Carnot. in opuſculo de Conven. nov. & vet. Sacrificio*) habens hinc indè ſeptem clavos ferreos cum lucernulis ligneis opere tornatili factis, & in eorum medio, ſeu ſummitate trianguli erit quintus decimus clavus aliis eminentior pro quindecim candelis æqualis formæ, ex cera communi ſubſtinendis,quę candelæ in hoc triduo quotidiè integræ apponi deberent.

Priuſquam inchoetur Matutinum Tenebrarum, quod ſub ritu duplici celebratur, Sanctiſſimum Sacramentum in aliqua Cappella transferri debet, ibique manebunt luminaria, ſeu lampades accenſæ, quæ nunquam extinguentur.

Hora vigeſima prima cum dimidia dabitur primum ſignum ſono feſtivo cum duabus Campanis, & poſt quartam horæ partem dabitur ſecundum, & tunc Fratres Completorium dicent, in cujus fine dabitur tertium ſignum. Interim Frater Converſus Cotta indutus, & ad hoc deputatus ſex Cereos Altaris, & quindecim Candelabri triangularis accendet ab altiori incipiendo, & deſcendendo ad eas, quæ reſpiciunt cornu Evangelii, poſtea accenduntur aliæ ex altera parte Epiſtolæ.

Finito Completorio accendantur in Choro quatuor candelæ, quæ poſtea debent extingui in ultimis quatuor verſiculis Cãtici *Benedictus*,dictoq;à Fratribus profundè inclinatis iterum *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo* pro incęptione Matutini; Præſidens abſolutè incipit canendo Antiphonam: *Zelus Domus tua &c.* (Quilibet tamen ante Antiphonam ſe ſignet ſigno Crucis, ſicut fieri ſolet ad verſum; *Deus in Adjutorium*, quod idem faciendum eſt ante initium aliarum Horarum, cum ſit eadem ratio; convenit enim maximè his diebus, quibus Crucis Vexillum prodit, ita fieri, & etiam, quia ait *D. Hieronymus Ante omnem actum manus pingat Crucem*) Et Chorus proſequitur, Cantores præintonant Antiphonas, quas reintonant in medio, ibique intonent omnes Pſalmos.

Biſſ. litt. M. nu. 119 §. 2. Gavant. cap. 13. ſect. 6. tõ. 2.

In hoc Triduo non dicitur *Gloria Patri* in fine Pſalmorum, nec *Tu autem Domine* in fine Lectionum; ideò in fine Pſalmorum, Canticorum, & Lectionum inflectitur aliquantulum Vox, & ut omnia, quæ cantantur uniformiter fiant, inflectetur etiam Vox in fine Reſponſoriorum, Verſuum, & Antiphonarum.

Miniſter ad extinguendas candelas deputatus, ſtans intus Cancellos Altaris à parte Epiſtolæ, finito quolibet Pſalmo, accedit ad Candelabrum triangulare, & facta debita reverentia accipit inſtrumentum extinctorium, quod juxta pedem ipſius Candelabri manere debet, & extinguit Candelam, quæ eſt in ejus inferiori parte poſita à latere Evangelii; deinde in fine alterius Pſalmi alteram ab alio latere, & ſic ſucceſſivè paulatim aſcendendo alternatim ab utroque latere ſingulas Candelas extinguit in fine cujuslibet Pſalmi, tam primi, quam ſecundi, & tertii nocturni, ac Laudum: Extincta qualibet Candela, & inſtrumento ſuper Candelabrum in medio à parte poſteriori appenſo, factaque Altari debita reverentia ad ſuum locum redit.

Lectiones à Clericis, vel Junioribus Sacerdotibus habentibus ſonoras voces incipiendo ſinguli ſingulas ſuprà legile nudum in medio Chori, vel ſi fuerit multitudo Populi, taliſque fuerit uſus Eccleſiæ ante Altare in medio canentur, voce potiùs mæſta, quam elevata, intelligibili tamen. In his Matutinis Superior Officium faciens, nunquam Lectionem cantabit. Verſus poſt Reſponſoria Lectionum dicentur à duobus Lectoribus more ſolito, at in medio non genuflectent, ſi non adeſt Sacramentum, ſed ſolùm profundè ſimul inclinabuntur, quia non dicitur: *Tu autem Domine*. Laudes canuntur, & earum Antiphonæ præintonantur.

Dum Canitur Canticum *Benedictus*, omnia Lumina, ſi quæ ſunt per Eccleſiam, à Sacriſta extinguuntur, præterquam ante Sanctiſſimum Sacramentum: Cum autem dicitur ſeptimus verſus ejuſdem Cantici, ſcilicet: *Ut ſi-*

ne

ne timore &c. Miniſter ad extinguendum deputatus,ſolitis reverentiis ſumpto inſtrumento extinctorio, ad quẽlibet verſum, qui ſunt ſex remanentes extinguet candelam unam in Altari, incipiendo ab ea, quæ eſt remotior à Cruce ex parte Evangelii, deinde alteram à latere Epiſtolæ,quod etiã faciet Cãpanarius in Choro, & ſic ſucceſſivè paulatim ab utroq; latere ſingulas cãdelas extinguet, itaut finito ultimo verſu Cantici, ſint omnes illæ Altaris candelæ extinctæ, & nullum aliud ſit in Eccleſia lumen, niſi candela in sũmitate,ſeu Cuſpide Candelabri triangularis poſita,quam dum repetitur Antiphona poſt *Benedictus*, Miniſter accenſam ex Candelabro removet, eamdemque accenſam genuflexus elevata manu ſuſtinet ſuper cornu Epiſtolæ Altaris. Et cum inchoatur: *Chriſtus factus eſt pro nobis &c.* illam ſic accenſam abſcondit retro Altare in cornu Epiſtolæ, vel alio modò occultat.

Repetita Antiphona Cantici,Celebrans, & omnes alii genuflectunt, & Cantores ſubmiſſa voce, ſed intelligibili incipiunt *Chriſtus factus eſt*, & Chorus proſequitur, quo finito dicitur *Pater noſter* totum ſub ſilentio, & ad ſignum Præſidentis primus Cantor voce flebili incipit, legendo: *Miſerere mei Deus*, & Chorus proſequitur. Quo finito Præſidens genuflexus,& capite aliquantulum inclinato, voce clara, flebili tamen, dicit *ſine Oremus*,Orationem: *Reſpice quæſumus Domine &c.* in cujus fine inflectet, & proſequitur ſecretò. *Qui tecum &c.*

Finita Oratione, Præſidens manu librum, vel ſcamnum percutiens per breve ſpatium, ſtrepitum, fragoremque facit, & à cæteris quoque ſimiliter fit: donec Miniſter candelam prædictam accenſam, quæ fuerat abſcondita, in medium proferat, & in ſummitate Candebri Triangularis reponat, ubi per aliquod ſpatium accenſa manebit. Prolata autem candela accenſa, omnes ceſſare debent à ſtrepitu, qui unica tantum vice fieri debet. Finito ſtrepitu, ſtatim Præſidens ſubmiſſa voce incipit: *Sacroſanctæ &c.*

Ad-

Advertat Sacriſta, ut aliqui Fratres Converſi ſint in Eccleſia ad impediendum ſtrepitum intempeſtivum. Officium Matutini Tenebrarum Sole Occidente finiri, & terminari debet.

In duobus Matutinis ſequentibus idem fiet, niſi quod tres pulſationes pro Matutinis dabuntur cum Inſtrumento ligneo, & Altare erit ſine pallio, & abſque Tobaleis, Tabernaculum erit undequaque coopertum Conopeo violaceo; Super Altare erit Crux velo violaceo tecta; ſed in Feria ſexta in Paraſceve erit ibidem diſcooperta, & ſine velo. Lampades nullæ erunt ante Altare Majus.

Omnes Horæ Canonicæ (Matutino excepto) non cantando, ſed legendo, voce męſta dicentur, & inflectitur vox in fine Pſalmorum, Antiphonarum, & reliquorum, ſicuti ad Matutinum: candelæ ad has horas non accenduntur in Altari.

De Miſſa, Proceſſione, ac Altarium denudatione Feriæ Quintæ in Cœna Domini. Cap. XI.

IN hoc triduo ante Paſcha Cæremoniarius inſtruet Celebrantem, & Miniſtros in loco congruo de omnibus, quæ ſecundum ordinem Tabellæ agenda ſunt. Pro Sanctiſſimo Chriſti Corpore aſſervando debet eſſe paratus locus, qui vulgò Sepulchrum dicitur, in aliqua Capella Eccleſiæ, & quo pulchrius, magnificentiuſque fieri poteſt, ornetur, non tamen profano, ſed Eccleſiaſtico apparatu; in medio loco elevato, ad quem per gradus aſcenditur, ſit Altare cum pallio albo, & ſex Candelabris, ac cereis, & Angelorum Simulacris, inter quæ ſint vaſcula cùm floribus naturalibus, vel artefactis, in Altaris medio ſit capſula ſerico interius, exteriuſque ornata pro Sanctiſſimo Sacramento, ita conſtructa, ut Calicem cum patena clauſo operculo, commodè capiat; Sit corporale extenſum intra capſulam, & ſuper eam

ſit

ſit baldachinum album, & circumcirca ſint luminaria,& floſcula benè diſpoſita.

Altare Majus ſolemnitèr parari debet pretioſioribus paramentis albis, in quo ſit Crux cooperta velo albo; Cætera verò Altaria minora poſſunt remanere cum paramentis violaceis, ita tamen omnia iſtä ſic aptentur, ut tempore eorum denudationis facilè removeri poſſint. *Gavant tõ. 1. p. 4. tit. 8. n. 1. Bauld. p. 4. c. 9. a. 1. n. 1. & Biſſ. hic n. 294.*

Pro Miſſa Solemni Sacriſta præparabit paramenta Albi coloris pro Celebrante, & Miniſtris, Stolas ſimiliter albas, vel alterius coloris, ſi albæ non habentur, pro Sacerdotibus Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumpturis. Pro Proceſſione pręparetur Crux proceſſionalis velo albo cooperta, & pro Subdiacono Crucem in Proceſſione deferente, Tunicella, & pro Celebrante Pluviale, ac etiam Baldachinum, Funalia albi coloris, ac etiam duo Thuribula, ſi haberi poſſint. Pro denudatione Altarium, præparentur Stolæ violaceæ pro Celebrante, & Diacono; Præparetur etiam inſtrumentum ligneum cum Annulis ferreis,ſeu alio modo loco Cãpanæ pulſandum.

Hora quintadecima pulſatur ad horam Nonam, interim Thuriferarius præparabit Credentiam, in qua præter conſueta locabit Calicem pro Miſſa cum duabus hoſtiis, & aliis requiſitis; Alium etiam Calicem ampliorem, & pulchriorem cæteris cum Palla, & Patena præparabit pro Sanctiſſimo Sacramento aſſervando; Pixidem cum Particulis pro Communione conſecrandis, duo vela alba, parvum pro Calice Sacramentum continente, & aliud longum pro tegendis humeris Celebrantis. Dum dicitur Nona Accolythi ſex cereos albos ſuper Altare accendent, & in Sacriſtia Candelabra ab ipſis deferenda.

Finita hora Nona.canitur per Superiorem Miſſa ſolemnis cum Diacono, & Subdiacono. Ad Confeſſionem non dicitur Pſalm. *Judica me Deus*, nec ad Introitum. *Gloria Patri*: tribus vicibus incenſum benedicitur, ſcilicet ad Introitum, ad Evangelium, & ad Offertorium,

ut

ut mos eſt: Inchoato à Celebrante Hymno: *Gloria in Excelſis,&c.* Campanæ modo feſtivo pulſantur, quæ deinceps ſilent, uſque ad Sabbatum Sanctum, neque hoc tempore pulſantur Campanulæ Eccleſiæ, nec illa Clauſtri, ſed ejus loco adhibeatur inſtrumentum ligneum: Ad Orationem genuflectitur in Choro; Ad Oblationem duæ offeruntur Hoſtiæ, quarum una ſumitur, & altera in craſtinum ſervatur. Diaconus dat patenam Subdiacono more ſolito: Ad *lavabo*, in fine Pſalmi non dicitur: *Gloria Patri,&c.* Præfatio dicitur de Cruce; *Communicantes &c. Hanc igitur &c. Quam oblationem &c. Et qui pridie &c.* Dicuntur propria; ad *Sanctus*, & ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti pulſatur Inſtrumentum ligneum. *Agnus Dei*, dicitur more ſolito, ſed non datur pax, dicuntur tamen tres conſuetæ Orationes ante Communionem.

Sumpto Sanguine à Celebrante Subdiaconus accipit à Credentia Calicem vacuum cum Palla, Patena, & velo parvo, & defert ad Altare, quem Diaconus detegit, & abſtergit, & porrigit Celebranti, qui Hoſtiam Conſecratam debitis reverentiis in eo reponit, & ſtatim aliquantulum verſus latus Evangelii recedit; Diaconus Calicem Sanctiſſimi Sacramenti Palla, deinde Patena cooperit, & deſuper parvum velum album, & pretioſum expandit, & in medio Altaris cum genuflexione ante, & poſt collocat.

Antequam Celebrans ſe purificet, communicabit Diaconum, & Subdiaconum, deinde Sacerdotes habentes Stolam à collo pendentem; Poſt Sacerdotes accedent Clerici, & converſi, vel etiam Sæculares, prout habetur in libro Tertio, Capite de modo Communicandi.

Dum fit Communio accenduntur luminaria in loco, qui dicitur Sepulchrum; Subdiaconus Crucem in Proceſſione delaturus veſtibus albis in Sacriſtia parabitur, Thuriferarii ignem in Thuribulis, & incenſum in Navicula præparabunt.

Pe-

Peracta Communione Celebrans ſe purificat,& abluit digitos in cornu Epiſtolæ, ut ſupra, ac Miſſam proſequens genuflectit quandocumque accedit, vel recedit à medio Altaris,vel tranſit ante Sanctiſſimum Sacramentum: *Reliqua verò ſiunt, ut ſupra habetur lib.3.*

De Proceſſione.

DUm dicitur Evangelium S. Joannis accenduntur intorticia, & cerei albi coloris pro ipſa Proceſſione; Sacriſta Baldachinum viris nobilibus tradet portandum, primus ſtabit ante à dextris Celebrantis, ſecundus ante à ſiniſtris, tertius retro à dextris, & quartus retrò à ſiniſtris.

Finito Evangelio Celebrans cum Miniſtris facta genuflexione in medio Altaris deſcendit, & ante infimum Altaris gradum in medio iterum genuflectit, & propè Credentiam deponit Caſulam, & Manipulum, ibique induitur Pluviali albo, deinde per planum incedens medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris facta genuflexione Sacramento in medio ante Infimum gradum paulò retrocedens ſtans, imponit incenſum in duobis Thuribulis hoc modò; Celebrans verſa facie ad Sanctiſſimum Sacramentum, Subdiacono à ſiniſtris ejus junctis Manibus exiſtente, & Diacono à dextris naviculam miniſtrante, nec manum Celebrantis, nec choclear oſculabitur, neque benedictionem petet. Celebrans nihil dicens, neque incenſum benedicens, ter immittit incenſum in Thuribulo Thuriferarii; deinde Thuriferarius dat Thuribulum cum incenſo ipſi Accolytho, & Accolythus dat ſuum Thuribulum Thuriferario, & Celebrans eodem modò ponit in illud Incenſum.

Incenſo poſito in Thuribulis Celebrans cum Miniſtris genuflectit in infimo Altaris gradu, ibique accepto uno ex duobus Thuribulis ſine oſculis à Diacono Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu incenſat, facta profun-

da inclinatione ante, & poſt; Miniſtri hinc inde fimbrias Pluvialis elevatas tenentes,& ſimul cum Celebrante profundè inclinantes. Diaconus recipit ſine oſculis à Celebrante Thuribulum, & Thuriferario tradit.

Finita Incenſatione Sanctiſſimi Sacramenti, ſurgit, & accepto ab Accolytho velo lōgo illud ponit ſuper humeros Celebrantis genuflexi,ita ut æqualiter ſuper ejus brachio extenſum pendeat,Diacono adjuvante;omnibus genuflexis manentibus,Diaconus aſcendit ad Altare, genuflectit quaſi à latere Epiſtolæ, nè renes vertat Celebranti, ſurgit, Calicem Sanctiſſimi Sacramenti coopertum accipit, & convertens ſe per eamdem partem, quæ reſpicit latus Evangelii,deſcendit, & ſtans illum Celebranti genuflexo ſine reverentia, & ſine oſculis manus, vel Calicis,dat; Celebrans ſiniſtra manu accipit Calicis nodum, & dexteram ſuper Calicem ponit, quem Diaconus tegit extremitatibus Veli; poſtea Celebrans ſurgit, & expectat donec Diaconus genuflexione adoret, deinde ad Populum ſe convertit, & Miniſtri ſimul cum Celebrante ſe hiſpanicè vertunt, Celebrante in medio manente, quoniam Diaconus numquam recedit à dextris, nec Subdiaconus à ſiniſtris Celebrantis, eique hinc inde aſſiſtunt fimbrias anteriores Pluvialis elevantes.

Cantores ſurgunt, & intonant Choro alternatim proſequente hymnum: *Pange lingua glorioſi, &c.* prout in Ordinario Precum &c.

Intonato Hymno omnes ſurgunt, & inchoatur Proceſſio, præcedente alio Subdiacono Alba, & Tunicella albi coloris induto Crucem inter duos Accolythos deferente, ſequuntur Converſi, & Clerici, ac Sacerdotes bini, bini, nudo capite Cereos accenſos ferentes, ultimo Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum recitans cum ipſis voce humili Hymnum, vel Pſalmum, Sanctiſſimum Sacramentum maxima cum Devotione ferens uſque ad oculos elevatum, quos defixos in illud habebit, ſemper ſub Baldachino procedens uſque ad gra-

dus loci ipſius ſepulchri, Thuriferarii ſemper ad invicem facie ſemiconverſa incedentes, continuò Sacramentum graviter, atque devotè eodem Tempore ducentes Thuribula, incenſabunt, brevi inter quamlibet Thurificationem interpoſita mora, & procedentes numquam Sacramento terga vertant.

Cum pervenerint ad Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, Subdiaconus deferens Crucem medius inter Accolythos ſiſtit ſe extrà portam Cappellæ in loco congruo; Reliqui verò hinc inde ordine ſervato ſcilicet Juniores propè Crucem in duos Choros diviſi, ut Thuriferarius, & Celebrans cum ſuis Miniſtris, & Baldachinum deferentibus tranſire poſſint. Dum Celebrans pertranſit omnes genuflectunt uſque ad peractam incenſationem, & adorationem Sacramenti; Baldachinum deferentes ante gradus Sacelli conſiſtant, & Frater Laicus illud accipiens ad Sacriſtiam deferat.

Celebrans, cum pervenerit ante infimum Altaris gradum conſiſtet, Diaconus genuflexus accipit à Celebrante ſtante Calicem cum Sacramento, & ponit ſuper Altare, cooperiens velo parvo undique Calicem, & genuflexione adorat. Depoſito Sacramento à Celebrante in manus Diaconi, ſtatim genuflectit, & Subdiaconus amovet velum ab humeris Celebrantis, & genuflectit à ſiniſtris illius. Diacono ad Celebrantem redeunte, ſurgunt, & imponit incenſum in Thuribulo ſine benedictione, & ſine oſculis, ut ſupra, miniſtrantibus Diacono naviculam, & Thuriferario Thuribulum, poſtea genibus flexis ſuper infimum gradum incenſatur Sacramentum triplici ductu cum inclinationibus, *ut ſupra*.

Sanctiſſimo Sacramento ſuper Altari poſito, ſtatim Cantores omnibus aliis omiſſis, voce pia, & devota, Choro alternatim proſequente, intonant: *O Salutaris Hoſtia &c.* prout in ordinario Precum &c. vel *Tantum ergo Sacramentum &c.* uſque ad finem.

Qui verſus repetuntur donec Sacramentum incenſa-

 tum,

tum, & in capſulam repoſitum fuerit, Diaconus reddito Thuribulo Thuriferario, ſurgit, aſcendit ad Altare, genuflectit; reponit Calicem intra capſulam, quam facta genuflexione claudit, & clavem Sacriſtæ cuſtodiendam tradet, iterumque rediens ad dexteram Celebrantis ſimul cum aliis genuflexus orabit. Clauſa capſula, ſtatim Cantus ſine verſu, & Oratione, abſolutè terminetur.

Facta Oratione per octavam horæ partem, Celebrans, & omnes alii ſurgunt, & Sacramento genuflexione unico tantum genu peracta, Cereos extra Capellam extinguunt, & ordine, quò venerant revertuntur, Thuriferario Crucem præcedente. Ab hac Hora uſque ad Proceſſionem ſequentis Diei, duo Fratres per Tabellam deſignati ſuperpelliceis induti ante gradum Sepulchri hinc inde per ſpatium *unius Horæ*, die, noctuque genuflexi manebunt, ut Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti participes eſſe mereantur. Fratres ad Chorum pergent, & Veſperas ſine cantu recitabunt. Interim Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus deponunt in Sacriſtia ſerica veſtimenta alba, & Veſperas ad Altare denudandum humili voce dicunt.

Biſſ. Lit. F. n. 428. §. 17.

Antequam Altare majus denudetur, Sacriſta, vel alius Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola Alba indutus, & velum longum ſuper humeros habens, præcedentibus luminibus, Pixidem cum particulis conſecratis ad locum, in quo Calix cum Sacramento fuit repoſitus deferet. Vel in Altare Sacriſtiæ intra Tabernaculum clave obſeratum, ubi lampades continuo ardeant. Oſtiolum Tabernaculi Altaris Majoris apertum manebit, ut omnes cognoſcant, ibi non eſſe Sacramentum, quod quidem erit ſemper ſervandum, quoties intra Tabernaculum Sacramentum non adeſt. Extinguitur Lampas Altaris Majoris; Thuriferarius Calicem, Miſſalia, ampullas, & Reliqua in Sacriſtiam deferat.

De-

De Altarium Denudatione.

FInitis Veſperis Celebrans, & Diaconus Stola, & Manipulo violaceis, & Subdiaconus manipulo induti, cum aliis Miniſtris procedunt ad Altarium denudationem; Cum ante Altare Majus pervenerint facta à Celebrante profunda inclinatione, & ab aliis genuflexione, Celebrans incipit ſine cantu Antiphonam. *Diviſerunt ſibi &c.* prout in Ordinario Precum &c.

Interim Celebrans cum Miniſtris primò Tobaliam ſuperiorem, mox alias; deinde Pallium Altaris amovebit; Alii Miniſtri removebunt Vaſcula, Tapetum &c. Crux verò, & Candelabra remanere debent in Altari, ſupradicta autem fratres converſi in Sacriſtiam deferent. Tabernaculum Conopæo exuatur, & in medio Altaris collocetur Crux cum Imagine Crucifixi velo nigro cooperta. Denudato Altari Majori, Celebrans cum Miniſtris duos alios Laterales ad minus denudabit; Cætera Altaria poterunt per Sacriſtam, vel alios denudari, ſi per Celebrantem denudata non fuerint. Finito Pſalmo, & repetita Antiphona: *Diviſerunt ſibi*, Celebrans, & Miniſtri in Sacriſtia veſtimenta deponunt. Deinde cum Inſtrumento ligneo datur ſignum Salutationis Angelicæ.

Bauld. de denudat. Altar. a. 4. §. 2. & Biſſ. lit. A n. 293 §. 2.

Licet in die Feriæ quintæ in Cœna Domini quilibet Sacerdos poſſit Miſſam privatam celebrare, cum nulla ſit lex, vel conſuetudo hoc prohibens, & plurimi Sacerdotes docti privatè celebrent: Nullus tamen Sacerdos Congregationis noſtræ, abſque Prioris licentia celebrabit.

De Mandato, ſeu Lotione Pedum. Cap. XII.

IN Capitulo, ſeu Sacriſtia, aut Eccleſia eſt faciendum mandatum; ibique erit Altare paramentis albis ornatum, & ſuper Altare erit Crux, duo candelabra

cum cereis, & Cuſſinus cum Miſſali pro Evangelio, & Oratione. Paramenta pro Celebrante erunt, Amictus, Alba, Cingulum, Stola, & Pluviale Coloris violacei, pro Diacono autem, & Subdiacono erunt eadem veſtimenta alba ſicuti in Miſſa.

A Latere autem Altaris erit Credentia mappa cooperta, ſupra quam erunt duo candelabra cum ſuis cereis albis pro Accolythis, Thuribulum cum Navicula, & Incenſo; Vas aquæ cum Pelui ad abluendas, & linteum ad abſtergendas manus Celebrantis poſt lotionem pedum, & aliud linteum, quo Celebrans præcingi debet.

Sint tria Vaſa, unum cum Aqua calida, aliud cum aqua frigida, & aliud magnum, in quo ablutiones projiciantur, Peluis pro lotione pedum, Bucale, ſeu Urceum pro Aqua infundenda, ſint ſcamna ut Fratres ſedere poſſint, in pavimento ante Scamna ſint Tapeta, ſi fieri poteſt, ne Celebrantis, & Miniſtrorum Veſtes maculentur. Pavimentum erit floribus, & herbis odoriferis conſperſum; Duo Legilia erunt hinc inde ab Altari remota pro Cantoribus.

Feria quinta Cœnę Domini, aut ſtatim immediatè poſt Veſperas, aut prima, vel ſecunda hora poſt Refectionem dato ſigno cum Inſtrumento ligneo, omnes Fratres lotis pedibus convenient ad locum determinatum mandati. Celebrans ſuper Albam induitur Stola, & Pluviali violaceis, Diaconus Stola ab humero pendente, & Dalmatica, Subdiaconus Tunicella, & manipulis albi coloris, Interim accenduntur Cerei ſuper Altare, & Credentiam.

Omnibus ſic diſpoſitis Diaconus ponit Miſſale in medio Altaris: Celebrans miniſtrantibus Diacono, & Thuriferario imponit Incenſum in Thuribulo, & benedicit more ſolito, poſtea Diaconus Miſſale ante pectus tenens genuflexus ante Celebrantem petit benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere*, & Celebrans reſpondet: *Dominus ſit in corde tuo &c.* Diaconus habita benedictio-

ctione, oſculataque Celebrantis manu, cum Subdiacono, & aliis Miniſtris accedit ad latus Evangelii, cantat Evangelium: Ante diem *Feſtum Paſchæ, &c.* ſignãdo, & incenſando more ſolito. Subdiacono librum apertum tenente, & Accolythis cum Candelabris accenſis hinc inde ſtantibus facie ad Diaconum verſa; Interim Celebrans ſtat à parte Epiſtolæ verſus ad Diaconum Cantantem.

Finito Evangelio, Subdiaconus defert Miſſale oſculandum Celebranti, quem poſtea Diaconus triplici ductu incenſat. Thuriferarius deponit Thuribulum, & Accolythi Candelabra ſuper Credentiam, quæ ſtatim extinguuntur. Celebrans exuitur pluviali, & Diaconus, & Subdiaconus linteo illum ſtatim præcingunt.

Sedentibus Fratribus lavandis, hoc ordine ad lotionem proceditur, primò Frater Converſus pergit ante Digniorem, & pelvim ejus pedi dextro ſüpponit, & recedit, Celebrans ante eum genuflectit, Subdiacono Tunicella induto à ſiniſtis Celebrantis pedem ejus dexterum elevatum tenente, & primo Accolytho ex urceo aquam tepidam cum floribus, & herbis odoriferis ſuper pedem in pelvi infundente, illius pedem dextrum genuflexus lavat, & extergit, Diacono induto Dalmatica, parum retro ſtante linteum ad abſtergendum præbente, & oſculatur pedem, nullo facto ſuper eum ſigno Crucis, & ſic aliis ſimiliter faciet, Miniſtris tantum exceptis; Dum pes abſtergitur Frater Converſus accipit Pelvim, & ablutionem in Vaſe magno infundit, & Pelvim pedi dextero alterius Fratris ſupponit, & recedit, & ſic de ſingulis.

Fratres cantantes ſibi ipſi ſuccedant tam ad lavandum, quam ad cantandum, ita ut ante legilia octo ſaltem cantantes remaneant; Dum Celebrans depoſito Pluviali præcingitur linteo, Cantores incipiunt canere Antiphonas, *& Verſus prout in Ordinario Precum &c.* quorum nihil debet omitti; ideò ad ablutionem attendere

dere debent,ut ea finita,omnia etiam cantanda finiantur, & ſi primò cantanda finiuntur, aliqua repetantur, & advertant, quod numquam inflectitur Vox, ſicuti in fine Lectionum, & aliorum Matutini Tenebrarum.

Poſt Pedum Lotionem unus ex Accolythis accendit candelas in ſuis Cãdelabris,& Celebrans lavat manus, & abſtergit linteo, Thuriferario aquam fundente, & alio Accolytho linteũ miniſtrante. Deinde deponit linteum, quo erat præcinctus, & rediens ad priorem locum propè Altare, induitur per Thuriferarium Pluviali, & ſtans capite detecto, & facie ad Altare, ſeu imaginem verſa, aſſiſtentibus Accolythis ante eum cum Candelabris accenſis, & faciebus ad invicem converſis, & Diacono à dextris, & Subdiacono à ſiniſtris librum tenentibus, canit manibus junctis,Verſus,& Orationẽ prout in Miſſali.

Finita Oratione Celebrans, & Miniſtri Sacras veſtes deponunt, & cuncti diſcedunt.

De Feria ſexta in Paraſceve. Cap. XIII.

PAraſceve græcè idem ſonat, quod præparatio latinè, quæ ex ſexta Sabbati dicitur, in hac enim die præparabant Judæi ea, quæ in Sabbato erant neceſſaria, ſecundum quod de Manna præceptum eſt: *Sexta die colligetis duplum*: Celebratur hæc ſolemnitas, quia hodie Redemptor noſter Myſterium Crucis explevit, & Sanguine ſuæ Paſſionis peccatum mundi delevit.

Altare majus, gradus, & Credentia ſint penitus denùdata, in Altari ſint ſex Candelabra cum candelis ceræ communis, & non albæ, in medio ſit Crux cum Imagine Crucifixi mediocris formæ,qualis eſt illa Pulpiti velo ſerico nigro ita cooperta, ut per Celebrantem facilè detegi poſſit, nulla alia imago, nec ornamentum ſuper Altare ponatur. Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti erit denudatum.

Pro Celebrante, & Miniſtris præparentur in Sacriſtia

tres

tres Planetæ cum Stolis, & Manipulis nigri coloris, quoniam Miniſtri hac die utuntur Planetis plicatis, & deficientibus nigris utentur Violaceis: ſint tria, vel duo ſaltem Lectorilia pro Diaconis Paſſionem cantantibus. Præparentur etiam tria pulvinaria Coriacea, vel tela violacea ſupponenda Capitibus Celebrantis, & Miniſtrorum ſacrorum, tempore, quò ſunt ante Altare proſtrati &c. *Bi 3.lit.F.E. n.45.§.1.*

Pro Crucis adoratione præparetur in Sacriſtia pannus violaceus, vel tapetum cum cuſſino violaceo ſerico, & auro ornato, & ſuper cuſſinum ſit velum album ſericum, & pretioſum loco Syndonis Mundæ: In medio Chori ſint duo Lectorilia pro Improperiis canendis.

Pro Proceſſione erunt in Sacriſtia Crux proceſſionalis detecta, & pro alio Subdiacono Cruciferario planeta plicata, ſi non eſt induendus illa Diaconi. Pro Accolythis duo candelabra cum cereis ceræ communis, duo Thuribula cum una navicella, & incenſo, velum longum album pro humeris Celebrantis, & Baldachinum albi coloris.

Hora quartadecima pulſatur cum Inſtrumento ligneo ad Horam Nonam, quæ dum dicitur, Thuriferarius, & Accolythi extendunt Linteum ſuper Credentiam, quod nulla ex parte pendere debet, & ſuper eam ponunt Tobaleam plicatam pro Altari Majori, ita longam, ut ſuper Altare parum hinc inde pendeat. Cuſſinum nigrum cum duobus Miſſalibus, Burſam nigri coloris intus habentem corporale plicatum cum Purificatorio, Vaſculum cum aqua pro ablutione digitorum Celebrantis. Si Sacramentum ante incenſationem Oblatorum tetigerit, & pelviculam cum ampullis, & Manutergiolo.

Finita Nona, Celebrans cum planeta, ſtola, & manipulo nigri coloris ſuper albam, & ſimiliter Diaconus, & Subdiaconus cum planetis ante pectus plicatis, ut ſupra in Dominica Palmarum, nigri tamen coloris, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, & Accolythis ſine

Biſs. ubi ſup. §. 2. Candelabris procedunt ad Altare, cumque ibi pervenerint, omnes Clerici genuflectunt, quod ſpecialiter hodierno die fit ab omnibus ante Crucem tranſeuntibus poſt illius denudationem. Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus æquè inter ſe diſtantes in plano ſupra nudam terram recta linea genuflectunt, caput ſuper cuſſinos coriaceos, ſeù tela violacea, qui exiſtunt in infimo Altaris gradu, ponentes, & ſic proſtrati aliquandiu orant. Interim primus Accolythus accepta Tobalea involuta de Credentia, illam ſolummodo ſuper Altare extendit, ita ut nihil à parte anteriori pendeat, adjuvante alio Accolytho in parte Evangelii. Poſtea Miſſale Celebrantis apertum cum cuſſino nigro ponit ſuper Altare in cornu Epiſtolæ, deinde ſubmiſſa voce monet Celebrantem, & Miniſtros, ut ſurgant.

Celebrans cum Miniſtris aſcendit ad Altare, illudque in medio oſculatur. Interim primus Accolythus accepto libro de Credentia, & facta in medio Cruci genuflexione, cantat in cornu Epiſtolæ ſine titulo Prophetiam: *Hæc dicit Dominus &c.* non inflectendo vocem in fine; Celebrans ſubmiſſa voce legit Prophetiam in cornu Epiſtolæ, aſſiſtentibus Diacono à dextris, & Subdiacono à dextris Diaconi, ſicuti ad introitum.

Cantata Prophetia Lector clauſo libro, & facta Altari genuflexione in medio, deponit librum ſuper Credentiam, non oſculata manu Celebrantis. Interim canitur in Choro Tractus *Domine Audivi &c.* modo ordinario, ſicuti in aliis Miſſis, in cujus fine Diaconus, & Subdiaconus pergunt poſt Terga Celebrantis, unus poſt alium. Finito Tractu Celebrans canit *Oremus*, Diaconus primus omnium genuflectens, & cum eo omnes alii, excepto, Celebrante, canit eodem Tono Celebrantis: *Flectamus genua*. Subdiaconus autem primus omnium erigens, ſe eodem tono canit: *Levate*, & tunc omnes ſurgunt, & ſimiliter fiet, quoties dicitur. *Flectamus genua*.

Dum Celebrans extenſis manibus, ut in Miſſa canit Ora-

Orationem: *Deus, à quo, & Judas &c.* ad quem Chorus non genuflectit. Subdiaconus facta in medio genuflexione, accedit ad Credentiam, deponit Planetam, accipit Miſſale, factaque iterum in medio genuflexione, in loco ſolito Epiſtolæ cantat Lectionem, quam Celebrans, aſſiſtente ſibi à dextris Diacono, legit in cornu Epiſtolæ. Subdiaconus finita Lectione, factaque in medio genuflexione, non oſculatur manum Celebrantis, ſed ponit librum ſuper Credentiam, & reinduitur planeta plicata primo Accolytho adjuvante, & aſſiſtit Celebranti in cornu Epiſtolæ uſque ad finem Paſſionis.

Dum canitur Lectio à Subdiacono tres Paſſionem cantaturi parantur in Sacriſtia habitu Diaconali præter Dalmaticam, ut in Dominica Palmarum, coloris tamen nigri, & ſe gerant eodem ordine, & modo, quo in Dominica Palmarum dictum eſt, non tamen oſculabuntur manum Celebrantis, qui etiam efficiet, ut ſupra in Dominica præcedenti.

Finita Paſſione Accolythi removent Legilia, Diaconus exuitur planeta ante pectus plicata, & induitur Stola latiori, ſeù planeta complicata ad modum Stolæ, ut in Dominica Palmarum, ponit Miſſale in medio Altaris, & genuflexus dicit: *Munda cor meum*; non tamen petit benedictionem, nec oſculatur manum Celebrantis, ſed ſurgit, accipit librum, deſcendit, & ante infimum gradum genuflexione facta cum Subdiacono, & Accolythis ſine Candelabris, & ſine incenſo, pergit ad locum ſolitum, in quo canitur Evangelium, & cantata eſt Paſſio, & canit illam partem Paſſionis: *Poſt hæc autem rogavit &c.* Subdiacono inter Accolythos librum ſuſtinente.

Completa hac poſtrema Paſſionis parte, Celebrans non oſculatur librum, neque incenſatur. Diaconus ſimul cum aliis ante Altare in medio genuflectit, & permanet in eodem habitu, quo reperitur uſque ad finem Officii. Celebrans in eodem cornu Epiſtolæ ſtans ver-

ſus Altare, manibus extenſis, cantat Orationes, caput inclicans cum dicit: *Oremus*, ac etiam: *Per Dominum noſtrum &c.* Miniſtris poſt eum ſtantibus unus poſt alium; Diacono, *Flectamus genua*, & Subdiacono: *Levate*: Cantantibus, cum opus fuerit, ad quas Orationes Chorus non genuflectit, neque ſe inclinat.

Tempore Sedis Vacantis, quando Papa eſt Defunctus, Celebrans omittet tertiam, & quartam Orationem, quæ ſunt pro Summo Pontifice. Habebit in ſchedula deſcriptum Nomen Imperatoris, qui ſi non eſt Coronatus, dicatur *Oremus*; *Et pro Chriſtianiſſimo electo Imperatore &c.* Si eſt vita functus, loco *Imperatore noſtro* N. dicet *Imperio noſtro*. Ad Orationem pro Judæis non dicitur: *Oremus*, nec: *Flectamus genua*; & ideo Celebrans nulla interpoſita mora proſequatur ſecundam Orationem pro Judæis, ne Chorus reſpondeat; *Amen*, & Diaconus; *Flectamus genua*: dicat.

De Crucis Adoratione.

DUm dicitur ultima Oratio, Accolythi extendunt pannum violaceum, vel tapetum in medio ante Altaris Cancellos, & deſuper ponunt cuſſinum ſericum violaceum auro ornatum, & ſuper cuſſinum extendunt velum ſericum album loco Syndonis. Expletis Orationibus Celebrans in cornu Epiſtolæ extrà Altare deponit Caſulam, ibique in poſteriori tamen Angulo, juxtà parietem facie ad Populum converſa manet: Interim Diaconus facta in medio genuflexione accipit Crucem in Altari exiſtente, & eam ſine oſculis tradit Celebranti. Celebrans eam devotè accipit, & ſtans in medio Miniſtrorum facie Imaginis Crucifixi ad Populum converſa, manu dextera detegit ſummitatem Crucis uſque ad Tranſverſum, & ambabus manibus illam ad oculorum altitudinem elevat: Incipiens ſolus voce devota, & mediocri: *Ecce lignum Crucis*. Omnes ſurgunt,

& ipſe

& ipſe proſequitur cum Miniſtris, & Accolythis: *In qua ſalus Mundi pependit*. Chorus eodem tono reſpondet *Venite Adoremus*. Ad quæ verba, omnes excepto Celebrante, genuflectunt. Poſtea Celebrans procedit ad interiorem partem Anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, & ſtans eodem modo verſus Populum in medio Miniſtrorum, diſcooperit brachium dexterum Crucis, & caput figuræ Crucifixi, eamque ut ſupra elevans altiori voce canit. *Ecce lignum Crucis*, aliis proſequentibus, & adorantibus ut ſupra. Deinde Celebrans procedit ad medium Altaris, & ſtans ut ſupra diſcooperit totam Crucem, eamque elevans altius, quam ſecundò incipit: *Ecce lignum Crucis*: aliis cantantibus, & adorantibus ut ſuprà. Detecta hac Cruce, omnes aliæ Cruces deteguntur.

Poſtea Celebrans ſolus abſque Miniſtris portat devotè ambabus manibus Crucem elevatam ad locum præparatum, nullam tunc Altari faciens reverentiam, & genuflexus ibidem, eam ſuper velum album, & cuſſinum locat, ſurgentibus omnibus, & depoſitis ad partem crepidis revertitur ad adorandam Crucem ter cum debita diſtantia, ante illam genuflectens aliquantulum pro unaquaque vice orando, & demum deoſculatis pedibus Crucifixi, ſurgit, & accipit crepidas, & planetam.

Si adſunt Prælati, vel Admodum Rev. P. Vicarius Generalis immediatè poſt Celebrantem Crucem adorant. Diaconus, & Subdiaconus depoſitis crepidis, & Planeta plicata Crucem ſicuti Celebrans inſimul adorant, deinde Diaconus ſumit crepidas, & Subdiaconus crepidas, & Planetam, & aſſiſtunt Celebranti in cornu Epiſtolæ dum̄ legit improperia, & alia quæ ſequuntur; Poſtea Sacerdotes Clerici & Converſi, omnes bini, bini, nudis pedibus ab Oſtio Evangelii egredientes deoſculantur pedes Crucifixi, ter æqualiter ſpatio, ut ſupra ante Crucem genuflectentes; Primò, qui à dextris, & deinde qui à ſiniſtris, & ſurgunt, & Cruci genuflectunt, & per Oſtio-

lum

lum Epiſtolæ in Chorum revertuntur. Ne in hac adoratione tempus conteratur, cum primi in ſecunda ſtatione conſiſtunt, alii ſequentes in prima ſtatione genuflectunt, & cum illi ad tertiam ſtationem pervenerint, iſti in ſecunda Statione genuflectent. Poſt Fratres Converſos ſequuntur Accolythi cum Thuriferario, deinde Sæculares tam Viri, quam Mulieres, ſed primò Sodales Oratorii, ubi erit talis Congregatiò.

In Medio Chori erunt hinc inde duo Lectorilia, & Fratres omnes ibi in duos Choros diviſi, erunt etiam quatuor Cantores duo in primo Choro, & duo in ſecundo. Dum Celebrans Crucem genuflexus adorat, Cantores incipiunt canere Improperia, & alia prout in ordinario Precum &c. vel omnia, vel partem eorum prout multitudo, vel paucitas adorantium requirit, nunquam inflectendo Vocem in Fine.

De Proceſſione, & Reliquis uſque ad finem Officii.

CIrca Finem Adorationis Crucis paratur in Sacriſtia alius Subdiaconus Planeta nigra plicata ſuper Albam pro Cruce proceſſionali deferenda, interim Acccolythi accendunt ſex Cereos ſuper Altare, & duo ſuper Credentiam omnes ceræ communis; Diaconus accipit Burſam cùm Corporali à Credētia ſimul cum Purificatorio, eamque elevatam defert ad Altare, & expandit Corporale in medio, more ſolito, & juxta illud ponit Purificatorium, & facta iterum genuflexione redit ad locum ſuum. Interim Subdiaconus mutat Miſſale Celebrantis cum Cuſſino à parte Epiſtolæ ad partem Evangelii, apertumque collocat prope Corporale.

Finita Crucis Adoratione, Diaconus Crucem utraque manu accipit, & reverenter portat ſuper Altare in medio, nulli reverentiam faciens; Celebrans autem, & omnes alii tunc Cruci genuflectunt, & ſtatim ſurgunt. Interim Accolythi removent pannum, ſeu Tapetum cum pulvino, & velo.

In

In Sepulchro deponantur Luminaria, ut ſit facilis tranſitus, ibique ſit præparatum velum longum ſuper humeros Celebrantis imponendum, & ante Oſtium ſit Baldachinum album. In Choro diſtribuantur Fratribus Candelæ, & in Eccleſia Sæcularibus intorticia, quæ non accenduntur niſi cum perventum fuerit ad locum Sanctiſſimi Sacramenti. In Sacriſtia, vel Choro erit Vas cum prunis ardentibus pro Incenſatione.

Poſtea ordinatur Proceſſio ad locum, ubi pridie repoſitum fuerat Sanctiſſimum Sacramentum præcedentibus Thuriferariis cum Thuribulis, & una navicula, proſequitur alius Subdiaconus paratus, ut ſupra, cum Cruce Proceſſionali diſcooperta, medius inter duos Accolythos deferentes Candelabra cum Cereis, ſequuntur Fratres bini, bini, devotè, & humiliter incedentes cum Candelis extinctis, ultimo Celebrans Planeta indutus, medius inter Miniſtros, qui ante Altare Majus tranſeuntes omnes Cruci genuflectunt.

Cum Proceſſio ad locum Sacramenti pervenerit, Subdiaconus, ſeu Cruciferarius cum Accolythis ſe in tali ſitu locant, ut nemini ſint impedimento, ſemper tamen ſtantes, & numquam genuflectentes. Reliqui Ordinatim hinc inde juniores propè Crucem, ibi genuflectunt, & accenduntur candelæ, & intorticia, quę non extinguũtur niſi poſt ſumptionem Sacramenti. Celebrans cum Miniſtris, & Thuriferario ingrediuntur Sacellum, & ante infimum gradum genuflectunt, & poſtquam aliquantulum oraverint, Diaconus accepta clave à Sacriſta, ſurgit, aſcendit ad Altare, & facta genuflexione aperit capſulam Sanctiſſimi Sacramenti, & iterum genuflexione exhibita ad Celebrantem redit.

Bauld. de Fer. ſex. a 4. de Proceſ. n. 5. fol. 247. & Biſſ. lit. P. n. 226. § 8.

Deinde Celebrans ſurgit, & paulò retrocedens ponit Incenſum in duobus Thuribulis abſque benedictione, Diacono naviculam ſine oſculis miniſtrante, & genuflexus in infimo gradu, triplici ductu Sacramentum intra Capſulam apertam incenſat, ante & poſt profundè ſimul

cum

cum Miniſtris ſe inclinans,reddit Thuribulum Diacono, & ſtatim Subdiaconus ſurgit, & velum longum ſuper humeros Celebrantis imponit, ita ut utrinque æqualiter pendeat, & ſtatim iterum genuflectit. Diaconus ad capſulam aſcendit, & facta genuflexione accipit Calicem coopertum cum Sanctiſſimo Sacramento, & Celebranti adhuc genuflexo porrigit, & tegit extremitatibus veli, & genuflexione adorat; Celebrans ſurgit, & ambabus manibus Calicem ante faciem elevatum tenens,ſe ad Populum convertit. Mox cantoribus intonantibus Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt &c.* Omnes ſurgunt, & procedunt ordine, quo venerant, Thuriferariis inceſſanter Sacramentum incenſantibus,& Celebrante ſub Baldachino cũMiniſtris ſubmiſſa voceHymn.,vel Pſalmũ recitãte.

Cum intrà Cancellos pervenerint, Cruciferarius deponit Crucem à parte Evangelii prope Credentiam, & Accolythi Candelabra accenſa ſuper Credentiam locant, & genuflectunt. Reliqui Fratres facta Cruci Altaris genuflexione circumcirca intra Cancellos genuflectunt, & Cereos accenſos in manibus tenent. Ante Cancellos Altaris removetur Baldachinum, & per Fratrem Converſum, ſeu Sacriſtam in Sacriſtiam defertur. Cum Celebrans pervenerit ante infimum Altaris gradum, Diaconus genuflexus accipit à Celebrante ſtante Calicem cum Sacramento, & ſurgit, & Celebrans ſtatim genuflexus illud adorat; Deinde Diaconus ponit Calicem in medio Altaris ſuper Corporale, & facta Sacramento genuflexione redit ad dexteram Celebrantis, & genuflectit.

Vſus Baſil. Urbis aliarumq. Eccl.

Interim Subdiaconus removet Velum ab Humeris Celebrantis, qui cum Diacono ſurgit, & paulo retrocedit, & ſtans imponit incenſum in uno Thuribulo ſine Benedictione, miniſtrante Diacono naviculam ſine oſculis; poſtea genuflectunt in infimo Altaris gradu,ibique Celebrans triplici ductu Sacramentum incenſat, facta profunda inclinatione, ante, & poſt ſimul cum Miniſtris, & deponit Thuribulum.

Mox

Mox Celebrans cum Miniſtris aſcendit ad Altare, & factis genuflexionibus, Diaconus detegit Calicem,& ambabus manibus tenet, Patenam; Celebrans autem Hoſtiam ex Calice ſuper Patenam ponit,non tangendo illam ſi fieri poteſt, & ſi tetigerit, ſtatim, (id eſt poſtquam Hoſtiam repoſuerit ſuper corporale) digitos abluat in Vaſe ſibi à Subdiacono porrecto, poſtea accipit patenam cum Hoſtia Sacra de manu Diaconi ſine oſculis, quam ponit ſuper Corporale nihil dicens, nec ſignum Crucis formans,& patenam ponet ſupra Corporale ob fragmentorum reverentiam. Interim Diaconus accipit Calicem imponit in eum Vinum, & Subdiaconus in cornu Epiſtolæ infundit Aquam, quam Celebrans non benedicit, nec ſuper eam dicit Orationem conſuetam, ſed accipiens à Diacono ſine oſculis Calicem ponit illum ſuper Altare nihil dicens, neque cum eo faciens ſignum Crucis,Diaconus illum Palla cooperit. *Biſſ. litt. F. n. 45. §. 29.*

Poſtea Celebrans genuflexione Sacramento exhibita miniſtrante Diacono ſine oſculis Naviculam, ponit incenſum in Thuribulo, nec benedicit more ſolito, nec dicit. *Per Interceſſionem &c.* Sed ſtatim poſito Incenſo, ipſe Celebrans incenſat Oblata more ſolito dicens:*Incenſum iſtud &c.*Factis debitis genuflexionibus ante,& poſt, deindè incenſat tantum Altare, Crux enim minimè incenſatur, quia incenſato figurato non debet incenſari figura, dicens: *Dirigatur Domine &c.* genuflectens quoties tranſit ante Sacramentum; Reddens Thuribulum Diacono dicit:*Accendat in nobis Dominus ignem.&c.* Celebrans non incenſatur, nec quiſpiam alius, ſed extrà Altare à parte Epiſtolæ ſtans extra Bradellam ad Altare ſemiconverſus, ne terga verſus Sacramentum habeat, lavat Manus nihil dicens. *Idem ibidē §. 32.* *Idem ubi ſup. §. 33.*

Lotis Manibus, Celebrans genuflectit in medio, ſurgit, & junctis manibus ſuper Altare poſitis, inclinatus dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce: *In Spiritu humilitatis, &c.* Interim Diaconus accedit ad Miſſale Celebrantis,

tis, & Subdiaconus pergit ad medium poſt infimum gradum, deinde Celebrans facta genuflexione in medio, converſus ad Populum in cornu Evangelii dicit more ſolito. *Orate Fratres, ut meum &c.* per eamdem viam revertitur ad medium, non perficiens circulum, & iterum genuflectit. Non dicitur. *Suſcipiat Dominus &c.* & omnibus aliis omiſſis, Celebrans immediatè dicit junctis manibus: *Oremus Præceptis Salutaribus &c.* proſequens *Pater noſter &c.* extendit manus Miniſtris poſt eum ſtantibus; in fine Chorus reſpondet: *Sed libera nos à malo*, & Celebrãs dicit ſecretò: *Amen*, & ſtatim eadẽ voce, qua dixit *Pater noſter*, abſolutè ſine *Oremus* canit; manibus extenſis. *Libera nos quæſumus Domine &c.* In fine Chorus reſpondet. *Amen*.

Tunc Celebrans non ſignat ſe patena, ſed facta genuflexione Sacramento, ſupponit Patenam Hoſtiæ, quam in dextera accipiens elevat ſola dextera (interim tenens patenam ſiniſtra manu poſita ſuper Altare) ita ut ab omnibus videri poſſit; Ad Elevationem non incenſatur Sacramentum, neque elevatur Celebrantis Planeta, ſicuti nec pulſatur Inſtrumentum ligneum. Elevato Sacramento Diaconus ſurgit, diſcooperit Calicem, & Celebrans ſuper illo dividit Hoſtiam in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem, more ſolito, nihil ad hęc omnia dicens. Diaconus cooperit Calicem, & ſtatim genuflectunt, & ſurgunt.

Biſſ. ubi ſup. §. 37. Tonell. hic. &c.

Biſſ. ubi ſup. §. 38. Bauld. fol. 229. §. 18.

Ille redit ad librum, & Subdiaconus ſtat poſt Celebrantem. *Pax Domini*, non dicitur, nec *Agnus Dei*, neque Pacis oſculum datur. Celebrans præmiſſis duabus primis Orationibus dicit ſecretò; & profundè inclinatus: *Perceptio Corporis tui &c.*

Deinde facta genuflexione, accipiens Patenam cum Hoſtia maxima humilitate, ac reverentia dicit: *Panem Celeſtem accipiam &c.* & percutit pectus ter dicens: *Domine non ſum dignus*, more ſolito; poſteà ſignans ſe cum Sacramento dicit: *Corpus Domini noſtri &c.* & Corpus Domini ſumit, deinde omiſſis omnibus, quæ dici ſolent

ante

ante ſumptionem Sanguinis, Celebrans facta genuflexione accipit Calicem à Diacono detectum, & nihil dicens, neque ſe ſignans ſumit reverenter vinum, & aquam ſimul cum particula conſecrata in Calice exiſtente.

Quibus peractis extinguuntur cerei, & Fratres ingrediuntur Chorum pro Veſperis ſine cantu dicendis. Interim Celebrans purificat Calicem, abluit digitos in cornu Epiſtolæ more ſolito, & ſumpta ablutione, ſtans in medio Altaris inclinatus dicit manibus junctis: *Quod ore ſumpſimus Domine &c.* Non datur benedictio, & nihil aliud dicitur; ſed terſo per Subdiaconum Calice, facta Cruci genuflexione, diſcedunt.

Accolythi aſſociato Celebrante, extinguent Candelabra, denudabunt Altare, & omnia in Sacriſtiam deferent. Finitis Veſperis, & facto examine conſcientiæ pulſatur Inſtrumentum ligneum pro ſalutatione Angelica, qua dicta omnes ſub ſilentio ad Refectorium pergent.

Si Pixis cum particulis conſecratis eſt in loco Sepulchri, deferatur per Sacriſtam ad alium locum præparatum cum luminibus, & aliis ut ſupra.

Hac die non poteſt celebrari Miſſa privata, neque ſolemnis, quia prohibitum eſt per legem, & eſt communis opinio, neque debet miniſtrari Corpus Chriſti Fidelibus, quia eſt uſus Univerſalis, quod nullus in Feria ſexta Paraſceve communicetur. Si tamen aliqua occurrit neceſſitas, poterit communio fieri, quia hac die Communionem recipere, vel miniſtrare nulla lege prohibetur, hoc tamen non fiat niſi conſulto Prælato.

Can. Sabb. de Cõſ. diſt. 3

Suar. 3. p. tit. 3. diſt. 8. ſec. 2

De Sabbato Sancto. Cap. XIV.

PAſchalis veneratio Sabbati hinc celebratur, quia eo die Dominus in Sepulchro quievit, & ideò benè in Sermone Hebræo Sabbatum requies interpretatur, in eo enim die requievit Deus, Mundo perfecto, & dicitur Sanctum, quia nova Eccleſia ſacro Baptiſmi fonte ſanctificatur.

pullis, & manutergio, & velum Album, & longum pro Subdiacono. Propè credentiam ponent pannum violaceum, vel tapete cum tribus cuſſinis violaceis, à parte Evangelii locabunt legile pro præconio canendo, & illud candelabrum altum, & magnum cum Cereo Paſchali,& in parte Epiſtolę contra Cereum Paſchalem ponent pedem ligneum, vel marmoreum pro Arundine ſubſtinenda. Interim Frater Converſus excutit ignem de lapide foris ante portam Eccleſiæ, vel in ejus aditum, & ex eo accendantur carbones in vaſe præparato.

De Benedictione Ignis.

IN Choro dicitur Nona candelis Altare extinctis uſque ad principium Miſſæ; Expleta Nona proceditur ad benedicendum ignem hoc ordine: Primò procedit Thuriferarius cum Thuribulo ſine igne, ſed cum Navicula,incenſo,& chocleari habens à ſiniſtris Acolythum deferentem lancem cum quinque granis incenſi (Advertendum eſt tamen, quod in lance non debet eſſe aliud incenſum, niſi illa quinque grana, ſed incenſum defertur in navicula, nec benedicitur, cum benedicuntur illa quinque grana, in Thuribulo enim ponitur incenſum non benedictum, quia benedicitur à Celebrante poſtquam eſt poſitum in Thuribulo illis verbis: *Ab illo benedicaris &c.*) eos ſequitur Subdiaconus ſolus cum Cruce diſcooperta veſtitus planeta plicata violacea ſuper albam, poſtea ſequuntur tres alii Accolythi ſimiliter cottis induti, unus deferens vaſculum cum aqua benedicta, & Aſperſorio, & alter Miſſale Celebrantis, & tertius arundinem cum candelis, deinde Fratres omnes à junioribus incipiendo, ultimo Celebrans indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceis ſine manipulo,habens à ſiniſtris Diaconum indutum Stola, ſine manipulo, Planeta *plicata violacei coloris* ſuper albam, etiam Subdiaconus ſit ſine manipulo uſque

Correct. de Sabb. Sanct. Gavant. hic &c. & Biſs. lit. S. n. 6. § 7

ad

Peractis benedictionibus, Celebrans iterum imponit incenſum in Thuribulo more ſolito, & benedicit, Diaconus deponat veſtes violaceas, & induat ſe paramentis albis, *ut ſupra dictum eſt*. Subdiaconus quoque ſuum accipiat Manipulum, & poſtquam indutus fuerit veſtibus albis, accipiat Arundinem cum tribus candelis, & ordinatur Proceſſio. Præcedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, à ſiniſtris habens Accolythum grana incenſi deferentem, ſequitur Subdiaconus cum Cruce, poſtea Fratres ex ordine, deinde Diaconus deferens utraque manu Arundinem à Siniſtris habens Accolythum deferentem candelam accenſam, ultimus omnium Celebrans ſolus. Cum Diaconus ingreſſus eſt Eccleſiam inclinat Arundinem, & Accolythus deferens candelam accenſam de novo igne accendit unam ex illis tribus candelis, poſteà Diaconus elevans Arundinem genuflectit, & ſimiliter omnes alii cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, & cantat ſolus voce mediocri: *Lumen Chriſti* reſpondente Choro in eodem tono *Deo gratias*: Diaconus ſurgit, & omnes alii, & proceditur ad medium Eccleſiæ, ibique ſiſtitur, & altera candela eodem modo accenditur, & Diaconus cum aliis genuflexus, altiori voce ſolus cantat: *Lumen Chriſti*: reſpondente Choro eodem tono: *Deo gratias*: Tertiò proceditur ante Altare, ibique ante gradus accenditur tertia candela, & genuflectitur, & canitur, ut prius, altius tamen: *Lumen Chriſti*: *&* *Deo gratias*, & Fratres Chorum ingrediuntur. *Biſs. ibid. §. 9*

De Præconio.

Celebrans aſcendit ad Altare, & ſtat in cornu Epiſtolæ Pluviali indutus, Diaconus dat arundinem Accolytho, à quo accipit Miſſale, Subdiaconus cum Cruce, & tribus Accolythis, quorum unus Arundinem, alter lancem cum incenſo, & tertius candelam

par-

parvam tenet pergit ad Legile Diaconi, ibique ſe ordinatim conſtituant, eumque expectant. Diaconus cum Miſſali accedit ante Celebrantem, & genuflexus petit benedictionem, ut ſit ad Evangelium, non tamen dicit: *Munda cor meum*, neque benedicitur incenſum, ſed ſolum dicit: *Jube Domne Benedicere*, cui Celebrans reſpondet: *Dominus ſit in corde tuo*, prout in Benedictione ad Evangelium, ſed loco *Evangelium ſuum*, dicet. *Suum Paſchale Præconium*, prout in Miſſali,& illud benedicit dicens. *In Nomine Patris, & Filii &c.*

Diaconus oſculata Celebrantis manu, genuflectit Altari, & præcedente Thuriferario cum Thuribulo procedit cum Miſſali ad Pulpitum, ideſt legile exiſtens ad latus Evangelii in loco ſolito, ubi canitur Evangelium, & ſtans facie ad Populum verſa ponit ſuper legile Miſſale apertum, quod adolet Incenſo triplici ductu, ut ſit ad Evangelium, ſed non ſignat librum, neque ſeipſum, & ſtans facie verſa ad Populum cantat manibus junctis abſolutè Paſchale Præconium: *Exultet jam Angelica &c.* Celebrans manebit in cornu Epiſtolæ verſa facie ad Diaconum cantantem ſicut ad Evangelium, Cereus Paſchalis erit ſuper Candelabrum poſt legile,Subdiaconus cum Cruce ſtabit à dexteris Diaconi, & Accolythus cum Arundine à ſiniſtris, faciebus ad Diaconum, & ad invicem verſis,à ſiniſtris Subdiaconi erit Thuriferarius cum Thuribulo,& à dexteris Accolythi tenentis Arundinem, erit Accolythus habens in vaſe quinque grana incenſi, facie ad invicem verſa manentes.

Diaconus infiget quinque grana incenſi in cereo, ſuo tempore, in modum Crucis, primum in ſuprema parte, ſecundum in media, tertium in infima, quartum in dextera, & quintum in ſiniſtra ipſius cerei (& ſi opus fuerit utetur Scamno) Et Crux Populum reſpiciat. Quando cereus eſt accendendus, Diaconus illum accendit cum una ex tribus candelis in Arundine poſitis. Cum accendendæ ſunt lampades Diaconus paululum ceſſat à

cantu

cantu, & Accolythus cum parva candela accenſa ex candelis Arundinis accendit lampades Altaris Majoris; Sacriſta verò accendit alias lampades, quæ ſunt in Eccleſia de eodem Igne Benedicto.

Si Sedens Papalis vacans erit, illa verba *Beatiſſimo Papa noſtro N.* omittuntur; Si Epiſcopus fuerit vita functus, non dicuntur illa verba, *Et Antiſtite noſtro N.* Ne erret in nomine Imperatoris illud in Schedula notatum habebit, qui ſi non eſt Coronatus dicat: *Electum Imperatorem noſtrum N.* Et ſi eſt vita functus loco *Imperatorem noſtrum N.* dicatur *Imperium noſtrum.* Deinde addatur nomen Regis, ſeù Ducis, in cujus juriſdictione Celebratur, ſubinferens. *Nec non ad Catholicum Regem noſtrum N.* ſi ſit intra Dominium Regis Hiſpaniarum; Vel *ad Chriſtianiſſimum Regem noſtrum N.* ſi eſt in Galliæ Regno. Vel *ad Archiducem*, vel *Magnum Ducem*, ſeù *Sereniſſimum Ducem*, ſi in eorum juriſdictionibus Celebretur, ſubdens: *Quorum tu Deus &c.* concludens *in fine cum omni Populo ſuo*.

De Prophetiis, & Litaniis.

COmpleto Præconio Diaconus claudit Miſſale, & præcedentibus Miniſtris, pergit ad Altare, ubi facta cum aliis genuflexione, præcedente Thuriferario vadit ad Sacriſtiam, & depoſitis Paramentis albis induitur violaceis, ſcilicet Manipulo, Stola, & Planeta ante pectus plicata, & revertitur cum Thuriferario ad Celebrantem. Interim Subdiaconus deponit Crucem à parte Evangelii, ita ut parieti hæreat, & vadit ad Altare: Accolythus tenens Arundinem eam figit pedi Marmoreo in cornu Epiſtolæ præparato, contrà cereum exiſtente ſuper Candelabrum magnum à parte Evangelii. Dum hæc peraguntur Celebrans adjuvantibus Miniſtris exuitur Pluviali, & induitur Manipulo, & Planeta coloris violacei.

Interim in medio Chori erit legile nudum cum Miſſali, ubi canantur omnes Prophetiæ ſine titulo, voce quidem ſonora, ſed expeditè, non inflectendo vocem in fine, ſed tantum ultima verba protrahendo. Primas Prophetias canent Minores; & ultimas Majores, manibus extenſis ſuper librum poſitis, & ſi neceſſitas cogit, unus plures legere poterit. Expleta prima Prophetia Lector genuflectit ibidem ante legile, donec Subdiaconus dixerit *Levate*, idque obſervabitur ab aliis, quando poſt Prophetiam non ſequitur tractus, ſed dicitur: *Flectamus genua*.

Celebrans aſſiſtente Diacono à dexteris ejus, & Subdiacono à dexteris Diaconi legit ſubmiſſa voce, Prophetias, & tractus ad Altare in cornu Epiſtolæ, ubi ſemper manebit uſque ad cantatam ultimam Prophetiam, cantat: *Oremus*, & Diaconus ſtans poſt ejus terga canit; *Flectamus genua* (Ultima tantum Prophetia excepta, in cujus fine dicitur *Oremus*, non autem *Flectamus genua*) reſpondente Subdiacono: *Levate*: Celebrans manibus extenſis cantat ſingulas Orationes poſt Prophetias, Choro non genuflectente; Tractus, qui canitur poſt Prophetias ſemper dicitur more ſolito, & ordinario numquam inflectendo vocem.

Dum canitur ultima Prophetia, Accolythi extendunt pannum violaceum, ſeù tapete ante Altare in plano, ità ut infimum Altaris gradum cooperiat, ſuper quem gradum ponuntur tres pulvini violacei. Finita ultima Prophetia, cum ſua Oratione, Celebrans Diaconus, & Subdiaconus deſcendunt ante Credentiam, & deponunt Planetas, adjuvantibus Miniſtris, & ante Altare Celebrans medius inter Diaconum à dexteris, & Subdiaconum à ſiniſtris procumbit, & proſternit ſe cum illis, ut in præcedenti feria. Deinde Accolythi genuflectunt; Interea cantantur Litaniæ Sanctorum in medio Chori à duobus Cantoribus genuflexis, utroque Choro genuflexo idem ſimul repetentes ℣. *Peccatores* uſque in finem tardiori

diori voce cantetur, ut functiones omnes ſuo Tempore fieri poſſint.

Cum perventum fuerit ad ℣. *Peccatores.* Celebrans, & Miniſtri ſurgunt, & factis debitis reverentiis Altari, procedunt unus poſt alium ad Sacriſtiam, ubi depoſitis veſtibus violaceis induuntur Albis pro Miſſa Solemni. Interim Accolythi removebunt pannum violaceum, & Cuſſinos, accendent omnia Luminaria in Altari, & alia duo ab ipſis deferenda, Sacriſta removet Antennam exiſtentem ante Imaginem Altaris, & ejus Pallium violaceum, albo Pallio remanente; Thuriferarius imponet in Thuribulo carbones ignitos.

Cum in fine Litanyarum cantatus fuerit ℣. *Chriſte exaudi nos*, ceſſat cantus, & ſurgunt Omnes de Choro, & Canitur ſolemniter: *Kyrie eleyſon &c.* more ſolito ter ſingula alternatim, & lentè, ſeu tardè repetendo, ut Celebrans commodè incenſare poſſit Altare, primo Choro inchoante, ſicuti in Miſſa mos eſt.

De Miſſa, & Veſperis Solemnibus.

VEſtibus Albis Celebrans, & Miniſtri induti, procedunt more ſolito ad Altare, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Accolythis cum Candelabris accenſis. Antè gradus Altaris in plano Celebrans incipit Miſſam more ſolito, & ordinario, & dicto Pſalmo: *Judica me Deus &c.* cum *Gloria Patri &c.* facit Confeſſionem, ut mos eſt, deinde aſcendens ac dicens Orationes oſculatur Altare, & facta benedictione Incenſi, illud incenſat more ſolito, & Diaconus in cornu Epiſtolæ triplici ductu Celebrantem Thurificat. Introitus non dicitur, ſed Celebrans in cornu Epiſtolæ ſimul cum Miniſtris voce ſubmiſſa alternatim dicet: *Kyrie eleyſon* more ſolito.

Quibus à Choro expletis Celebrans ſtans in medio intonat ſolemniter Hymnum *Gloria in Excelſis Deo*; & tunc pulſantur omnes Campanæ in Eccleſia, & in Cam-

panili, ſi Campanæ Cathedralis, ſeu Matricis Eccleſiæ pulſatæ fuerint: Si enim pulſatæ non erunt, pulſentur ſolum Campanæ in Eccleſia, & poſtea ſimul cum Cathedralibus Campanis pulſentur Campanę Majores in Campanili, quia hodierna die antequam pulſentur Campanæ Cathedralis aliæ Campanę pulſari non poſſunt ex Conſtitutione Concilii Lateranenſis ſub Leone X.

Dum canitur *Gloria in Excelſis &c.* deteguntur omnes Imagines: Ad Orationem, quæ dicitur ante Epiſtolam, & in fine Miſſæ Chorus non genuflectit. Cantata Epiſtola, & deoſculata à Subdiacono Celebrantis manu, Celebrans in cornu Epiſtolæ facie ad Altare verſa canit; *Alleluja* tribus vicibus elevando ſemper vocem gradatim, Choro poſt quamlibet vicem illud replicante in eodem Celebrantis tono. Poſtea Chorus canit ℣. *Confitemini Domino &c.* & Tractus: *Laudate Dominum &c.* Interim Celebrans dicit in medio: *Munda cor meum &c.* Legit Evangelium more ſolito à parte Evangelii benedicit Incenſum, Diacono naviculam miniſtrante, qui dicit: *Munda cor meum &c. Jube Domne Benedicere &c.* Et accepta Benedictione oſculatur Celebrantis Manum. Ad Evangelium non deferuntur Luminaria, aſſiſtunt tamen Accolythi ſine Candelabris, medium habentes Subdiaconum, Diaconus in principio incenſat Miſſale, & in fine Celebrantem oſculato Miſſali.

Credo non dicitur, ſed à Celebrante dicto: *Dominus Vobiſcum*, Subdiaconus defert ad Altare Calicem habentem deſuper Burſam, Celebrans dicit: *Oremus*; ſed Offertorium non dicitur, facta Oblatione benedicitur incenſum, & Thurificantur Oblata, Altare, Celebrans, & alii more ſolito. Ad *Lavabo* dicitur *Gloria Patri*. Præfatio dicitur de reſurrectione, in qua dicitur, *Sed in hac potiſſimum nocte*; Dicitur: *Pax Domini &c.* Sed non datur Oſculum Pacis, neque dicitur: *Agnus Dei*, neque Poſtcommunio, dicuntur tamen tres conſuetæ Orationes ante Communionem.

Sump-

Sumpto à Celebrante Sanguine, Cantor præintonat digniori in Choro Antiphonam *Alleluja*, qua abſolutè intonata, Chorus proſequitur: *Alleluja Alleluja*, & canitur Pſalmus. *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* cum ℣. *Gloria Patri &c.* more ſolito, & repetitur eadem Antiphona, Celebrans ſumpta Purificatione, dicit cum Miniſtris in cornu Epiſtolæ voce ſubmiſſa Antiphonam, & Pſalmum, & repetita Antiphona à Choro, Celebrans ſtans ibidem intonat Antiphonam: *Veſpere autem Sabbati &c.* Et Chorus eam proſequitur, & cantat Canticum: *Magnificat &c.* cum ℣. *Gloria Patri &c.* Celebrans verò voce ſubmiſſa complet Anthiponam cum Miniſtris, & imponit Thus in Thuribulum, & benedicit, & Thurificato Altari more ſolito, Diaconus ter incenſat Celebrātem ſtantem ſuper Bradellam in cornu Epiſtolæ; deinde Thurificat Chorū, & rediens ad Altare Thurificat duplici ductu Subdiaconum, poſtea Thuriferarius accipit Thuribulum à Diacono, & illum duplici ſimiliter ductu incenſat: & deinde incenſat Accolythos, & Populum.

Interim Celebrans dicit ſubmiſſa voce canticum *Magnificat &c.* Repetita à Choro Antiphona: Celebrans oſculato Altari in medio converſus ad populum canit: *Dominus vobiſcum*, & in cornu Epiſtolæ cantat Orationem *Spiritum nobis &c.* & iterum *Dominus vobiſcum*. Diaconus ad Populum verſus canit: *Ite Miſſa eſt Alleluja, Alleluja*, reſpondente Choro: *Deo Gratias Alleluja, Alleluja*. Dicto à Celebrante: *Placeat tibi &c.* dataque Benedictione, & finito Evangelio Sancti Joann: *In Principio &c.* Ad Sacriſtiam ordine, quo venerant, revertuntur, poſtea extinguuntur cerei Altaris, & Trianguli, ac etiam cereus Paſchalis. Arundo cum candelis Trianguli defertur ſtatim ad Sacriſtiam, quia illæ candelę amplius non accenduntur.

Sacriſta, ſeu alius Sacerdos ſuperpelliceo Indutus, Stola, Alba, & Velo longo, præcedentibus quatuor ſaltem Fratribus cum intorticiis accenſis, accipit Pixidem Sanctiſſimi

ctiſſimi Sacramenti à loco, in quo repóſita erat, & ad Tabernaculum reportat.

De Feſto Paſchæ Reſurrectionis, & Tempore Paſchali. Cap. XV.

PAſcha Græcum eſt Nomen, quod Hæbraicè dicitus Phaſe, & Latinè tranſitus interpretatur, eo quod Populus Dei ex Ægypto fugiens poſt tranſitum Maris rubri occiſo Agno Paſcha celebravit, & quod figuraliter geſtum eſt in Veteri Teſtamento, completum eſt veraciter in Chriſto Jeſu, qui ſicut Ovis ad Occiſionem ductus, ejus Sanguine tamquam à captivitate Ægyptiaca liberamur.

Hac Nocte canuntur ſolemniter Matutinum, & Laudes cum Pluviali albo, *ut habetur lib.2. Capite de Matutino Solemni*; Antiphona: *Hæc Dies &c.* Intonatur à Celebrante, quoties ipſe eſt Pluviali indutus, ſecus autem à duos Cantoribus in medio proſequente Choro. Dum canitur Canticum: *Benedictus Dominus &c.* Incenſatur Altare, & Chorus: In fine canitur: *Benedicamus Domino*, cum duplici *Alleluja*. Reſpondente Choro: *Deo gratias Alleluja, Alleluja*. Et ſimiliter dicitur, Ad Veſperas per totam Octavam, non autem ad alias Horas. Ad Primam dum Lector legit Martyrologium, omnes de Choro ſtent nudo capite, dum dicitur in tono altiori. *Hæc dies*, & pronuntiatur Feſtum Paſchæ deinde ſedent, quando pronunciantur *Kalendæ*. In Dominica Reſurrectionis, & duobus diebus ſequentibus Officium eſt duplex primę Claſſis, ideo de feſto ſimplici occurrente nulla fit commemoratio. Miſſæ, & Officia toto Tempore Paſchali celebrantur prout in Miſſali, & Breviario continetur.

Cereus Paſchalis die, ac nocte ſemper manere debet ſuper Candelabrum à parte Evangelii, & ardere in mane ad Officium, & ad Miſſam Sabbati Sancti. In die Paſ-

chæ ad totum Matutinum, & Laudes, Ad Miſſam Solemnem, & ad Veſperas; duobus verò ſequentibus diebus, ac etiam in Dominicis, & Feſtivitatibus Tempore Paſchali occurrentibus, in quibus Miſſa, & Veſperę Solemniter celebrantur, ad totam Miſſam Solemnem, & Veſperas ardebit; In die autem Aſcenſionis Domini cantato Evangelio extinguitur, nec ulterius accenditur.

Officium parvum Beatæ Virginis Mariæ dicitur ſicut ante Adventum nihil penitus addendo, nec diminuendo (Excepta ſolum Antiphona ad *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, quæ erit *Regina Cœli &c.*

Officium Sanctiſſimi Sacramenti in quintis feriis non impeditis feſto novem Lectionum, hoc tempore dicitur.

Ad ſignum Salutationis Angelicæ dicitur *Angelus Domini &c.* ſed non genuflectitur.

De Aſcenſione Domini, & de Vigilia, ac Feſtis Pentecoſtes, & Sanctiſſimæ Trinitatis. Cap. XVI.

AScenſionis Dominicæ Solemnitas Quadrageſima die poſt Paſcha Reſurrectionis fuit ab Apoſtolis inſtituta; quia eadem die poſt Mundi Victoriam, & poſt Inferni regreſſum, Chriſtum ad Cœlos viſibiliter aſcendiſſe memoratur, ſicut ſcriptum eſt Pſalmo 67. *Aſcendens in altum captivam duxit Captivitatem, dedit dona hominibus.*

Primæ Veſperæ, & Matutinum abſque Pluviali cani poſſunt, Miſſa verò, & ſecundæ Veſperæ ſaltem cum Veſtibus Sacris ſolemniter cani debent: Et cantato Evangelio ſtatim extinguitur Cereus Paſchalis, qui amplius non accenditur, & completa Miſſa aſportatur in Sacriſtiam. Ad Horam primam Lector pronunciatis Lunę diebus annunciabit Feſtum Pentecoſtes dicens: *Dies Pentecoſtes, quando Spiritus Sanctus &c.* prout habetur in Martyrologio.

Ab

Ab hac Vigilia incluſivè, uſque ad Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis incluſivè, non poteſt fieri Officium de aliquo Sancto duplici, etiam primæ Claſſis, nec poſſunt dici Miſſæ votivæ, neque Defunctorum, niſi in die obitus, & depoſitionis Defuncti, præſente tamen corpore Defuncti, prout habetur lib.3.

Si ante Feſtum Pentecoſtes ſit Officium alicujus Octavæ, tunc adveniente Vigilia Pentecoſtes nihil amplius fit dè Octava.

In primis Veſperis, Prælatus, qui officium faciet, induetur Pluviali rubei coloris, ſicut etiam ad Matutinum, quod cum Laudibus ſolemniter cantabitur, prout *habetur in lib.2. cap.de Matut. Solemni*: In Dominica Pentecoſtes, in qua Veſperæ etiam ſolemniter cum Pluviali, ſicut & in duobus diebus immediatè ſequentibus canuntur, Officium eſt duplex primæ Claſſis, ideoque de Feſto ſimplici nulla fit Commemoratio in his tribus diebus.

Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ſecundæ Claſſis, ideo ſolemniter Celebratur, & quia hæc Dominica eſt primæ Claſſis numquam omittitur: A primis Veſperis hujus Feſtivitatis incipit tempus, quod dicitur poſt Pentecoſten, & uſque ad Veſperas Sabbati ante primam Dominicam Adventus durat.

Extrà Tempus Paſchale, quamvis in aliquibus Feſtis ad horam Tertiam, Sextam, & Nonam Reſponſoriis brevibus addantur *Alleluja*: non ideo adduntur ad horam primam, & Completorium.

De Feſtivitate, & Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti. Cap. XVII.

Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quod Feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes in univerſali Eccleſia ſolemniter celebratur, ab Urbano IV. Summo Pontifice inſtitutum fuit.

Altare Majus ornabitur, ut in Oratione quadraginta

Ho-

Horarum. Poſt primas Veſperas, quæ abſque Pluviali canuntur dicitur Completorium; Hora vigeſimaſecunda canitur ſolemniter Matutinum, non tamen Laudes, niſi à Capitulo, & non exponitur Sanctiſſimum Sacramentum.

Pro Miſſa, & Proceſſione Solemni, quæ hac die fieri non debet, ſed altera infra Octavam, ponantur ſuper Patenam Calicis duæ Hoſtiæ conſecrandæ; deferatur ad Abacum Tabernaculum geſtatorium, & Crux Proceſſionalis ſit à parte Evangelii, deindè ſuper Credentiam erunt duo Thuribula, & una Navicula cum incenſo, & Cochleari, ac velum album longum ponendum ſuper Humeros Celebrantis. Præparentur etiam intorticia, & candelæ albæ in numero ſufficienti, & Baldachinum album in Proceſſione deferendum.

Sumpto à Celebrante Sanguine, Subdiaconus defert à Credentia Tabernaculum geſtatorium, & Diaconus illud aperit, & Celebrans ante Purificationem, facta ſimul cum Miniſtris genuflexione, accipit hoſtiam Conſecratam, eamque intra mediam Lunulam argenteam, vel auream ponit, & intra Tabernaculum geſtatorium ita collocat, ut per vitreum, ſeu Chriſtallum, quo ipſum Tabernaculum circumſeptum eſſe debet, exterius adorantibus appareat, Diaconus claudit Tabernaculum, illudque collocat ſuper Corporale in medio, donec auferatur ab Altari; Sumpta à Celebrante purificatione, Sacriſta diſtribuet Fratribus, & Sæcularibus candelas, & intorticia. Celebrans proſequitur Miſſam faciens genuflexionem, ut dictum eſt in libro Tertio. Diaconus ſtans à parte Evangelii converſus ad Populum canit. *Ite Miſſa eſt*.

Finita Miſſa Celebrans, & Miniſtri facta Sanctiſſimo Sacramento genuflexione, deſcendunt ante Infimum Altaris gradum, & in medio iterum genuflectunt, & propè Credentiam Celebrans adjuvantibus Miniſtris de-

ponit Caſulam, & Manipulum, & induitur Pluviali albo, Diacono cum Dalmatica, & Subdiacono cum Tunicella remanentibus, ſine Manipulis.

Sed ſi Miſſa propter Impedimentum publicæ Proceſſionis non ſolemniter Celebratur, dicta Miſſa privata, Celebrans, & Miniſtri, ut dictum eſt, pergunt ad Altare, Celebrans medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, præcedentibus duobus Thuriferariis, & Accolythis cum candelis accenſis, ante infimum Altaris gradum genuflectunt, & ſurgunt. Celebrans paulo retrocedens ſtans imponit incenſum in duobus Thuribulis ſine Benedictione, & ſine oſculis, miniſtrante Diacono Naviculam, & accepto uno Thuribulo à Diacono Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu Thurificat, prout habetur in principio Proceſſionis Ferię 5. Cęnæ Domini, & impoſito à Subdiacono ſibi velo, accipit adhuc genuflexus à Diacono Tabernaculum geſtatorium, ſiniſtra ſcilicet Pedem, & dextera nodum, & Sanctiſſimum Sacramentum ante faciem tenens vertit ſe ad Populum.

Cantores intonant Hymnum: *Pange lingua Glorioſi*, quem Fratres alternatim proſequuntur, & ſi longior eſt Proceſſio canuntur alii Hymni, ſcilicet: *Sacris ſolemniis &c. Verbum ſupernum &c.* prout habetur in Rituali Romano, & Ordinario Precum &c. Campanæ à principio Proceſſionis uſque ad Finem ſolemniter pulſantur.

Alius Subdiaconus Alba, & Tunicella indutus, medius inter Accolythos ferentes candelabra accenſa, deferet Crucem proceſſionalem, Fratres bini nudo capite, candelas accenſas tenebunt, & ſaltem quatuor intorticia poſtea ſequuntur, duo Thuriferarii incedentes facie quaſi ad Invicem verſa, & inceſſanter Sanctiſſimum Sacramentum incenſantes, & ſi opus fuerit incenſum in Thuribulis ponentes. Ultimus omnium procedit Celebrans capite diſcooperto, medius inter Miniſtros ſub

Bal-

Baldachino Sanctiſſimum Sacramentum ante faciem deferens, illud ſemper intuens, Imagine Hoſtiæ Sacræ ſemper ad Populum converſa, Hymnos, & Pſalmos cum Miniſtris ſubmiſſa voce recitando. Reliqua fient, ut in Proceſſione Feriæ Quintæ Cœnæ Domini.

Finita Proceſſione, cum omnes ad Altare redierint, ſerventur, quæ dicta ſunt in Fine Proceſſionis Feriæ ſextæ in Paraſceve: Dum Celebrans genuflexus Sanctiſſimum Sacramentum Thurificat, ſequentem Hymni partem intonantibus Cantoribus Chorus cantabit: *Tantum ergo Sacramentum &c.* uſque ad Finem: Poſtea Cantores canunt. ℣. *Panem de Cęlo præſtitiſti eis allel.* ℟. *Omne delectamentum in ſe habentem Alleluja.* Deinde Celebrans ſurgens canit Orationem: *Deus, qui nobis ſub Sacramento &c.* Miniſtris hinc inde genuflexis librum apertum ſuſtinentibus. Poſtea Celebrans ſolus aſcendit ad Altare, genuflectit, ambabus manibus Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento accipit, ita ut Imago Hoſtię ſit ad Populum verſa, & cum Sanctiſſimo Sacramento ſemel ſignum Crucis ſuper Populum facit nihil dicens, & perficiens circulum illud ſuper Altare ponit, & facta genuflexione, deſcendit antè ſupremum gradum, ibique genuflexus expectat, donec reponatur Sanctiſſimum Sacramentum. Hic modus benedicendi ſervatur etiam in aliis Proceſſionibus faciendis cum Sanctiſſimo Sacramento.

Diaconus habita Benedictione ſurgit, aſcendit ad Altare, & facta genuflexione locabit Sanctiſſimum Sacramentum intra Tabernaculum; & tunc candelę, & intorticia intra Cancellos, à Patribus, & Fratribus extinguantur.

Infra Octavam Sanctiſſimi Sacramenti poſt Veſperas ſtatim dicitur Completorium, in cujus fine canitur Antiphona: *Salve Regina &c.* Ante Matutinum per mediam Horam fit Oratio Mentalis, & Hora vigeſima ſe-

cunda incipitur Matutinum ; cujus Invitatorium , & Hymnus, ac etiam à Capitulo uſque ad finem canuntur.

Antequam verò Matutinum dicatur SS.Sacramentum ſuper Altare exponatur, & Fratres in Choro exiſtentes, ſi illud vident, nec ſedeant, nec capita tegant ob Reverentiam SS. Sacramenti. Dum pulſatur ad Matutinum Hebdomadarius ſimul cum tribus Accolythis ad Sacriſtiam accedit, ibique veſtibus Sacris, nempe crepidis calceatus, ſuperpelliceo, & Stola Alba ſe induit, & præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo fumigante, & Accolythis cum Candelabris accenſis, junctis manibus pergit ad Altare, facit genuflexionem, aperit Oſtiolum Sanctiſſimi Sacramenti, extrahit ab illo cum debitis reverentiis Tabernaculum geſtatorium cum Sanctiſſimo Sacramento, quod ponit in Altari ſuper Corporale genuflectit, & in plano ſtans ponit incenſum in Thuribulo abſque benedictione, poſtea genibus flexis, factaque prius, ac poſtea profunda inclinatione Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu incenſat, & in loco apto, & Convenienti reponit. Interim canitur à Choro *Tantum ergo Sacramentum uſque ad Amen*, quo finito Sacerdos, & Miniſtri aliquantulum orant, & diſcedunt.

In fine autem Matutini, Sacerdos cum Accolythis accedit ad Sacriſtiam, pergit ad Altare, Sacramentum, ut ſupra incenſat, & finito verſ. *Panem de Cœlo &c.* dicit *Orationem*, abſque *Dominus Vobiſcum*, benedicit Sacramento Populum, illudque intra Tabernaculum Magnum reponit, & factis debitis reverentiis ſimul cum Accolythis diſcedit.

Die Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti poſt Veſperas, vel Completorium fieri poteſt Proceſſio per Eccleſiam, vel etiam per Ambitum ejus, eo modo, & ordine, ut in die infra Octavam Solemnitatis. Sed ſi aliqua de cauſa non eſt facienda Proceſſio, tunc Sacerdos Pluviali

viali indutus cum Accolythis, & Thuriferario procedit ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, Fratribus circumcirca ſtantibus cum candelis accenſis, & facta parum Oratione ponit incenſum in Thuribulo, & incenſat Sanctiſſimum Sacramentum cantantibus Fratribus: *Tantum ergo Sacramentum &c.* uſque ad finem Hymni. Deinde canitur verſ. *Panem de Cœlo*. Celebrans ſurgit, & canit Orationem, ut ſupra, Miniſtris genuflexis librum tenentibus, qua finita accipit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, & benedicit Populum, ut ſupra, deinde reponit Sacramentum intra Tabernaculum magnum,& Clave Oſtiolum Claudit.

Poſtridie Celebrans in eodem Altari Hoſtiam Sacram, quæ fuerat ſuper Altare expoſita, in Miſſa poſt ſumptionem Hoſtiæ tunc conſecratę, aſſumet, & nullo modo Populo ſumendam tradet, & ne intra Lunulam aliquod fragmentum remaneat, eam vino purificabit, & Purificatorio abſterget, Ablutionem autem ſumet, vel in Sacrarii Piſcinam projiciet. In Conventu vero Jeſu Mariæ de Urbe Proceſſio Solemnis fiet in die Dominico infra octavam poſt Veſperas, ut laudabiliter multis ab hinc omnis practicatur &c.

De Solemnitate S. P. N. Auguſtini, & Sancti Nicolai de Tolentino ejuſque Panis Benedictione. Cap. XVIII.

FEſtivitas S. P. N. Auguſtini ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava celebratur, quia eſt totius noſtræ Religionis Pater, & Patronus, & ideo Vicarius Generalis in tota congregatione, vel Provincialis in ſua Provincia ubicumque erit, hac die Solemniter Celebrabit. Primæ Veſperæ, etiam ſi non fuerit Titulus Eccleſiæ, cum Pluviali cantentur, cum maxima Omnium Feſtivitas in Ordine ſit, & etiam, quia primę Veſ- *Biſſ. lit. V. n. 32. §. 1.*

Veſperæ nobiliores ſunt ſecundis, ob quam Cauſam ſolemnius antiquitus Celebrabantur, & etiam in Capella, Pontificia majori Solemnitate Celebrantur; Matutinum etiam, & ſecundæ Veſperæ ſolemniter cum Pluviali.

Amalar. de Ordin. antiphon. c. 16.

Feſtum S. Nicolai de Tolentino eſt duplex ſecundæ Claſſis, & ideo ad ejus primas Veſperas, & ad Matutinum nulla fit Commemor. de octava Nativitatis B. Virginis Mariæ. In fine Hymnorum dicitur: *Jeſu tibi ſit Gloria, qui natus es de Virgine &c.* ſi Hymni ſunt Ejuſdem metri, licet Feſtum S. Nicolai ſit primæ Claſſis in propria Eccleſia, nullaque fiat Commemoratio de Nativitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

De Benedictione Panis S. Nicolai.

DUm canitur Hora Tertia Thuriferarius defert ad Credentiam vas cum Aqua Benedicta,& Aſperſorio, & in Altari Miſſale à parte Epiſtolæ, ſubtus habens Cuſſinum violaceum, præparabit etiam alia neceſſaria pro Miſſa Solemni. Accolythi accendunt Cereos in Altari, & in Candelabris ab ipſis deferendis. Sacriſta in fine defert Panes benedicendos ſuper Credentiam, & cooperit Altare Pallio violaceo,quod removetur, dum Celebrans, & Miniſtri violacea veſtimenta deponunt, & induuntur albis pro Miſſa Solemni.

Finita Tertia Superior amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo indutus, unà cum Diacono Dalmatica, & Subdiacono Tunicella ejuſdem coloris violacei indutis ſine Manipulis,habente Diacono ſub Dalmatica Stolam ab humero ſiniſtro pendentem procedit ad Altare, hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum Thuribulo, & incenſo, ſequuntur Ceroferarii cum Candelabris accenſis, medium Subdiaconum Crucem deferentem habentibus, poſtea Fratres omnes bini, bini, manibus

bus intra manicas jũctis, oculis demiſſis, & in Choros diſtinctis Hymnum; *Te canunt omnes* prout in Ordinario precum cantantibus, ultimo Sacerdos cum Diacono à ſiniſtris.

Statim ac Celebrans, & alii pervenerint ante gradus Altaris, facta ibi debita reverentia, & ſi eſt dies Dominicus Aſperſione aquæ benedictæ completa, dictaque Oratione: *Exaudi nos Domine &c.* aſcendit ad Altare, & illud in medio oſculatur, Subdiaconus accepto ab Acolytho libro, factiſque debitis genuflexionibus in medio, cantat Epiſtolam in loco ſolito ante infimum gradum. Interim Celebrans aſſiſtente Diacono à dexteris ejus, legit in cornu Epiſtolæ ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Reſponſorium, ibique finita Epiſtola dat benedictionem Subdiacono, deoſculata prius ejus manu, poſtea Subdiaconus dat librum Diacono, & Celebrans more ſolito dicit: *Munda cor meum &c.* & *Jube Domne &c.* & legit Submiſſa voce Evangelium, Subdiacono ſibi aſſiſtente. Interim Chorus canit magna Pauſa, longaque reſpiratione ℟. *Reſpexit Elias &c.*

Dum canitur ℟. Diaconus defert librum ſuper Altare Celebrans lecto Evangelio, miniſtrante Diacono cum oſculis naviculam, & Thuriferario, Thuribulum, ponit incenſum in Thuribulo, & benedicit. Diaconus dicto: *Munda cor meum &c.* accipit librum, & petit benedictionem dicendo: *Jube Domne &c.* Celebrans in medio dat ei Benedictionem dicens: *Dominus ſit in corde tuo &c.* Diaconus canit Evangelium in loco ordinario ſignando, & incenſando librum more ſolito; Subdiacono librum inter Accolythos cum Candelabris accenſis tenente.

Finito Evangelio Subdiaconus defert Librum oſculandum Celebranti, & Diaconus à Thuriferario accepto Thuribulo, & ad medium Altaris pergens, ibique in plano ante ejus infimum gradum ſiſtens, illum incenſat, *Biſs. lit. D.*

Sa-

Subdiaconus deponit librum, & Celebrans ſtans in eadem parte Epiſtolæ facie ad Altare verſa, medius inter Diaconum à dexteris, & Subdiaconum à ſiniſtris canit manibus junctis: *Dominus Vobiſcum*; *Oremus*, & quinque Orationes in Miſſali Religionis aſſignatas.

Completis Orationibus, Celebrans miniſtrante Diacono cum oſculis naviculam, ponit incenſum in Thuribulum, & benedicit more ſolito, & accepto cum oſculis de manu Diaconi Aſperſorio, ter aſpergit panes aqua benedicta dicens ſubmiſſa voce Antiphonam; *Aſperges me &c.* ſine Pſalmo, & accepto ab eodem Diacono Thuribulo, ter ſimiliter eos Thurificat, Diacono fimbriam Pluvialis elevante.

Dum fit Diſtributio panis canitur à Fratribus Hymnus: *Laudibus Summis &c.* qui quidem Hymnus pluries replicari poteſt. In fine Benedictionis canitur à Choro intonantibus Cantoribus Antiphonam: *Nicolaus &c.* Poſtea Celebrans dicit *Orationem*. Cætera autem, quæ hic deſcripta non ſunt, continentur perfectè in Candelarum, & Palmarum Benedictione.

Miſſa canitur ſolemniter cum veſtimentis albis abſque commemoratione Octavæ Nativitatis B. Mariæ, & dicitur *Credo*, & Præfatio de B. Virgine licet feſtum S. Nicolai ſit primæ, vel ſecundæ Claſſis.

In propria Eccleſia S. Nicolai fit Officium de Octava S. Nicolai; cum Commemoratione Octavæ Nativitatis B. Mariæ, & ideo ſecunda die infra Octavam S. Nicolai Lectiones primi Nocturni erunt de *Scriptura*. Lectiones ſecundi Nocturni erunt illæ, quæ habentur in commemoratione Sancti Nicolai, *Beatus Nicolaus &c.* Lectiones tertii Nocturni habentur ibidem de Homilia Sancti Patris N. Auguſtini. *Sunt ergò quidam*: Nona Lectio legitur de Sanctis *Protho*, *& Hyacinto*. Tertia die Lectiones primi Nocturni *De Scriptura* Lectiones ſecundi Nocturni habentur ibidem: *Cæterum jàm indè.*

Le-

Lection.tertii Nocturni. Homilia S.P.N. Auguſtini *Faciunt hoc multi*. In Miſſa Tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Quarta die Lectiones primi Nocturni *De Scriptura* Lectiones ſecundi Nocturni habentur ibidem *Cum verò inculpati*. Lectiones tertii Nocturni Hom. S.P.N. Auguſtini *De terra ergò ſuſcitatus*. Quinta die feſtum Exaltationis S. Crucis, duplex. Sexta die Octava Nativitatis Beatę Marię Virginis Duplex. Septima die fit Officium de Octava, prout habetur in Breviar. ſeptima die infrà Octavam S. Nicolai. Octava die fit Officium Octavæ S. Nicolai, Duplex, Lectiones habentur propriæ.

De Commemorationis Die omnium Fidelium Defunctorum. Cap. XIX.

SAnctus Odilio Abbas Cluniacenſis Ordinis S. Benedicti, comperiens quod apud Vulcanum Siciliæ, crebræ voces, & ululatus Dæmonum audiebantur Plangentium, pro eo, quod Animæ Defunctorum, per eleemoſynas, & Orationes de eorum manibus eripiebantur, ordinavit in ſuis Monaſteriis, ut poſt feſtum Omnium Sanctorum fieret Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, quod poſtea fuit à tota Eccleſia approbatum, & acceptatum.

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, quæ eſt dies ſecunda Novembris (niſi fuerit Dominica) Officium Defunctorum ſolemniter celebrabitur; nam completis ſecundis Veſperis Solemnibus Omnium Sanctorum, dictoque *Benedicamus Domino*, Celebrans cum Miniſtris pergit ad Sacriſtiam, ubi depoſito Pluviali albo, cum ſua Stola, accipit nigrum, Accolythi ablatis cereis albis, ſex cereos ceræ communis ſuper Altare, & in Candelabris ab ipſis deferendis accendunt. Interim Sacriſta Pallium nigrum ponit ante Altare, & Conopæum album à Tabernaculo removet, violaceo Conopæo relicto; In medio Eccleſiæ collocabit

Lecticam Mortuorum, Panno nigro coopertam, quæ deſuper Crucis Imaginem habere debet, & circumcirca Candelabra cum cereis ceræ communis accenſis ad totum Officium, ac Miſſam Solemnem, & abſolutionem ad tumulum. Celebrans cum Miniſtris procedit ad Chorum, & canuntur Solemniter Veſperæ Defunctorum, *ut habetur lib*. 2. Interim campanæ ſono funebri tribus vicibus pulſantur.

Finitis Veſperis Celebrans cum Miniſtris revertitur ad Sacriſtiam, & deponit Veſtimenta Sacra. In Choro dicitur Completorium, pallio nigro ab Altari remoto. Matutinum Defunctorum canitur die ſequenti mane hora Orationis mentalis, & diſtribuuntur Antiphonæ, & Lectiones, exiſtente pallio nigro in Altari.

Miſsę privatę omnes erunt pro Defunctis excepta prima, quæ dicitur de Officio diei. Finita hora nona canitur ſolemniter Miſſa pro Defunctis, ut habetur lib. 3. Si habendus eſt ſermo habeatur finita Miſſa ſolemni ante abſolutionem, ſedente Celebrante cum Miniſtris propè Credentiam. Vel ſi non habendus eſt Sermo, Celebrans finita Miſſa deponit Caſulam, & Manipulum (& ſi adſint Miniſtri ſacri, ipſi quoque Manipulos deponent) & induitur Pluviali nigro pro abſolutione ad Tumulum, quæ fiet, *ut dictum eſt lib*. 3. Oratio tamen dicitur *Fidelium Deus omnium*, *&c*. quæ dicta eſt in principio Miſſæ.

Si vero Eccleſia habeat plura loca, in quibus facienda ſit abſolutio, primò ante Sepulchrum Fratrum noſtrorum canitur à Choro intonantibus cantoribus ℟. *Credo quod Redemptor meus vivit &c*. prout in Ordinario precum, & cum eo die fiant plures abſolutiones, in ultima tantum cani debet à Cantoribus in fine *Requieſcant in Pace*.

Gavant. p. 4. tit 15. nu. 19. & Bauld. de comm. omn. Fid. Defun. cap. 18. n. 17.

Duo anniverſaria debent à Fratribus noſtris annuatim celebrari in diebus feſto Duplici, vel Dominica non impeditis; Primum poſt feſtum S. Agathæ die 6. Februarii

rii pro Propinquis, & Benefactoribus noſtris; ſecundum fiet poſt Octavam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli die 7. Julii pro Fratribus, & Sororibus noſtris. Quibus diebus dicitur in Choro Officium Defunctorum Duplex cum unà tantum Oratione, prout in Officio Ordinis continetur, canitur ſolemniter Miſſa, & deindè fit abſolutio ad Tumulum.

De Feſto Patroni, vel Titularis Eccleſiæ. Cap. XX.

IN Feſto Principalis Patroni, & Titularis Eccleſiæ, vel loci, ac in die Dedicationis propriæ Eccleſiæ, qui eſt dies Conſecrationis ejus, ac in Anniverſario ejuſdem Dedicationis celebratur Officium ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, & ſi eſt Patronus, vel Titularis loci, hoc eſt Civitatis, vel Oppidi, Feſtum ipſius principale in omnibus Eccleſiis illius loci eo die, & eodem ritu Duplici primæ Claſſis, & cum Octava celebrari debet.

In Patroni, ſeù Titularis Eccleſiæ Feſto Porta principalis Eccleſiæ à parte exteriori ornabitur ramis, & frondibus Virentibus Colligatis, & appenſis. Pavimentum etiã Eccleſiæ frondibus, & Herbis, ac Floribus odoriferis conſpergatur pro locorum conſuetudine, & temporum qualitate. Suprà Portæ ſuperliminare fit Imago Sancti, cujus dies Feſtus agitur, & ſi ea die ſunt ipſi Eccleſiæ conceſſæ Indulgentię appendatur Tabella cum tali Inſcriptione ſuprà Eccleſiæ Portam. Omnia etiam ad Celebrandum neceſſaria ſint nitida, Altariumque omnium paramenta, & ornamenta erunt Pretioſa. Primæ Veſperæ, Matutinum, Miſſa, & ſecundæ Veſperæ ſolemniter, cum pretioſioribus veſtibus Sacris canantur.

CÆREMONIALIS ECCLESIASTICI JUXTA RITUM ROMANUM,

Uſumque Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. P. Auguſtini, Congregationis Italiæ, & Germaniæ:

LIBER QUINTUS.

De Ritu in aliquibus Benedictionibus, ac domeſticis miniſteriis obſervando.

De Benedictionibus in communi. Cap. I.

Benedictionum Inventorem, & auctorem Deum Optimum Maximum fuiſſe traditur: habetur enim Geneſ. 1. quod creatis piſcibus maris, volatilibus Cœli, Beſtiis Terræ, ac primis noſtris Parentibus, benedixit eis dicens: *Creſcite, & multiplicamini &c.* Advertendum tamen eſt, Benedictiones eſſe in triplici differentia, aliæ enim ſunt propriæ Epiſcoporum, quia requirunt Chriſmatis unctionem, cujuſmodi ſunt benedictiones Calicis,& Patenæ. Aliȩ juxta Bullas Leonis IX. & Innocentii VIII. ſunt propriæ Prælatorum, etiam Regularium principale regimen Religionis, Provinciæ, vel Monaſterii habentium, cujuſmodi ſunt benedictiones Pixi-

Pixidis, ſeu Vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia, conſervanda, & deferenda, Eccleſiarum, Oratoriorum, Corporalium, Tobalearum, & linteaminum Altaris &c. aliæ denique, cuique Sacerdoti ſimplici conveniunt, cujuſmodi ſunt benedictio Salis, & Aquæ, Domorum, Animalium &c.

Ritus autem hujuſmodi benedictiones adminiſtrandi diſtinctè, & clarè preſcribitur in Miſſali, & Rituali Romanis,ibiq; cum neceſſe fuerit legi poterunt. Notandum eſt tamen, quod benedictiones omnes, quæ ſiunt ad Altare fiunt adhibito Pluviali ſine Manipulis.

Biſſ. lit. B. n. 50. & lit. P. n. 149.

De ritu ponendi primam Crucem pro Conventu ædificando, eumque cum Fratres primo ingrediuntur, ac in die Circumciſionis Domini benedicendi. Cap. II.

IN Eccleſia Cathedrali,ſeu Matrici præparetur Crux lignea, longitudinis 25. ſeu 30. palmorum prope Altare Majus, cum vaſe aquæ benedictæ, & Aſperſorio, & Thuribulo, & Navicula Incenſi, ac etiam legile. Canitur Miſſa Solemnis de Cruce, cum una tantum Oratione *Gloria in Excelſis*, *& Credo &c.* niſi magna diei ſolemnitas obſtet (finito Evangelio, fit ſermo per aliquem Patrem noſtrum in laudem Crucis; Poſtea Completa Miſſa, Celebrans exuitur Planeta, & Manipulo, & induitur Pluviali coloris violacei, & procedit, cum Miniſtris ad benedicendam Crucem in medio Eccleſiæ propè Altare Majus ſuper tapete, & Cuſſino exiſtentem dicens manibus junctis *Adiutorium noſtrum in nomine Domini &c.* prout in ordinario precum &c.

Cum primo Fratres in aliquam Domum, ſeu Conventum ad habitandum ingredi debent, Sacerdos ſuper pelliceo, & ſtola violacea indutus,procedit cum Accolytho vas aquæ benedictæ deferente ad oſtium Domus, ſeu Conventus, ubi præſentibus aliis Fratribus abſolutè in-

incipit *Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c.* prout in ordinario precum &c.

Supprior Conventus ſumma diligentia procurabit, ut in die Circumciſionis omnes Fratrum Cellæ,& Conventus officinę maxima munditia polleant,& ut aptę,& prōptæ pro benedictione facienda reperiantur. Hora igitur immediatè poſt Veſperas,vel 22. cum dimidia, pulſabitur Campana pro Completorio recitando, & dicto Cantico ℣. *Nunc dimittis &c.* Prior, vel Vicarius Conventus ſimul cum duobus Accolythis pergunt ad Sacriſtiam, ubi lotis manibus veſtibus Sacris,Sacerdos ſcilicet crepidis calceatus ſuperpelliceo, & Stola violacea, Accolythi verò ſuperpelliceis tantum ſe induunt, quorum unus vas cum aqua ſancta, & Aſperſorio à dexteris Sacerdotis alter verò ordinariū precū &c. à ſiniſtris deferant,Interim verò pulſabitur Cāpanula pro benedictione incipienda.

Finitis Veſperis, ſeù Completorio, pergunt omnes ad Sacriſtiam, ibique ordinatim Accolythis mediam Crucem tenentibus, & deindè Juniores in Choros diſtincti conſiſtunt, Sacerdos verò inter Accolythos, ut ſupra ultimo loco poſitus incipit abſolutè benedictionem dicendo: ℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c.* prout in ordinario precum &c.

De ritu, & ordine veſtiendi Novitios, & emittendi profeſſionem. Cap. III.

SI aliquis poſt debitam approbationem, ad quam non admittatur, niſi prius ejus mens, origo, vocationis motivum, & finis per ſex ſaltem menſes exploretur, habitu noſtro fuerit induendus, Teſtibus prævio juramento per Inſtrumentum publicum examinatis, & à Capitulo approbatis, ac etiam juramento de impedimentis ab eo requiſito Supprior, vel Socius Magiſtri Novitiorum præparabit locum, in Oratorio, vel Choro, aut Eccleſia cum tapete,ante gradus Altaris, ſuper

per quod erit ſuper pelliceum, & Stola pro ratione temporis,& ſuper gradus ad partem Evangelii ponet Sedem Prioris, parabit etiam Vaſculum cum aqua benedicta, & Aſperſorio. Magiſter Novitiorum induendum de agendis, & reſpondendis priùs Inſtructum, Sæcularibus veſtibus exui, & Tunica, ac Caputio albi coloris, cum parva corrigia veſtiri, curabit.

Poſteà pulſata Campanula, Fratribus omnibus ad locum præparatum convenientibus Sæcularis induendus præcedente Magiſtro Novitiorum prædictum locum ingreditur, nudis pedibus, cum Sandaliis tamen, tonſo capite, & pileo cooperto, coronaque facta (Si futurus ſit Clericus) pallio Sæculari indutus portans ſuper brachia, veſtes plicatas ſcilicèt Caputium, Corrigiam, Patientiam, & Tunicam, quibus induendus eſt, factaque Capite aperto Altari, & Priori ſimul cum Magiſtro debita reverentia genuflectit ante pedes Prioris ſuperpelliceo induti,& depoſitis ante ſe veſtibus,ſe proſternit, & dato ei à Priore ſigno erigit ſe, & manibus ante pectus junctis remanet genuflexus.

Prior illum interrogat dicens, *Quid petis?* Et induendus reſpondet *Miſericordiam Dei, Crucem Chriſti, & Fratrum Societatem*, Tunc Prior ei declaret, quam magna ſit hujuſmodi petitio, quam felix Religioſorum ſtatus, & quam magna ſit Congregationis noſtræ auſteritas, quatuorque votorum noſtrorum obſervatio &c.

Completo, Sermone Prior, Stolam accipiat interrogat induendum, *An in Congregatione noſtra uſque ad mortem vivere, & firmiter perſeverare intendat*. Et ille reſpondet. *Dei Miſericordia, & Fratrum Orationibus nixus perſeverare potero.* Tunc ſurgentibus omnibus præter induẽdum Prior dicet: *Deus, qui in te cępit opus bonũ, ipſe perficiat, Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen*, & Cætera, quæ in ordinario precum continentur.

Dictis Orationibus, aſperſoque Aqua benedicta à Priore Novitio, adjuvante Magiſtro ſe elevat, & ante Priorem

rem manibus junctis genuflexus conſiſtit, Prior vero ei Nomen, & Cognomen mutabit maximè ſi habuerit nomen Ethnicorum,& ei nomen, & cognomen Sanctorum præſertim ordinis noſtri, ut noſtrorum priſcorum Patrum memoria in dies renovetur, imponet. Deinde Novitius Prioris manu reverenter oſculata, adjuvante Magiſtro elevatur è Terra, & reliquos Patres, & Fratres in Signum Spiritualis dilectionis amplexabitur. Quo facto, Novitius à Priore, Magiſtro aſſignetur inſtruendus juxta regulam,Conſtitutiones,Cæremonias,& obſervantiam noſtræ Congregationis. Deinde dicto à Priore *Sit nomen Domini benedictum*, & reſponſo *Ex hoc nunc, & uſquè in ſeculum*: intonatur à Cantore Pſalmus prout in ordinario precum, & ordinatim omnes diſcedunt.

Completo probationis termino, juramentoque ſuper impedimentis Novitio coram Patribus, dato, ejuſque voluntate perfectè explorata Supprior,vel Socius Magiſtri præparabit omnia, quæ pro induendo Novitio dicta ſunt, & etiam candelam albam. Novitius profeſſionem emiſſurus, procedit ad locum ordinatum eodem habitu albo, ſicut Novitius, excepto pileo, & pallio Sęculari, manibus veſtes nigras defert,ut ſupra, & formam profeſſionis Latino Sermone conſcriptam, ſi eſt Clericus, vel Vulgari Sermone ſi eſt Converſus, & factis debitis reverentiis,genuflectit ante Priorem ſuperpelliceo, indutum qui dicit ei: *quid petis?* cui ipſe reſpondet: *miſericordiam Dei,Crucem Chriſti,& Fratrum Societatē*:Prior Sermonem, ut ſupra habebit, dicetque Novitio vulgari Sermone: *Dilecte Fili: ecce tempus tuæ probationis, favente Deo, completum eſt, in quo omnem noſtræ Congregationis aſperitatem expertus es; Nunc igitur de duobus unum te eligere oportet, vel à nobis diſcedere, vel Sæculo renuntiare, & te ipſum totum Deo, noſtręquæ Congregationi dicare, & offerre ſciens quod poſtquam profeſſionem emiſeris de ſub jugo obedientię collum tuum,quacumque ex cau-*

ſa

ſa numquam licebit excutere, *ſi ipſe* reſponderit, ſic velle Deo, & Congregationi per profeſſionem ſe offerre; Prior Congregationis vota ei breviter, & diſtinctè proponat, & vulgariter declaret, dicendo *quantum ad Obedientiam ſcias fili, quod teneris obedire tuis Superioribus, itaut nullam te extimes habere libertatem, ſed tua propria voluntate totali eſſe privatum, unde ſi volueris manere Romæ, & Superiores voluerint te Siciliam proficiſci, eis illicò obedire, non tui complacere teneberis. Quantum ad Paupertatem non poteris habere aliquid, licèt modicum, quòd poſſis dicere hoc meum eſt, ſed omnia, quæ tibi erunt conceſſa, voluntati Superioris tui ſubjecta erunt, qui eis poterit te privare quotieſcumque voluerit. Quantum ad Caſtitatem teneberis non ſolum ſervare munditiam corporis ſed etiam cordis, ut vivas in Terris ſicut Angelus Dei. Quantum ad Humilitatem, nec Prælationem, nec officium per te ipſum, vel per alios prętendere poteris, neque extra Religionem acceptare, niſi pręcepto adſtrictus*. Completo Sermone, ſi Novitius propoſitis, & declaratis ſibi votis, reſponderit ſe velle ſic vovere, & eiſque votis Deo, & Congregationi noſtrę uſque ad Mortem ſe offerre: Inquirat ab eo Prior utrum vi, vel metu faciat profeſſionem: Qui ſi reſpònderit ſe ſponte, & libere, & non vi, vel metu vovere velle. Prior dicet: *Deus, qui in te cæpit opus bonum, ipſe perficiat, per Chriſtum Dominum noſtrum* ℞. *Amen*. Magiſter Novitiorum accipit à Terra habitum benedicendum, & ponit ſuper Brachia Novitii genuflexi; Prior ſurgit, & dicit ℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c*. Prout in ordinario precum.

Deinde Prior, & cæteri ſedebunt; Novitius ponit Regulam S. Patris noſtri Auguſtini in manibus Prioris, & ſuper imponit paginam continentem tenorem Profeſſionis, manuſque ſuas ſuper Regulam ponit, & voce clara, & alta, quę facile à Circumſtantibus percipi poſſit, Profeſſionem emittet ſequenti forma.

Forma profeſſionis fratrum Clericorum. In nomine Do-

mini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno à Nativitate ejuſdem milleſimo &c. Die N. Menſis N. Ego Fr. N. de N. in Seculo vocatus N. Filius N. de N., & N. de N. Terræ Civitatis, vel Oppidi N. Parochiæ N. facio Profeſſionem, & promitto Deo Patri Omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, Beato P. Auguſtino, & tibi Reverendo P. N. de N. Priori hujus Conventus nomine, & vice Admodum R. P. Fr. N. de N. Vicarii Generalis hujus noſtrę Congregationis Fratrum Diſcalceatorum S. P. Auguſtini Italiæ, & Germaniæ, & Succeſſorum ejus canonice intrantium, Obedientiam, Paupertatem, Caſtitatem, & Humilitatem; ideſt voveo, & promitto numquam me directè, vel indirectè per me, aut per alium ullam prętationem, aut officium per conſtitutiones prohibitum prætenſurum, nec oblatum accepturum, niſi adſtringar præcepto ejus, qui mihi jure præcipere poſſit: & hoc ſecundum Regulam S. P. N. Auguſtini, & juxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum, uſque ad Mortem.

Si Novitius emittit profeſſionem in manibus Vicarii Noſtri Generalis dicet: Et tibi Admodum Reverendo Patri Fr. N. de S. N. Vicario Generali hujus noſtræ Congregationis Diſcalceatorum S. Auguſtini, & Succeſſorum tuorum, tacendo illa verba nomine, & vice.

Si Novitius fuerit Converſus, vel Tertiarius ignorans linguam Latinam, faciat profeſſionemvulgari ſermone, ut infra.

Forma Profeſſionis Fratrum Converſorum, & Tertiariorum. Nel nome del Signore noſtro Gieſu Chriſto, Amen. Dall' Anno della Natività del medeſimo Signore mille &c. Alli N. del Meſe di N. Io Frate N. de N. Converſo ò vero Tertiario, nel ſecolo chiamato N. figlio di N. de N. &c. della N. di N. della Città, ò Terra di N. della Parochia di N., fò Profeſſione, e prometto à Dio Onnipotente, alla B. Vergine Maria, al P. S. Agoſtino, & à Voi Reverendo Padre Frate N. di N. Priore di queſto Convento di S. N. de N.: in Nome, e per parte del M. R. Padre Frate N. de

N. Vi-

N. Vicario Generale di queſta noſtra Congregatione de Scalzi Agoſtiniani d'Italia, e di Germania, e de ſuoi Legittimi Succeſſori, fò voto, e prometto Obedienza, Povertà, Caſtità, & anco prometto il quarto voto di non ambire il ſtato Clericale, haver voce attiva, nè paſſiva, ſecondo la Regola dell'iſteſſo Padre noſtro S. Agoſtino, e la forma delle noſtre conſtitutioni inſino alla morte.

Lecta Profeſſione à novo Profeſſo, Prior dicet ei: *Et ego nomine, & vice Admodum R. P. Fratris N. à S. N. Vicarii noſtri Gen., & auctoritate, qua fungor, accepto Profeſſionem tuã, & unito te corpori myſtico hujus Noſtræ Sacræ Congregationis In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* ſi ipſemet R. Pater Vicarius Generalis eſt, qui acceptat Profeſſionem dicet, & *ego auctoritate, qua fungor, accepto &c.*

Poſtea Profeſſus, proſternat ſe ſuper Tappetum in medio, vel ad pedes Prioris in modum Crucis verſa ad Terram facie, Prior ſtans, dicit. *Pater noſter*, ut in ordinario Precum.

Dato omnibus oſculo Pacis, Profeſſus genuflectit ante Priorem, qui exhortationem tam excelſæ vocationis faciet, quam Deus non facit taliter omni Nationi, & quod ipſe ad ſerviendum Majeſtati Dei inter infinitam ferè hominum multitudinem eſt ſpecialiter à Deo electus.

Ideo omnia, quæ ipſe ſervavit Novitius, non negligat ſervare Profeſſus, quia, quod in probatione obſervabat prolibito, nũc reddere tenetur ex voto. Deinde Prior dicit ℣. *Sit nomen Domini Benedictum* ℟. *Ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.* Primus Cantor ſtatim incipit Pſalmum, *Deus miſereatur noſtri*, & Choro proſequente, diſcedunt. Si plures Profeſſionem emittent, cũctis, quæ ſupra de uno Novitio, & uno Profeſſo dicta ſunt, expletis: Novitii Profeſſionem emiſſuri, genuflectunt ante Priorem, qui eos interrogat dicens: quid petitis? cui illi omnes ſimul reſpondent. *Miſericordiam Dei, Crucem Chriſti, & Fratrum Societatem.*

Prior Sermonem habet,dicetque Novitiis vulgari ſermone omnia, quæ uni ſoli ſupra dicta fuerunt; Completo Sermone, ſi Novitii propoſitis, & declaratis ſibi votis reſponderint ſe velle ſic vovere, & eiſdem votis Congregationi noſtrę uſque ad mortem ſe offerre,inquirat à ſingulis Prior,utrum vi,vel metu, faciant Profeſſionem, qui ſeparatim reſpondere debent, & ſi dixerint ſpontè, & liberè, & non vi,vel metu,vovere velle, Prior dicit,*Deus, qui in vobis cæpit bonum opus, ipſe perficiat &c.*, prout in Ordinario precum.

Ritus autem benedicendiHabitus parvulorum,Corrigias S. P. noſtri Auguſtini, & cætera, diſtinctè habetur, in libro Indulgentiarum,& gratiarum Ordinis noſtri, qui in omnibus noſtræ Congregationis Conventibus inveniri debet, eoque, cum neceſſe fuerit,uti poterunt.

De ritu obſervando in Oratione ſolemni quadraginta Horarum. Cap. IV.

SI pro re gravi in Solemni Oratione quadraginta horarum SS.Sacramentum eſt in Eccleſia publicè exponendum, Sacriſta ornamentis pretioſis ornabit Altare, & primo cooperiet Sacram Altaris Imaginem, ibique non ponat Reliquias Sanctorum, ne populus diſtrahatur ab adoratione SS. Sacramenti, & ſuper illud inter Candelabra diſponet vaſa cum floribus odoriferis, & artefactis; ſuper Altare ſi non aderit Tabernaculum ad hoc aptum, erit Scamnum ligneum ſerico coopertum, ſupra quod erit Corporale, in quo ponetur Tabernaculum geſtatorium SS. Sacramenti elevatum, ut facilè ab omnibus videri poſſit, & ſuper Tabernaculū erit velum pretioſum in duas alas dipoſitum. Nullus ad hoc Altare,quouſque ibi erit Sacramētum,accedere pręſumat, niſi ſuperpelliceo fuerit indutus. Profanus apparatus,ſęcularia Cādelabra,& vaſa argentea,quę ad cultum Eccleſiaſticum non ſpectant,nullo modo apponātur.

Biſſ. lit. A. n. 297.

Uſus Baſil. Urbis.

Uſus, ut ſup.

Ec-

Eccleſiæ Porta principalis ornabitur ramis, & frondibus virentibus colligatis, & à parte Superiori in medio appendetur Tabella tali Inſcriptione, *Oratio quadraginta Horarum*, ut tranſeuntibus omnibus pateſiat. In ſerò præcedenti, dato ſigno pro Defunctis, Campanę tribus vicibus ſolemniter pulſantur, & ſimiliter fiet omni ſero, dum durat Oratio 40. Horarum.

Paramenta Celebrantis, Miniſtrorum, & Altaris, in quo cantabitur Miſſa, albi coloris erunt. Finita hora Nona, Miſſa Solemniter Celebrabitur de SS. Sacramento, licet ſit feſtum duplex, vel dies Dominicus, & dicitur una tantum Oratio cum *Gloria in Excelſis*, & *Credo*, & *Pręfatio* de Nativitate Domini, abſque Communicantes. Si autem fuerit feſtum primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſive Dominica privilegiata primæ, vel ſecundæ Claſſis, Tunc vel cantari poterunt duæ Miſſæ, una poſt Tertiam de officio, & Altera poſt Nonam de SS. Sacramento, ſine ulla Commemoratione feſti, aut Dominicæ; ut fieri ſolet in Collegiatis, vel una tantum de feſto, aut de Dominica privilegiata, ut ſit in Dominica prima Adventus Romæ in Cappella Papæ: Et tunc ſi una tantum Miſſa cantetur, Cantari debet in paramentis coloris officio convenientis; Quapropter ſi Miſſa cantetur in paramentis rubeis, aut violaceis, finita Miſſa Celebrans, & Miniſtri ab Altari diſcedunt, & ad Sacriſtiam pergunt, ubi ſe induunt paramentis Albis, & ſic induti ad Altare revertuntur; In hac Miſſa, Celebrans duas Hoſtias conſecrabit, quarum unam ſumet, & alteram in Tabernaculo geſtatorio collocabit. Sumpto ergo à Celebrante Sacramento, Diaconus Hoſtiam in Tabernaculo geſtatorio aptabit, & ipſo clauſo ſuper Corporale deponet: Et tunc Celebrans facta, unico tãtum genu, genuflexione, ſe ferat extra Bradellam ſuper primum Altaris gradum à parte Epiſtolæ, & ibi ſe purificabit, miniſtrante ei Subdiacono, & redeunte ad medium Altaris, factaque denuo genuflexione, purificationem ſumet, & deinde facta ſemper

Biſſ. lit. M. n. 223. Gavăt. tom. 1. p. 2. tit. 14. nu. 2. Gayet. de prop. feſt. lib. 4. cap. 21. q. 8. Tonell. lib. 3. cap. 2. §. 2. n. 1. & 2.

per

per genuflexione quando trãſit per medium Altaris,proſequetur Miſſam, qua finita, & facta ſimul cum Miniſtris ſuper Bradellam genuflexione unico tantum genu, deſcẽdunt ad planũ omnes, & facta ibi ambobus genibus genuflexione,Celebrans planetam, & manipulũ deponet à parte Epiſtolæ,& Pluviale accipiet, Miniſtris manipulos in manibus Accolythorum relinquentibus, inde ad planum Altaris redeunt, & Cruciferarius cum Accolythis, & duobus Thuriferariis illuc proficiſcuntur; factaque duobus genibus ab omnibus in plano genuflexione, Cruciferarius cum Accolythis ante Cancellos genuflectat, & interim Celebrans ponet à parte Epiſtolæ in eodem plano incenſum in duobus Thuribulis, Diacono ei Naviculam miniſtrante, & Subdiacono pluviale elevante, & facta iterum genuflexione, Sanctiſſimum Sacramentum incenſabit, quo incenſato, reddit Diacono Thuribulum, & ipſe Thuriferario, & interim Subdiaconus ſuper humeros Celebrantis velum aptabit, & Diaconus facta genuflexione aſcendet ſuper Altare,& accepto Oſtenſorio, ad Celebrantem deferet, qui genibus flexis accipiet, & deinde ad populum ſe vertet, Diacono, & Subdiacono pluviale elevantibus, & hinc inde Thuriferariis Sanctiſſimum Sacramentum Thurificantibus.

Tunc Cruciferarius cum Accolythis facta genuflexione incipient proceſſionem, quæ hoc ordine fiet. Primum, *ſi adſit Confraternitas*,ipſa Fratres noſtros pręcedat, deinde Cruciferarius cum Accolythis ſubſequatur, & poſt ipſum Fratres bini, bini, à Junioribus incipiendo, quos ſequentur ſex ad minus cottis induti cum intorticiis, & deinde duo Thuriferarii ante Baldachinum Thuribulis fumigantibus. Advertant tamen omnes, ut cum ante Sanctiſſimum Sacramentum tranſeunt, utroque genu genuflectant; Et Cæremoniarius ita diſponet, ut Hymnus *Pange lingua glorioſi &c.* moroſè cantetur, & cum Cãtores ad illa verba excluſivè *Tantum ergo Sacramentum* pervenerint, denuo Hymnum incipiant. Poſt-

quam

quam ad Altare redierint, Subdiaconus ponat Crucem in plano à parte Evangelii, & ad Sacriſtiam perget, remanentibus hinc inde facie ad invicem verſa Accolythis, quouſque Celebrans cum Miniſtris acceſſerint. Statim ac ergo Celebrans ad planum Altaris pervenerit, Diaconus genuflexus ab eo oſtenſorium accipiet, ac ſtatim ſurget, illudque ipſe, vel Cæremoniarius in Tabernaculo preparato locabit, & deinde facta genuflexione, poſito incenſo in Thuribulo, Celebrans illud incenſabit, & Cantores intonabũt, *Tantum ergo Sacramentum, &c.* quo dicto, immediatè cani debent *Litaniæ Sanctorum cum Pſalmo, & Verſibus, &c.* Celebrante ad Orationes ſurgente, prout in Breviario, & Litaniis Romæ in Typographia Vaticana impreſſis, continetur. Proceſſio fiet per Eccleſiam, aut per Eccleſiæ plateam eo modo, quo habetur in die infra Octavam Corporis Chriſti.

Viginti ad minus cerei, ſinguli unius libræ ſuper Altare aſſiduò ardebunt, hinc inde medium tenentes Dominicum Corpus, & ante infimum Altaris gradum, hinc inde erunt Candelabra cum intorticiis continuò accenſis, pauciora enim eſſe lumina, indecens judicatur. Singulis horis duo Fratres cottis induti, & Sacerdotes etiam cum Stolis albis ante Sanctiſſimum Sacramentum die, noctuque aſſiſtant, duoque Confratres, ſi aderit Oratoriũ, continuò ante Cancellos ſimiliter manebunt.

Maximè decens eſſet, ut in Altari, in quo eſt expoſitum Sanctiſſimum Chrſti Corpus pro Oratione quadraginta horarum non Celebrentur Miſſæ, niſi illę duæ, quibus incipitur, & terminatur Oratio, quæ quidem Miſſæ erunt de Sacramento. Unde Miſſa privata in eo Altari in quo eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum pro Oratione 40. horarum, non debet ob reverentiam Sacramenti celebrari, ſi tempore Orationis 40. horar. Veſperæ Solemniter celebrentur, Celebrans Pluviali coloris officio convenientis erit indutus, & dum à Choro ad incenſandum Altare perget, faciet ſimul cum Mini-

Gavant. to. 1. p. 2. num. 1. Bauld. p. 3. c. 17. nu. 1. Topell. lib. 3. c. 2 num. 1.

ni-

niſtris in plano Altaris ambobus genibus genuflexionem, & aſcendendo ſuper Bradellam, ibi verſus cornu Evangelii ſtante, verſa facie ad cornu Epiſtolæ, quod ſemper eſt obſervandum dum ponit incenſum in Thuribulo ad Altare, in quo eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, incenſum miniſtrabit, & facta in medio unico tantum genu genuflexione, ſimul cum Miniſtris Sanctiſſimum Sacramentum genuflexus ſuper Bradellam incenſabit, & deinde facta genuflexione incenſabit Altare, quo incenſato, deſcendet ad planum Altaris, & facta ibi cum Miniſtris ambobus genibus genuflexione, ad Chorum redibit, & omnia, quæ de Veſperis ſolemnibus dicta ſunt, obſervabit. Si aliquis erit Sermonem, brevem tamen, habiturus, in Pulpito, vel apud Altare sẽper ſtabit erectus, & capite detecto in cornu Evang. niſi genuflexus in loco apto, & elevato manere voluerit. Si verò debeat cantari Miſſa vel *pro Pace*, vel *contrà Paganos*, *&c.* paramẽta erũt color. viol., & non dicetur *Gloria*, neq; *Credo.*

Bauld. p. 2. cap 9. art. 3. n. 3. & Biſs. lit. M. n. 222.

Finita Oratione 40. horarum canitur Miſſa, in qua omnia obſervari debent, quæ de Miſſa Solemni dicta ſunt, attamen quia variæ Cæremonię in Miſſa Solemni coram SS. Sacramento expoſito occurrunt, idcirco hìc perſcribentur.

Primò dum ad Altare procedunt, caput denudant, & ante infimum Altaris gradum in plano genuflectent utroque genu, caput profundè inclinando, quod facere in Miſſæ proceſſu nunquam debent, cum ſufficiat genuflexio unico genu facta, ut tam Celebrans, quam Miniſtri commodiùs ſurgere poſſint.

Biſs. lit. M. n. 222. §. 1.

Finita Confeſſione, abſque ulla genuflexione aſcendent ad Altare, & ibi ſuper Bradellam facta genuflexione, dicta à Celebrante Oratione, *Oramus te Domine*, incenſum ponat in Thuribulo, quod cum facit non debet ſtare in medio Altaris, ſed à parte Evangelii, versùs cornu Epiſtolæ, quod ſemper eſt obſervandum, dum ſuper Altare coram Sanctiſſimo Sacramento incenſum miniſtra-

Biſs. eod. loco Bauldr. p. 2. cap. 9. art. 3. num. 3.

ſtra-

ſtratur. Et dum Diaconus porrigit Cochlearium, aut Thuribulum Celebranti, aut quidquid aliud, ſivè Patenam cum Hoſtia, ſive Calicem cum vino, nunquam illius manus oſculari debet, quia expoſito SS. Sacramento omnia oſcula ommittuntur. *Cærem. Epiſc. l. 2. c. 33. Gavant. to. 1. par. 2 tit. 14. num. 6.*

Poſito incenſo in Thuribulo, eoque benedicto à Celebrante, tam ipſe, quam Diaconus, & Subdiaconus facta prius ſuper Bradellam genuflexione deſcendunt ad ſecundum Altaris gradum, ibique genuflexi Diaconus accipiens à Cæremoniarum Magiſtro, vel à Thuriferario Thuribulum, illudque ſine oſculis tradit Celebranti, qui, eo accepto incenſat triplici ductu, brevi morula interpoſita Sanctiſſimum Sacramentum, profundè ſe inclinans ante, & poſt incenſationem, quod pariter facient Diaconus, & Subdiaconus, nec non cæteri Miniſtri, Altari inſervientes, & interim Miniſtri Sacri aliquantulum partem planetæ poſteriorem elevabunt. Incenſato Sanctiſſimo Sacramento ſurgunt omnes, & facta unico genu ſuper Bradellam genuflexione, proſequitur Altaris incenſationem, qua finita, & reddito Thuribulo Diacono, à parte Epiſtolæ, ipſe per eoſdem gradus deſcendat ad planum Altaris, & facie verſa ad populum ibi triplici ductu à Diacono incenſabitur. *Biſs. lit. M. n. 222. §. 4.*

Dum Celebrans vertit ſe ad Populum dicendo *Dominus vobiſcum*, vel ad *Ite Miſſa eſt*, prius faciat genuflexionem, & nè directè terga vertat Sacramento, ſe vertat verſus cornu Evangelii, & deinde iterum genuflexionem faciat. *Biſs. loc. cit. §. 5.*

Cantato Solemniter à Diacono Evangelio, incenſatur Celebrans loco ſolito, quo incenſaretur, ſi Miſſa non cantaretùr coram Sanctiſſimo Sacramento. Incenſatis deinde oblatis deſcendit ad primum Altaris gradum, ibique genuflexus Sanctiſſimum Sacramentum incenſabit, & deinde facta genuflexione ſuper Bradellam, proſequetur Altaris incenſationem, qua finita incenſabitur à Diacono modo, quo ſupra hoc eodem cap. dictum eſt, & *Biſs. lit. M. n. 222 §. 7.*

deinde in eodem loco manus lavabit, ei miniſtrante primo Accolytho quo tempore Diaconus Chorum thurificabit, & Thuriferarius, quos debet, incenſabit. Dum poſtea dicit *Orate Fratres*, ſe ad cornu Evangelii vertit, & non perficiens circulum, ſicut quando dicit *Dominus vobiſcum*, redit ad medium, ubi ſtatim faciet genuflexionem, ei tenente Miſſali Cæremoniario.

Biſs. lit. M. n. 222. §. 8.

Sumpta Purificatione, Celebrans ponit Calicem extra Corporale in cornu Epiſtolæ, & facta genuflexione, ad cornu Epiſtolæ accedit, ibique digitos abluit, & depoſito deinde Calice ſuper Corporale, iterum genuflectit, & mox Calicem dextera accipit, & ablutionem ſumit, qua ſumpta, facta denuò genuflexione, Miſſam proſequitur; Miniſtris quibuſque ſua munera, ut dictum eſt de Miſſa Solemni exequentibus.

Biſs. lit. M. n. 222. §. 10.

Dum Diaconus dicit *Ite Miſſa eſt*, facta prius genuflexione, vertit ſe ad Populum, nihilominus aliquantulum verſus cornu Evangelii, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, quo dicto, facta genuflexione cum Celebrante, & Subdiacono ſupra Bradellam ſe genuflectunt, & Celebrans dicto *Benedicat vos Omnipotens, &c.* ſe genuflectat, & deinde verſus ad Populum det benedictionem verſus cornu Evangelii, qua dicta non facit circulum, ſed redit denuò ad medium ibique facta genuflexione dicat Evangelium S. Joannis, quo finito, & facta tum ab ipſo, tũ à Miniſtris genuflexione, deſcendunt ad planum Altaris, ubi ambobus genibus genuflectũt, deinde pergunt ad cornu Epiſtolæ, ubi relicta Planeta, & Manipulis in manibus Accolythorum, Pluviali induitur, & deinde ad planum Altaris redeuntes, utroque genu genuflectant, & ſuper ultimum Altaris gradum genuflexi erunt, uſquequò incenſum fuerit miniſtrandum.

Interim Cæremoniarius, è Sacriſtia educet Cruciferarium, qui medius inter Accolythos, facta ambobus genibus genuflexione, ante Altaris Cancellos, & ſex Patres Sacerdotes cum intorticiis accenſis, & deinde, è Cho-

Choro ſi adſit Confraternitas eos ſimul educet binos, binos, & deinde Fratres noſtros, cum hac differentia, quod Confratres facta ambobus genibus genuflexione extra Cancellos locabit, Fratres autem noſtros intra eoſdem Cancellos aptabit.

Locatis omnibus, Litaniæ Sanctorum dicentur à duobus cantoribus cotta indutis reſpondente Choro, & dum ad ℣. *Peccatores* pervenerint, accedant ad Altare duo Thuriferarii, qui facta in plano utriſque genibus genuflexione ibi ſiſtent, quouſque Celebrans preces recitaverit, quibus finitis Celebrans incenſum ponet in duobus Thuribulis, & deinde accepto à Diacono Thuribulo Sanctiſſimum Sacramentum incenſabit, quo incenſato Diaconus perget ad accipiendum ſuper Altare Oſtenſorium, quod in manibus Celebrantis ponet, eo modo, & ordine, quo ſupra dictum eſt hoc eodem capite; interim Cantoribus Hymnum *Pange lingua*, *&c.* Cantantibus; Et tunc incipi debet proceſſio eo ordine, quo ſupra in expoſitione dictum eſt; Advertant tamen omnes, quod dum progrediuntur ante SS. Sacramentum utroque genu genuflectant.

Poſtquam verò ad Altare redierint, Diaconus accipit oſtenſorium à manibus Celebrantis genuflexus, illudque ſuper Corporale deponit, & deinde poſito incenſo in Thuribulo, illud Thurificat, intonantibus Cantoribus *Tantum ergo &c.* quo finito dicant ℣. *Panem de Cælo &c.* & Chorus reſpondet; *Omne delectamentum &c.* & Celebrans elevatus dicat *Dominus vobiſcum*, & Orationes, quibus finitis Subdiaconus velum album ſuper ejus humeros aptabit, & facta in plano genuflexione, aſcendunt ad Altare, ubi ſuper Bradellam iterum genuflectant, deinde Diaconus det in manibus Celebrantis Oſtēſorium, qui Populo benedictionem præſtabit, & interim Thuriferarii SS. Sacramentum incenſabunt; Data poſteà benedictione, Diaconus accipit Oſtenſorium à manu Celebrantis, & facta ab omnibus genuflexione, ipſe

Uſus Cappellæ SS. D. N. Baſilicarum Urbis.

ſe in Sacrario reponet, quo clauſo omnes de Choro ſurgent, & ad Chorum eo ordine quo venerant, & Celebrans cum Miniſtris ad Sacriſtiam revertuntur.

Si verò ob aliquam Congregationis neceſſitatem, vel ob alicujus Benefactoris devotionem fuerit exponendum, in Altari pallio coloris tempori convenientis cooperto, ſint ſaltem duodecim candelæ ſemper accenſæ, ibique dicatur Miſſa, & duæ hoſtiæ conſecrentur, quarum una in Tabernaculo geſtatorio reponatur, & à Celebrante in loco apto, & eminenti abſque benedictione, & incenſo collocetur, & Patres, ſeu Fratres ſuperpelliceis induti bini, bini, vel ſinguli juxtà diſpoſitionem Prioris ante SS. Sacramentum devotè aſſiſtant, & humiliter orent.

Cum verò fuerit removendum, Sacerdos ſuperpelliceo,& Stola tempori convenienti indutus accedit ad Altare, & abſque incenſo, cum Sacramento facit benedictionem, & illud in Tabernaculo reponit; quod ſi pluries exponi contigerit, vel à Celebrante Miſſam ut ſupra, vel à Sacerdote ſuperpelliceo, & Stola induto, exponatur.

De Ritu, & Ordine faciendi Orationem mentalem. Cap. V.

ORatio mentalis, ſeu meditatio, cum ſit Angelicum exercitium, ita eſt Religioſis neceſſaria, ſicut eſt animali Cibus, dicente S. P. N. Auguſtino. *Sicut ex Carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diverſis eloquiis, & orationibus interior homo paſcitur, & nutritur*. Bis ergo quotidie in Choro, vel Capitulo de mane ſcilicet ante, vel poſt horam primam, & de ſero ante vel poſt Completorium per unam horam omnes ſimul Orationi, & meditationi vacabunt, à qua nemo, niſi infirmitatis cauſa abeſſe præſumat.

Omnibus congregatis, & per Ordinem genuflexis, vultuſ-

vultuſque ad Altare habentibus, ad pulſationem trium ictuum campanæ, Præſidens recitando moroſè incipiet Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus &c.* ut in ordinario precum: campanarius horologium volvat, & obſervet.

Lector in medio genuflexus lectionem vulgarem in aliquo libro devoto ex meditationibus occurrentibus leget, abſolutè ſine *Jube Domne*, & ſine *in nomine Domini*, & abſque nomine Auctoris, ac diei, ſed ſolum titulum lectionis, ideſt de qua materia ſit lectio, proponet. Hujus lectionis Lector erit Clericus aptus ad commovendum, & compungendum animos Fratrum audientium, qui ut hoc ritè, & perfectè efficere poſſit, obſervabit ea, quæ dicta ſunt in primo libro.

Dato à Præſidente ſigno finem legendi, abſolutè ſine *tu autem Domine*, faciet. Tunc claudantur feneſtræ, & nullus Orationem vocalem quantumvis ſecretam faciet, ſed omnes genuflexi, vel ſtantes in meditatione maximo cum ſilentio, & quiete, conſiſtent.

Decurſa hora, campanarius ſignum, digito ter ſuper tabulam percutiens, modeſtè faciet. Quo audito Præſidens incipit Antiphonam: *Sub tuum præſidium*, ut in Ordinario &c.

Hic modus incipiendi, & terminandi Orationem mentalem obſervabitur omnibus diebus etiam in triduo ante Paſcha. Cum dicitur in Choro Officium Defunctorum duplex, tunc non fit Oratio mentalis, ſi autem dicitur ſub Ritu ſimplici, vel Matutinum dicitur in ſero, ut in triduo ante Paſcha, & per Octavam Corporis Chriſti, aut dicuntur Pſalmi Graduales, tunc fiet Oratio per ſpatium dimidię horæ propter anguſtiam temporis, quod non ſufficit ad alia exercitia ſpiritualia exercenda.

Pro Converſorum, vel Commiſſorum Oratione, aliquis eorum à Priore deputetur, qui hora ſuperius præſcripta, illos ſollicitè excitet: In illis verò Conventibus, in quibus ſaltem decem inveniuntur Converſi, excitetur etiam Hebdomadarius hebdomadæ præteritæ,

vel

vel eo impedito, alius Sacerdos ad nutum Prioris, qui ſimul cum aliis in Chorum conveniat, ubi modum incipiendi, proſequendi, & terminandi Orationem inviolabiliter obſervet.

Oratione abſoluta, omnes ſtantes Roſarium Beatiſſimæ Virginis Marię modo infraſcripto loco Horarum recitabunt: Sacerdos enim, vel Præſidens dicto ab omnibus profunde inclinatis, *Pater noſter*, *Ave Maria*, *&* *Credo* incipit ℣. *Deus in adjutorium meum intende*. ℟. *Domine ad adjuvandum me feſtina*. *Gloria Patri &c. Allelluja*, vel *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ* juxta temporum varietatem, (quod in principio cujuslibet tertiæ partis fieri debet) Poſtea clara, & intelligibili voce intonat, & primus Chorus eodem modo proſequitur: *Pater noſter*, uſque ad Panem noſtrum excluſivè, quod à ſecundo Choro reaſſumitur, & proſequitur uſque in finem, eoque abſoluto incipitur à toto primoChoro: *Ave Maria*, & proſequitur uſque ad *Jeſus*, ſecundo Choro interim incipiente, *Jeſus Sancta Maria*, & proſequente, uſque in finem. Ad ultimam autem *Ave Maria* cujuſque Miſterii addatur, *Gloria Fatri*, *&c.* primo Miſterio abſoluto, incipiatur, & proſequatur à ſecundo Choro: *Pater noſter*, & à primo finiatur, ut ſupra; deinde à ſecundo Choro dicatur: *Ave Maria*: uſque ad *Jeſus* incluſivè, quam ſecundus Chorus, uſque ad finem proſequitur. Eodemq; modo cętera SS. Roſarii Myſteria perſolvantur; In quorum fine *Litaniæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, & Oratio *Sacroſanctæ* genibus flexis devotè recitentur, & cum ſilentio diſcedant; Sacerdos verò ſi adfuerit pro celebratione SS. Sacrificii ſe præparet, illudque omnes Fratres Converſi, & commiſſi omninò audiant, ut ad eorum Miniſteria peragenda promptę, & aptè reperiri poſſint,

De

De Ritu in Oratione ſerótina, & communi flagellatione obſervando. Cap. VI.

DAto pro Oratione Serotina tempore ſuperius præſcripto ſigno, Omnes Fratres in Chorum, vel Oratorium cum ſilentio ſtatim conveniant, ibique ordinatim faciebus ad invicem verſis, genufle-ctunt, & facto examine conſcientiæ: Præſidens incipit humili voce, cæteri eodem modo proſequentes: *Confiteor Deo &c.* prout in ordinario precum.

Singulis autem ſecundis, quartis, & ſextis feriis, ac etiam feria quinta in Cœna Domini, Oratione Serotina Completa, Novitii, vel Clerici in Profeſſorio Clauſo degentes, ſimul cum eorum Magiſtro deoſculata prius Præſidentis Corrigia, è Choro, vel Oratorio diſcedant; cæteri erecti, & aliquantulum inter ſe diſtantes,& unuſquiſque, ſine alterius impedimento flagellare ſe poſſit, ad diſciplinam ſe præparent. Interim Accolythus unam è Choro extrahit lucernam, alia ibi relicta, quam ad Præſidentis ſignum extinguit. Lumine extincto, Præſidens incipit clara, & alta voce, & reliqui interim ſe flagellantes, proſequuntur Pſalmum *Miſerere cum Gloria Patri*, prout in Ordinario Precum.

Poſtea Præſidens dicit vulgari ſermone:Dicamus tres *Pater noſter, & totidem Ave Maria* pro Benefactoribus noſtris: & ſi accidit aliqua neceſſitas, vel pia cauſa dicat: pro tali cauſa; Quibus Completis, & ſigno à Præſidente dato, omnes à flagellatione deſiſtunt, & ſe præcingunt, factoque iterum à Præſidente ſigno, manifeſtatur lumen, & omnes Præſidentis Cingulum deoſculantur, & in pace recedunt. In diebus verò ferię quartę, quintę, & ſextę majoris Hebdomadæ dicto à Choro *Confiteor*, & à Præſidente *Miſereatur &c.* & *Indulgentiam*, ſtatim incipit ant. *Chriſtus factus eſt*,quam Chorus proſequitur, & deinde dicta Oratione *Reſpice &c.* Prior

om-

omnes aſpergat nihil dicendo; & extinctis lucernis Præſidens Pſal. *Miſerere* incipiat, quo finito, intonet Antiphon.: *Chriſtus factus eſt* & dicta Oratione *Reſpice* vulgari Sermone dicat, *Diciamo cinque Pater, & Ave in honore delle cinque Piaghe del noſtro Signor Giesù Chriſto*.

De Ritu Celebrandi Capitulum Conventuale. Cap. VII.

FEria ſexta, vel alia die, qua Capitulum Conventuale celebrari debet, Supprior curam exactam gerat, ut locus Capituli ſumma munditia polleat, & ut in ipſo Regulæ, vel Conſtitutionum liber, Horologium, & Suffragiorum vaſa reperiantur, curet etiam, ut Prioris Sedes propè Altare in latus Evangelii extra Bradellam in plano accommodetur.

Hora igitur Orationis mentalis Matutinæ, Congregatis in locum Capituli omnibus Patribus, & Fratribus etiam hoſpitibus, tunc temporis in illo Conventu exiſtentibus, ibique vultibus ad invicem verſis genuflexis, & ordinatim ſcilicet Seniores propè Priorem in Choros diſtinctis, dato ſigno, incipit Prior Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*, & dicitur ℣. *Et Oratio*, prout in initio Orationis Mentalis, qua finita, omnes ſurgunt, & Lector in medio ad ſignum Prioris, & verſus illum ſtans, voce mediocri petit benedictionem dicendo: *Jube Domne benedicere*, & profundè inclinatur, dum illi Prior benedictionem impartitur illis verbis: *Regularibus diſciplinis nos inſtruere dignetur Magiſter Cæleſtis, vel Evangelica Lectio ſit nobis ſalus, & protectio*, ſi fuerit Evangelium legendum: Deinde verò erectus incipit: *In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Amen*. Et ſtatim ceteris ſedentibus niſi legendum fuerit Evangelium, proſequitur Lectionem dicendo: Incipit, vel proſequitur tale caput talis libri, vel ſi fuerit aliqua ſolemnitas, in qua

Evan-

Evangelium legi debeat dicat: *Incipit Evangelium*, vel *ſequentia Sancti Evangelii ſecundum* v.g. *Joannem*. Deinde ad ſignum Prioris, Lectionem concludit dicens: *Tu autem Domine Miſerere nobis*. Reſpondente Conventu ſedente, ſed capite detecto: *Deo gratias*, & Lector interim ad locum ſuum revertitur.

His factis Prior ſurgit, & reliqui poſt eum & dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. ℟. *qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Benedicite*. ℟. *Deus*. Statimque cum cæteris ſedeat, eoſque brevi Concione, utpotè per dimidiam horam ad profectum, & Regularem obſervantiam hortetur, vel ad devotionem Sancti, de quo Solemnitas celebratur inflammet.

Finita exhortatione (ſi facienda ſit) ad culparum correctionem procedat: Tuncque ad nutum Prioris omnes Novitii tam Sacerdotes, quam Clerici, Laici, vel Commiſſi (ſi adfuerint) primi juxta Priorem in Choros diſtincti ſe proſternunt, & ſigno ſurgendi dāto, capita elevent, & cæteris antiquior intelligibili voce adhuc cum aliis genuflexus dicit: *Reverende Pater de omnibus negligentiis, quas commiſimus in Choro, Clauſtro, Refectorio, Dormitorio, & in aliis locis, petimus à Deo veniam, admonitionem à Patribus, & à veſtra Reverentia correctionem cum Charitate*. Hoc dicto, iterum uſque ad novum Prioris ſignum ſe proſternant.

Zelator verò, aliique Sacerdotes Vocales à Priore juſſi; exponunt quidquid in eis, vel eorum aliquo dignum fuerit correctione, qui autem monitus fuerit ſe proſternat, donec extollendi capitis ſignum detur: Cæterum, qui genuflexi ſunt, ſeipſos accuſare poterunt.

Facta iſtorum correctione, datoque à Priore ſigno terram exoſculentur, & ſurgentes, ac ordine debito ad Priorem accedentes, genibus flexis illius corrigiam deoſculentur, & recedant.

Novitiis Correptis, & à Capitulo egreſſis eodem mo-

do conveniant, corripiantur, & recedant Laici, vel Commiſſi, qui Profeſſionem emiſerunt, & poſt ipſos Clerici non Sacerdotes, vel Sacerdos loco privatus.

His tandem expeditis, reliqui Sacerdotes eodem modo ante Priorem ſe proſternant, & Supprior, vel eo deficiente antiquior ex eis generalem faciat, ut cæteri, accuſationem, mutato tantum unico verbo, ita ut ubi reliqui dixerant, *admonitionem à Patribus*, dicat *admonitionem ad invicem*. Factaque generali accuſatione, ſtatim Sacerdotes Hoſpites, vel qui vocem non habuerint admoneantur ut reliqui, & dimittantur. Interim cæteris in propriis locis ſedentibus.

Poſt horum correctionem duo digniores hinc inde genuflectunt, & Zelator, ac reliqui Patres, Priore jubente, ſi quid dignum correctione occurrerit, admonent, & ad Prioris ſignum genuflexi, ſurgunt, ac ejus corrigiam deoſculantes ad propria pergunt loca, eodemque modo, & ordine alii omnes Sacerdotes ante Priorem conveniunt, admonentur, & regrediuntur.

Finita culparum correctione, fiant à Patribus Capituli generales admonitiones pro bono ſtatu, tam temporali, quam Spirituali Conventus, prout ſanciunt noſtræ Conſtitutiones p. *3*. c. 8. n. 7. Deinde à Juniore ex Sacerdotibus ad nutum Prioris pulſatur campanula, ut omnes Fratres (ſi expediti fuerint) in Capitulum revocentur, ubi profundè inclinati, *Confiteor*, qui à Priore ſtante incipitur, & cætera, prout in Ordinario Precum, proſequuntur.

In Vigiliis verò, vel in diebus, Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, ac Reſurrectionis, nec non Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, S. P. N. Auguſtini, & Titularis Eccleſiæ, tempore Orationis Mentalis Matutinæ, Fratres omnes in Capitulum conveniant; ubi dicta Antiphona: *Veni Sancte Spiritus*: cum verſu, & Oratione de Spiritu Sancto; lectoque ab

ali-

aliquo in ordine Diaconali conſtituto Evangelio de Solemnitate veniente, vel occurrente, fiat à Priore, vel ab alio ad ejus nutum Sermo, quo habito, omnes ſtatim ſurgunt, & Supprior ante Priorem procedit: Ubi ſtantes, ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus, Prior dat pacem Suppriori dicendo: *Pax tecum*, qui ſtatim reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, immediatè ſubjungens vulgari Sermone (*perdonatemi ſe vi hò offeſo*) & ſtat à dextris Prioris; Poſtea alius Pater dignior eodem modo ad Priorem, & Suppriorem accedit, & à dextris Supprioris erectus ſiſtit, & ſimiliter facient reliqui omnes uſque ad ultimum Converſum, ſeu Commiſſum ſtante ad dexteram illius, cui ultimo pacem dederunt.

His factis, omnes ordinatim in propriis locis ſedeant, & Superior dicit: *Sit nomen Domini benedictum*, reſpondente Conventu: *Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum*, ſtatimque (ſi in Choro aliquid fuerit recitandum) primus Cantor Pſalmum *Miſerere* incipiet, & cæteri proſequuntur; ſin minus incipiente Superiore, & poſt ipſum reliqui omnes factis debitis reverentiis, ad proprias Cellulas cum ſilentio conveniant.

De Ritu Celebrandi Capitulum Generale, Definitorium, vel Congregationem. Cap. VIII.

PRo Celebratione Capituli Generalis in Eccleſia Jeſu Mariæ de Urbe, vel in Eccleſia Conventus, in quo Celebratur, Altare Majus Solemniter appare tur, & dato ſigno pro Defũctis, ter campanæ ſono feſtivo pulsẽtur, ut fieri ſolẽt in præcipuis ſolemnitatibus.

Die verò Sabbati hora competenti dicatur Tertia poſt Primam abſque ulla Solemnitate Hebdomadario Celebrante, duabus tantum candelis ſuper Altare accenſis. Pro Miſſa tamèn, quæ nullam habet cum officio connexionem, & ſolemniter de Spiritu Sancto Celebranda eſt,

parentur in Sacriſtia, & Credentia omnia, quæ pro Miſſa Solemni neceſſaria ſunt.

Dum horæ dicuntur Adm. R.P. Vicarius Generalis cum Aſſiſtentibus ad Sacriſtiam conveniat, ubi lotis manibus, veſtibus Sacris, ut mos eſt, ſe induat.

In hac Miſſa, cum ſit pro re gravi, una tantum Oratio dici debet, cum Gloria, & Credo, omneſque Patres præſertim Gremiales à principio uſque ad finem aſſiſtere debent, niſi tunc temporis Miſſas privatas fuerint Celebraturi, quæ niſi ſit feſtum duplex de Spiritu Sancto dicuntur cum tribus Orationibus, quarum ſecunda erit de officio diei, abſque Gloria, & Credo; ſi autem fuerit feſtum duplex, Miſſa dicatur de feſto cum Oratione ſecunda de Spiritu Sancto, quæ Oratio durante Capitulo in omnibus Miſſis dici poterit.

In aliis Conventibus noſtræ Congregationis eodem pacto à Superiore Conventus Miſſa ſolemniter Celebretur, Miſſęque privatæ dicantur, idemque fiat feria ſexta pro bona electione Vicarii Generalis. Reliquo vero tempore Capituli in omnibus Conventibus noſtræ Congregationis hora Orationis mentalis, tam Matutinę, quam Veſpertinæ exponatur Sanctiſſimum Sacramentum, in cujus pręſentia fiat conſueta Oratio Mentalis, eaque finita dicatur alta, & clara voce Hymnus *Veni Creator Spiritus &c.* prout in ordinario precum, idque etiam fiet tempore Definitorii in Conventu in quo celebratur, ac tempore Capitulorum Provincialium in propriis Provinciis, ſervato eo ordine, qui in primo libro hujus Cæremonialis noſtri fuit conſtitutus.

Ritus Celebrandi Capitulum Generale. Cap. IX.

TErtio quoque anno Sabbato ante Dominicam quartam poſt Paſcha Reſurrectionis, ad præſcriptum decretorum plurium Capitulorũ Genera-

ra-

ralium, à longo tempore ad praxim reductorum, celebrari debet in noſtra Congregatione Capitulum Generale in Conventu aſſignato à præcedenti Capitulo Generali, ad quod accedere debent Gremiales, ſive Vocales præſcripti in Conſt. fel. rec. Alex. VII. incipien. *Militantis Eccleſiæ*.

Quare die prædicto valde manè Adm. R. P. Vicarius Generalis cum Aſſiſtentibus ad ejus nutum, Miſſam de Spiritu Sancto ſolemniter celebrabit pro felici progreſſu Capituli; Interim, ſeu prius omnes ſupradicti Gremiales Sacrum facient, ita ut antequam campanula pulſetur ad eos convocandos, expediti, promptique inveniantur.

Omnes Superiores Generales quantum fieri poterit aliique Patres ad portam Eccleſiæ accedent, ibique ordinatè ſiſtent,& cum Eminentiſs. & Reverendiſs.D.Cardin. Præſidens advenerit, & Sacr. Purpuram deoſculando magna cum reverentia, & modeſtia, in locum Capituli jam preparatum illum comitantes, introducent, prout inferius præſcribetur.

Sabbato de mane. Seſſio Prima.

1. OMnibus, etiam non Gremialibus in Eccleſia coadunatis, ibi Eminentiſs. & Reverendiſs.Preſidentem expectabunt;quo cum pervenerit,ibi ſit Clericus Cotta indutus cum Cruce,& duobus Accolythis, necnon Sacerdos, qui pixidem è Tabernaculo extrahat, & ponat ſuper Altare, & deinde facta ante SS. Sacramentum brevi Oratione, Cantores intonant Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: & alternatim proſequentur: Mentes tuorum viſita; imple ſuperna gratia; Quæ tu creaſti pectora. Qui diceris Paraclitus; Altiſſimi donum Dei; Fons vivus ignis charitas; & Spiritalis unctio. Tu ſeptiformis munere, digitus Pater-

næ

næ dexteræ, Tu ritè promiſſum Patris, Sermone ditans guttura. Accende lumen ſenſibus, Infunde amorem cordibus; Infirma noſtri corporis, Virtute firmans perpeti. Hoſtem repellas longius, Pacemque dones protinus, Ductore ſic te prævio, Vitemus omne noxium. Per te ſciamus da Patrem, Noſcamus atque Filium, Teque utriuſque Spiritum, credamus omni tempore. Deo Patri ſit gloria, & Filio qui à mortuis, Surrexit ac Paraclito. In ſæculorum ſæcula. Amen.

Dum dicitur Hymnus poſt dictum verſ. *Quæ tu creaſti pectora* proceſſionaliter pergunt ad locum Capituli, & Cantores dicunt in fine.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Præſidens dicet. Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Poſtea ſurgentibus omnibus, Præſidens proſequetur.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & terram.

℣. Benedicite. ℟. Deus.

Quæ initio cujuslibet Seſſionis ſemper dicentur.

2. His dictis Præſidens ſolus ſedebit, cæterique omnes ſtabunt, & P. Secret. Gen. ſtatim alta voce, in ſchedula antea confecta, leget nomina omnium Gremialium per ordinem Provinciarum ſigillatim, qui Capitulo Generali intereſſe debebunt, juxta diſpoſitionem præcitatæ Conſt. *Militantis*. Gremiales, qui præſentes fuerint reſpondebunt *per adſum*; ſi verò propter aliquam legitimam cauſam aliqui fuerint abſentes; Secretarius ſubjunget clara voce. P. N. abſens propter talem cauſam: illam explicando.

3. His

3. His peractis Eminentiſs. & Reverendiſs. Præſidens porriget Breve Sanctiſſimi, in quo datur ei facultas præſidendi Capitulo, quod P. Secretarius humiliter, & cum oſculo accipiens, illud clara voce, omnibus ſtantibus, leget; quo lecto, omnes ſigillatim, incipiens Vicarius Generalis, accedent ante Præſidentem, & debitis reverentiis humiliter per oſculum Sacræ Purpuræ genuflexi ei obedientiam præſtabunt, & recedentes ſuis locis ſedebunt.

4. Obedientia ab omnibus ſic exhibita, P. Secretarius ſolus ſtans alta voce dicet: Accedant Diſcreti per ordinem Provinciarum, & referant nomina Fratrum noſtrorum, & inſignium Benefactorum in hoc triennio mortuorum, ac etiam viventium Benefactorum.

5. Tunc alter ex Diſcretis cujuſcumque Provincię ſiſtens in medio facie ad Præſidentem verſa, profundiſque reverentiis antea, & poſtea factis, referet ſigillatim omnes Fratres noſtros, ac Benefactores inſignes defunctos in illo triennio, ſimul cum qualitatibus illorum, ac etiam Benefactorum pariter inſignium noſtrorum Conventuum viventium notitiam dabit. Denique Orationibus omnium illos devotè commendans, ad ſuum locum redibit; Quod ſimiliter facient cæteri Diſcreti per ordinem Provinciarum, ut ſupra.

6. Poſtquam omnes Diſcreti ſupradicta expleverint, poterit Vicarius Generalis commemorationem facere eorum, quos illi forſitan prætermiſerint. Tunc Præſidens Orationes, & aliqua ſuffragia ad ſuum libitum, infra determinatum tempus ab unoquoque Conventu perſolvenda, ſtatuet, & Secretarius notabit, ad finem dictis Conventibus intimandi; ſed tunc brevitatis cauſa alternatim dicent omnes ſurgentes. *Pſalm. De profundis*, quem incipiet Præſidens, & in fine ℣. Requiem æternam &c. ℟. Et lux perpetua &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et in fine. ℣. Requiem æternam &c.

℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

7. Denique ſtatim P.Secretarius dicat: Exeant à loco Capituli omnes non Gremiales, & Oſtiarius aſſignatus claudet Januas, juxtà quas, extra tamen, continuò morabitur toto tempore Capituli, ut promptè, & celeritèr mandata Præſidentis, & Patrum exequi poſſit.

8. Egreſſis ſupradictis è loco Capituli ſedentibus Pręſidente, & Gremialibus, P. Secretarius ſolus ſtans dicet alta voce: Deveniendum eſt ad electionem duorum Aſſiſtentium, ſeù Judicum cauſarum, poſſunt eligi omnes, modò ſint præſentes, & non ſint Diſcreti: Electio fiet canonicè ab omnibus Gremialibus per ſchedulas ſecretas. A Præſidente, Vicario Generali, & Primo Definitore Generali ſcrutabuntur ſuffragia; Unus ex his duobus Patribus ſcribet in folio numerum votorum, & nomina, ſcilicet P. N. habuit vota..... P. N...., & poſtea legendo dicta ſuffragia notata, electionem clara voce pronunciabit, dicens, Habemus electionem(ſi adſit numerus Votorum) vel dicet: Non habemus electionem: ſi Vota non erunt ultra medietatem: quia tunc P. Secretarius dicet, deveniendum eſt ad ſecundum ſcruti-

nium

nium pro dicta electione. Quod ſemper obſervabitur, quoties non erit electio; poſt electionem primi Aſsiſtentis, fiet altera eodem modo ſecundi Aſsiſtentis.

9. Et quia ex capit. *Quia propter*: poſt ſcrutinii publicationem, in electione canonica debet fieri electio verbalis, idcircò Præſidens ſedens in hac forma poterit dicere.

Ego N. Cardinalis N. & Præſidens auctoritate Apoſtolica præſentis Capituli, vice mea, & omnium electorum præſentium eligo te P. N. in Primum (vel ſecundum) Judicem cauſarum in hoc præſenti Capitulo. In nomine Patris, & Filii &c.

10. Quibus verbis expletis; electus diſcedat è loco Capituli, quo egreſſo Præſidens pro informatione interroget omnes, dicens: Habet ne aliquis veſtrum contra electum, & electionem? Quod ſi nullus opponet, pulſabit campanulam, ad cujus ſignum electus ingredietur, & ante Præſidentem genuflexus ab ipſo confirmabitur his verbis.

Ego N. Cardinalis &c. & auctoritate Apoſtolica Præſidens, & ſcrutator, nomine meo, & omnium, qui te elegerunt confirmo te in Primum (vel ſecundum) Judicem cauſarum in hoc præſenti Capitulo Generali. In nomine Patris, & Filii &c.

11. Hic modus, ſeu ritus obſervabitur in ſequentibus electionibus canonicis, quoties à toto corpore Capituli faciendæ erunt, & quando electus erit præſens, & idem fiet etiam in electionibus Canonicis faciendis à ſolo Definitorio.

12. Facta horum duorum electione, omnes egredientur de loco Capituli, ſolum Præſidente, Vicario Generali, Judicibus cauſarum, & Secretario remanentibus; ſed antequam diſcedant omnes, Secretarius ſtans alta voce dicet; Accedant per ordinem Provinciarum P.P. Diſcreti, & præſentent litteras ſuarum electionum; Qui ſtatim patentes firmatas dictis ſedentibus cum oſculo

porrigent, & factis debitis reverentiis pariter diſcedent.

13. Dictæ litteræ, ſeù patentes diligenter examinabuntur à Præſidente, & dictis tribus PP. indagando, an aliquid contra dictas electiones Diſcretorum obſtet. Si aliquid, quod electionem aliquam infirmet, invenient, vocari facient malè electum, & à Secretario hoc ei intimetur, ut rationem reddat; Si verò nihil, & cognoverint omnes electiones legitimè, & validè fuiſſe factas, extendetur in folio à Secretario Decretum his verbis.

Ego N. Cardinalis &c. Auctoritate Apoſtolica Præſidens &c. Viſis, & examinatis litteris teſtimonialibus uniuſcujuſque Diſcreti omnium Provinciarum, una cum P. Vicario Generali, & duobus Aſſiſtentibus, invenimus eas ritè, & rectè factas, ac perindè eorum electiones canonicas, & legitimas eſſe, & exiſtere declaramus. In nomine Patris, &c. Dat. in Conventu JESU MARIÆ die &c. & ſubſcribent Præſidens, Vicarius Generalis, Aſſiſtentes, & Secretarius.

14. Si verò aliqua electio Diſcretorum fuerit inventa invalida, declaretur talis in eodem Decreto, exprimendò cauſam. Poſt dictum Decretum ſcriptum, antequam vocentur omnes Gremiales Secretarius ſcribet, & extendet ſubſequens, & infraſcriptum præceptum.

Nos N. Cardinalis &c. auctoritate Apoſtolica Præſidens &c. omnibus, & ſingulis vobis Gremialibus præcipimus in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, ut antequam congregemini hodie poſt Veſperas unuſquiſque veſtrum denunciet nobis, an ſciat aliquod impedimentum, propter quod aliquis in hoc Capitulo vocem habere nequeat. In nomine Patris &c. Dat. &c. die &c.

15. His ſic diſpoſitis ad nutum Præſidentis Janitor pulſabit campanulam ad omnes Gremiales convocandos in locum Capituli, quibus omnibus ingreſſis, ac ſtantibus, Secretarius alta voce leget; Primo decretum de

de electionibus Diſcretorum Provinciarum, & poſtea eodem modo intimabit ſupradictum prçceptum, & ad illa verba: Præcipimus; omnes genuflectunt; quo lecto, omnes ſurgent, & terminatur prima Seſſio Præſidente dicente ℣. *Sit nomen Domini benedictum*: ℟. *Ex hoc nunc, & uſque in ſçculum*.

Supradicti PP. Superiores aliique Gremiales comitabuntur ordinatim Præſidentem uſque extra portam Conventus, quod etiam in reliquis diebus omni cum modeſtia, & reverentia obſervabunt.

Seſſio ſecunda eodem die poſt Veſperas.

1. PUlſata Campanula cõgregabuntur ſolum Prçſidens, Vicarius Generalis, duo Aſſiſtentes, & Secretarius, & dicto *Veni Sãcte Spiritus*, cũ ℣. & *Oratione*, ut ſupra aliquam competentem moram in loco Capituli facient ad recipiendas denunciationes forſan faciendas vigore præcepti lati; & ſi aliqua denunciatio facta fuerit, cauſam de plano examinabunt, & ſtatim ſententiam ferent, cui omnes parere teneantur ſub pæna privationis vocis activæ, & paſſivæ per triennium, prout in noſtris Conſt. Si verò nulla denunciatio facta fuerit, tunc Præſidentis juſſu à Secretario extendetur in folio ſubjectum decretum.

Nos N. Cardinalis &c. Præſidens &c. una cum Vicario Generali, & duobus Aſſiſtentibus: poſt noſtri præcepti formalis publicationem, ac omnibus peractis de jure peragendis invenimus omnes Gremiales ad hoc Capitulum Generale perventos, & coadunatos legitimè in eo vocem habere; & ita dicimus, pronunciamus, & declaramus. In nomine Patris &c. dat. &c. die &c. Subſcribit Prçſidens, & Secretarius.

Antequam prædictum decretum publicetur, & con-

convocentur omnes Gremiales, Præſidens, & dicti tres Patres diligenter examinabunt quot Patres in unaquaque Provincia in ſequenti triennio vacaturi erunt ab Officiis, vigore Brevis fælicis recordationis Urbani VIII. quod incipit: *Circumſpecta*, & Secretarius notet in folio nomina, & cognomina, & cauſam dictorum vacandorum, qui die ſequenti ante electionem Definitorum Generalium publicabuntur. His itaque ſic digeſtis, Præſidens jubebit totum Capitulum convocari, & poſtquam omnes ſuis locis aptati fuerint, Secretarius ſtans, intelligibili voce leget ſupradictum Decretum, de validitate Vocalium; Demum idem Secretarius eadem voce dicet: Vobis omnibus hic præſentibus intimatur electio quatuor Definitorum Generalium facienda die ſequenti poſt Veſperas, ac etiam Secretarii Capituli. Et abſolvetur ſeſſio ut ſupra Præſidente dicente. ℣. *Sit nomen Domini benedictum &c.*

Seſſio tertia. Dominica poſt Veſperas.

1. INgreſſis omnibus ad ſonum campanulæ in locum Capituli, ac genuflexis, Pręſidens intonabit Hymn. *Veni Creator Spiritus &c.* Qui totus dicetur, cum verſiculo, & Oratione, ut ſupra; deinde ſolus Pręſidens ſedeat, & cęteri genuflexi faciem ad terram figent, ac dicent, *Confiteor Deo &c.* uſque ad finem, quo expleto, Pręſidens dicet: Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Et

Et poſtea ſubjungit.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam miſericordiam, & Sanctiſſimam Paſſionem vos abſolvat, & ego auctoritate, qua fungor, & quatenus mihi conceſſa eſt, abſolvo vos, ad effectum electionum faciendarum, à vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, ſuſpenſionis, & interdicti (ſi incurriſtis), & reſtituo vos Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, & communioni Fidelium, ſi neceſſe eſt. In nomine Patris &c.

2. Deinde tam Præſidens, quam omnes alii ſurgent, & ab illo dicetur. ℣. *Adjutorium &c.* ℟. *Qui fecit Cœlum &c.* ut ſupra.

3. Præſidente ſolo ſedente, Vicarius Generalis, & poſt ipſum Procurator Generalis, ac reliqui omnes Superiores accedent ante Pręſidentem, & genuflexi culpam de more, & humiliter dicent, officiis ſe abdicabunt, & cum oſculo ſigilla Præſidenti tradent, qui illa recipiendo in vaſe ſuper Tabulam ante ipſum præparato reponet.

4. His peractis, omnibus ſedentibus, Secretarius ſolus, alta voce in ſchedula, ſero ante confecta leget nomina omnium Patrum, qui in ſequenti triennio vacaturi erunt per ordinem Provinciarum, incipiendo à Romana, juxta diſpoſitionem, ac determinationem factam in ſero pręcedente à Pręſidente, Vicario Gen., & duobus Judicibus cauſarum. Poſtea idem Secretarius leget intelligibili voce caput 1.3. p. noſtrarum Conſtitutionum, & cum pervenerit ad illa verba, *omnes juramentum præſtent*: tunc omnes Gremiales mediocriter ſurgentes, tacto pectore, publicè more Sacerdotali jurabunt.

5. Advertendum eſt ab omnibus tale juramentum tria complecti: Primò quod in electionibus ſibi ipſis non ſuffragentur: Secundò quod meliorem, & digniorem in officiis eligant: Tertiò quod non eligant eos, quos noverint prætendere ad aliquod officium. Et ultra dictum juramentum, advertant etiam Electores formale pręceptum in noſtris Conſt. latum in §. quinto, ejuſdem cap.

quod

quod quando legetur à Secretario, in ſignum promptæ obedientiæ omnes genuflectent.

6. Erit conveniens Præſidentem de his omnibus Capitulares, brevi gravique Sermone admonere, & ad obſervantiam prædictorum adhortari.

7. Statim ac Pręſidens loqui compleverit, Secretarius ſtans, intimabit intelligibili voce electionem quatuor Definitorum Generalium, dicens; deveniendum eſt ad electionem quatuor Deſinitorum Generalium, & Primo eligatur Primus pro Provincia N. & nominabit illam, cui competet, ſecundum circuli diſpoſitionem.

8. Electio canonicè fiet per ſchedulas ſecretas, prout in §. 4. cap. 1. *3*. p. noſtrarum Conſt. Si verò aliquis Electorum infirmitate detentus ad locum Capituli adire non potuerit; tunc Præſidens, Vicarius Generalis, & primus Definitor poterunt deputare duos Patres Gremiales qui cum vaſe clauſo, & ſigillato recipiant ſchedulam à manibus infirmi in dicto vaſe repoſitam, & ſic clauſam, & ſecretam intra dictum vas ad Præſidentem publicè deferent, quod etiam obſervabitur in aliis electionibus, ſi caſus occurret.

9. Omnibus ſchedulis collectis, extrahentur è vaſe à Præſidente, & numerabuntur, adjuvante altero Patre, ex illis proximioribus, & hi tres, ſcilicet Præſidens, Vicarius Generalis, & primus Definitor ſcrutabuntur ſuffragia electionis primi Definitoris eligendi, & fient cętera, ut ſupra dictum eſt in electione Judicum cauſarum; & poſt electionem verbalem confirmabitur à Præſidente his verbis.

Ego N. Cardinalis N. & auctoritate Apoſtolica Præſidens, & ſcrutator, confirmo te P. N. in Primum Definitorem, vel Secundum, Tertium, vel Quartum Definitorem Generalē hujus Congreg. Fratrum excalceator. S. Auguſtini Italiæ, & Germaniæ. In nomine Patris, &c.

10. Primus Definitor electus, & confirmatus, ſtatim ſedebit à dextris Præſidentis, & primus Definitor ex

præ-

præteritis ſedebit à dextris Vicarii Generalis; poſtea Secretarius intimabit electionem ſecundi Definitoris Generalis, iiſdem verbis, ut ſupra, & etiam tertii, & quarti, quorum electiones fient, & confirmabuntur, ut ſupra.

11. Dictis quatuor Definitoribus Generalibus recenter electis, ſtatim tradentur ſigilla ſuorum reſpectivè Officiorum à Præſidente à quo genuflexi, & cum oſculo humiliter iidem Definitores accipient.

12. Electis quatuor Definitoribus egredientur omnes è loco Capituli, & remanebunt Præſidens, Vicarius Generalis à dextris ejus, & poſt ipſum primus Definitor ex præteritis, primus Viſitator, & Procurator Generalis, A ſiniſtris verò Præſidentis, primus Definitor, & poſt ipſum alii tres Definitores noviter electi, qui omnes hoc ordine ſedebunt.

13. Hi novem per ſchedulas ſecretas eligent Secretarium Capituli Generalis, qui ſtatim ac electus erit, ante Præſidentem gennflexus ab illo confirmabitur; cui etiam fidelitatis juramentum tacto pectore præſtabit, & poſtea ſuo loco ſedebit.

14. Denique Præſidens deſignet duos Definitores noviter electos, quibus tradentur omnes litterę Definitorio aut Capitulo Generali à quocumque Miſſę, qui illas ſecretò, ac diligenter conſiderantes conficient ipſarum ſummaria à tergo, ut in ſequentibus ſeſſionibus à dictis novem examinari poſſint, & terminabitur ſeſſio, ut ſupra.

Seſſiones Feriæ ſecundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ.

1. DIcto *Veni Sancte Spiritus*, cum Verſic. & orat. ut ſuprà in ſequentibus diebus, ſcilicet Fer. 2. 3. 4. & 5. congregabuntur Præſidens, & octo Patres prædicti cum Secretario Capituli, tam de ma-

manè, quam poſt veſper. pro expeditione cauſarum, & negotiorum. Quilibet in hoc Definitorio proponet, quæ tractanda occurrent, ſed primo accedent Diſcreti Provinciarum, per ordinem vocandi, qui tradent litteras, ſeu inſtantias illarum, & Conventuum, ſi habebunt; quæ coram ipſomet Diſcreto à Secretario legentur, ut reddat rationem, ſi interrogatus fuerit, & Secretarius notabit in folio ad hoc deputato quæ conſideratione digna PP. judicabunt. Poſtmodum accedent Provinciales, cæterique Gremiales idem facturi, qui etiam oretenùs, ſi quid habebunt, proponent, & Secretarius pariter notabit. Denique duo Definitores à Præſidente deputati præſtabunt ſummaria litterarum ab ipſis confecta, & pariter Secretarius notabit, ut dictum eſt.

2. His ſic habitis, & notatis, Secretarius incipiet legere negotia, prout à ſe notata erunt, & PP. ſigillatim illa diſcutient, & examinabunt, ac per fabas albas, & nigras decident; Secretario ſemper notante quot ſuffragia, affirmativa, & quot negativa; legentur etiam Decreta condita in proximo præterito Capitulo Generali, ut ſi aliquid ex eis confirmatione indigeat, poſſint facilè PP. advertere, attendentes ſemper, quod diſponunt Conſt. noſtræ p. 3. c. 2. §. 13. quæ ſanciuntur, pauca, & ſtabilia eſſe, ſicut è contrario legum multitudo, & inconſtantia obſervationem labefactant.

3. Determinabitur etiam in dictis ſeſſionibus, quot Monaſteria in ſequenti triennio ab unaquaque Provincia acceptari poſſint. Aſſignabitur etiam Conventus, in quo ſubſequens Capitulum Generale Celebrari debebit. Et denique omnia alia graviora negotia expediet ibi, tractari.

Feria Sexta. Seſſio 12. de manè.

1. MIſſa de Spiritu Sancto ſolemniter celebrata, & hora competenti campanula pulſata, tendent omnes Gremiales ad locum Capituli; ibi-

ibique dicto à Præſidente: *Veni Sancte Spiritus* &c. ſurgent omnes, & Præſidens dicet. *Adjutorium noſtrum* &c. ut ſupra, *Benedicite* &c.

2. Poſtea ſedentibus omnibus, Præſidens Sermonem habebit de bona electione facienda, & poſtquam finem dicēdi fecerit, omnes genuflexi in ſuiſmet locis per quartam horæ partē devotè, & mentaliter orabunt; qua oratione expleta ad nutū Prẹſidentis omnes ſurgāt, & ſedeāt.

3. Poſtea à Secretario clara voce legetur §. 5. cap. 1. tertię partis noſtrarum Conſtit. & ad Verba illa: *Unuſquiſque Juramentum de his præſtet*; omnes more Sacerdotum tacto pectore jurabunt. Denique à Secretario ſtante, electio Vicarii Generalis intimabitur his verbis: Deveniendum eſt ad electionem Vicarii Generalis totius noſtrę Congregationis, deſumendum ex Provincia N. illam explicando ſecundum diſpoſitionem Circuli, Tunc unuſquiſque Gremialium per ſchedulas ſecretas faciet, ut dictum eſt ſupra in aliis electionibus generalibus. Scrutatores votorum, ſeù ſchedularum in iſta electione erunt Prẹſidens, Vicarius Generalis abſolutus, & primus Definitor noviter electus.

4. Facta electione per vota, & publicata ab uno ex ſcrutatoribus, fiet etiam verbalis à Præſidente, ut dictum eſt ſuprà his verbis: Ego N. Card. N. Et Auctoritate Apoſtolica Prẹſidens, & ſcrutator vice mea, & prẹſentium Electorum eligo te P. N. in Vic. Gen. hujus Congreg. Diſcalceator. S. Auguſtini Italię, & Germaniæ. In nomine Patris, & Filii &c.

5. Tunc dictus Vicarius electus egredietur è loco Capituli, & interim Præſidens interrogabit, an aliquid obſit contra electionem, & ſi nihil, illum vocari faciat, qui ingreſſus, & genuflexus coram Prẹſidente, ab ipſo confirmabitur his verbis.

Ego N. Cardinalis &c. auctoritate Apoſtolica Prẹſidens, Scrutator, vice mea, & omnium prẹſentium Electorum confirmo te P. N. in Vic. Gen. hujus Congreg.

Diſcalceatorum S.Auguſtini Italię,& Germaniæ. In nomine Patris &c. Et tradet ei Sigillum Officii, quod humiliter cum oſculo, ac genuflexus dictus Vic. Generalis electus, & confirmatus de manu Præſidentis accipiet.

6. Si verò fuerit electus in Vicarium Generalem aliquis Definitorum noviter electorum, tunc Vicarius Generalis ſupradictus ſedebit à dextris Pręſidentis, & ſtatim fiet electio canonica alterius Definitoris, qui erit quartus.

7. His expeditis: ſtatim omnibus ſurgentibus, ſolemniter intonabitur à Pręſidente Hymn. *Te Deum laudamus*; & alternatim illum canendo, ordinabitur Proceſſio verſus Eccleſiam, pręcedentibus Clerico cùm Cruce, & duobus Accolythis, & exient Portariam, ad quam convenient omnes Fratres, etiam non Gręmiales, campanis interim ſono feſtivo pulsãtibus. Ante Altare Majus ſolemniter ornatum, erunt duę ſedes, una poſita ſupra Bradellam à parte Evangelii, ad Populum verſa pro Pręſidente; altera propè infimum gradum in eadem parte Evangelii facie ad cornu Epiſtolę verſa, & cum ibi pervenerint, facta Sanctiſs. Sacramenti adoratione, ambo ſuper dictas ſedes ſedebunt; Tunc Vicarius Generalis abſolutus incipiet, & primò ante Præſidentem genuflexus Sacram Purpuram, deinde ante Vicarium Generalem ſimiliter genuflexus manum oſculabitur, obedientiam præſtando, quod & facient reliqui PP.& FF.; & ſic terminabitur functio, Præſidente dicente: *Sit nomen Domini benedictum* &c.

13. *Seſſio Fer. 6. poſt Veſperas.*

1. COnveniebant ſolum PP. Definitorii pro electionibus omnium Superiorum in qualibet Provincia &c.

2. Nunc autem, quia Electio omnium Superiorum Provinciarum fit in Capitulis Provincialibus cujuſque Pro-

Provinciæ, præfatę electiones omittuntur; Et ſolum fiet electio Secretarii Vicarii Generalis, & ſex Patrum prò incorrigibilium expulſione, ſi caſus exegerit, juxta Decr. fæl. record. Urbani Papæ VIII. & aliqua pro temporum opportunitate in bonum commune totius noſtræ Congregationis determinabuntur.

Seſſio Ultima.

1. TErminatis prænarratis congregabuntur omnes Gremiales Capituli, & dicto à Præſidente *Veni Sancte Spiritus &c.* ut ſupra, omnes ſurgent, & Secretarius intimabit electionem duorum Viſitatorum Generalium; & primo primi Viſitatoris, his verbis. Deveniendum eſt ad electionem primi Viſitatoris Generalis deſumendi ex Provincia N., & ſimiliter de ſecundo Viſitatore. His electis, & confirmatis ut ſupra, Secretarius eodem modo intimabit ultimam electionem Procuratoris Generalis, aſſumendi ex Provincia N. cui competet vigore Circuli. Statim ac Procurator Generalis electus, & confirmatus fuerit, ante Præſidentem genuflexus tacto pectore juramentum fidelitatis prętabit.

2. Omnibus electionibus, ut dictum eſt, abſolutis, Præſidens confirmabit omnes electiones canonicè factas in Perſonis, & Patribus abſentibus his verbis, Ego N. Card. N. Auctoritate Apoſtolica Præſidens, & Scrutator, confirmo omnes, & ſingulas electiones in iſto Capitulo, ſeu Definitorio Generali factas eorum omnium, qui abſentes ſunt. Et hoc in nomine Patris &c.

3. Deinde omnes Gremiales, & maximè ad Prælaturas electi genuflectent, ſolo Præſidente ſedente, & profeſſionem fidei facient, quæ à ſolo Secretario Capituli etiam genuflexo nomine omnium alta voce legatur ſic.

Nos omnes in hoc Capitulo Generali congregati, &

aliorum nomine ad officia in hac noſtra Congregatione electorum firma fide credimus, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & terræ viſibilium omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum antè omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen, de lumine. Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato: paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare Vivos, & Mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Item Credimus Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admittimus, & amplectimur.

Item Sacram Scripturam juxta ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admittimus, nec eam unquam niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum accipiemus, & interpretabimur.

Profitemur quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ legis à Jeſu Chriſto Domino Noſtro in-

ſtituta

ſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita fuerunt amplectimur, & recipimus.

Profitemur pariter in Miſſa offerri Deum verum, proprium, & propitiatorium, pro Vivis, atque Defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realitèr, & ſubſtantialitèr Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem, quam converſionem, Eccleſia Catholica tranſubſtantiationem vocat. Fatemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi: Conſtanter tenemur Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium Suffragiis adjuvari,ſimiliter &Sanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos, atque orationes pro nobis Deo offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas firmiſſimè aſſerimus.

Imagines Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam; Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe,illarumque uſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmamus.Sanctam Catholicam, Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſcimus. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principi Succeſſo-

ceſſori,ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondemus, ac juramus; Cætera item omnia à Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſanta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus, atque profitemur, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas nos pariter damnamus, rejicimus, & anathematizamus. Hanc verò Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profitemur, & veracitèr tenemus, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à noſtris Subditis, vel illis, quorum cura ad nos in munere noſtro ſpectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in noſtris erit curaturos.

In correctionibus Judicialibus gravium criminum, & in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, deſtitutionibus, & repulſionibus faciendis, de perſonis dictæ Congregationis, fideliter ſecundum Deum, & regulam Sancti Patris Noſtri Auguſtini, Sacros Canones, ac noſtras Apoſtolicas Conſtitutiones, puramque, & rectam conſcientiam nos habebimus, ac toto noſtræ Gubernationis tempore, quantum in nobis fuerit, adnitemur ſtudioſiſſimè, ut Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, obſervantia in Congregatione exquiſitè vigeat, itaut de cultu Divino, & de Regulari diſciplina, ſi quid ad meliorem formam redigendum compererimus, non patiemur, ut cura noſtra labor, ſtudium, induſtria deſideretur. Amen.

Poſtea tangendo librum Evangeliorum dicat. Ita ego F. N. à S. N. vice mea, & aliorum nomine ſpondeo, voveo, & juro ſic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

4. His peractis Secretarius Capituli omnibus ſtantibus leget, ſubjectum præceptum.

Nos N. Cardinalis &c. auctoritate Apoſtolica Præſidens

dens vobis omnibus Gremialibus hujus Capituli, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, ac ſub præcepto formali, ut unuſquiſque veſtrum denunciet nobis, & Definitoribus Noſtris electis infra hunc diem, quidquid contra Vicarium Generalem, Definitores, & Viſitatores Generales pręcedentes dignum fuerit correctione. Et hoc in nomine Patris &c. Dat. In Conventu Jeſu Mariæ de Urbe anno N. die &c. Et ſubſcribetur ab eodem Præſidente, & Secretario Capituli, & cum legentur illa verba *Præcipimus* omnes genuflectent.

5. Poſtea verò omnes ſedebunt, & Secretarius Capituli ſtans, clara voce, omnia acta Capituli publicè leget; & in fine intimabit obſervantiam Decretorum ad S. Officium pertinentium. Subinde omnes genuflexi faciem ſuper terram inclinabunt, Quibus Præſidens ſedens impartietur abſolutionem generalem in hac forma.

Dicto à Patribus *Confiteor &c.* Præſidens dicat *Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam &c.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam miſericordiam, & Sanctiſſimam Paſſionem vos abſolvat, & ego auctoritate, qua fungor, & quatenus mihi conceſſa eſt, abſolvo vos à vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, & à participatione cum excommunicatis, & à macula Apoſtaſiæ, ſi incurriſtis, & reſtituo vos Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, & communioni Fidelium, ſi neceſſe eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Eadem auctoritate mihi conceſſa in quantũ poſſum, & debeo, diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, ſi tenemini, & reſtituo vos ad executionem, & adminiſtrationem Sanctorum Sacramentorum Eccleſię, & ad alia. Ab apertis culpis, & à communibus tranſgreſſionibus Regulæ, & ordinis noſtri Dominus noſter Jeſus Chriſtus vos abſolvat; Et ego auctoritate, qua fungor abſolvo vos; In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Do vobis auctoritatem meam, ut unuſquiſque veſtrũ poſſit ſibi eligere Confeſſorem hujus noſtræ Congregatio-

tionis habentem auctoritatem, à quo valeat abſolvi ab omnibus peccatis ſuis, quemadmodum, & à me; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Pro ſpeciali pęnitentia Sacerdotes dicant ſemel. *Laudate Dominum omnes Gentes.* Et non Sacerdotes *Pater, & Ave.*

6. Tunc omnibus ſedentibus Præſidens brevem exhortationem faciet, ſuper obſervantiam noſtrarum Conſtitutionum, & Decretorum conditorum omnium animum inducens. Demum ſigillatim omnes Patres Capituli, primò Sacram Purpuram Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Præſidentis deoſculabuntur, & poſtea ordinatim, omnes ſe amplectentur, de more, & à Præſidente Capituli finis imponetur dicendo.

℣. Sit nomen Domini benedictum

℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

De Ritu Celebrandi Capitula Provincialia in Provinciis Italiæ. Cap. X.

EXpleto quolibet triennio, Sabbato ante Dominicam tertiam poſt Paſcha Reſurrectionis, Anno immediatè præcedenti celebrationem Cap. Gen. celebrandum eſt Capitulum Provinciale, ad quod conveniant Gremiales, præſcripti in methodo celebrandi hoc Capitulum, ſervato debito ordine, & præcedentia.

Quare die prędicto valdè manè Provincialis cum Miniſtris ad ejus nutum, Miſſam de Spiritu Sancto ſolemniter Celebrabit pro felici progreſſu Capituli; Interim, ſeu prius omnes Gremiales Miſſam dicent, ita ut ad ſonum campanulæ omnes expediti congregari poſſint.

Quibus expeditis ad nutum Præſidentis Cap. Provincialis pulſetur Campanula, prout in Cęremoniali noſtro, ſcilicet tribus vicibus conſequenter, pro prima Seſſione Capituli Provincialis. Hoc idem ſervetur in diebus ſequen-

quentibus, uſque ad finem Capituli, Et congregatis omnibus pergent in Eccleſiam ubi per Sacerdotem Stola, & Cotta indutum aperietur Tabernaculum, ibique aliquantiſper orabunt; Et deinde intonato Hymno à Cantoribus, proceſſionalitèr præcedentibus Accolythis cum Cruce, & candelabris ad locum Capituli pergent proſequendo Hymnum.

Veni Creator Spiritus,

Et alternatim proſequentur:

Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quę tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus;
Altiſſimi donum Dei;
Fons vivus, ignis charitas,
Et Spiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternę dexteræ.
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus.
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriuſque ſpiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit ac Paraclito
In ſęculorum ſęcula, Amen.

Cum ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & ℟. Et renovabis faciem terræ.

Tunc Præſidens dicet, Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea ſurgent omnes, Præſidente dicente.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

℣. Benedicite. ℟. Deus.

Quæ in initio cujuslibet Seſſionis ſemper dicuntur.

2. Præſidens ſedebit, cæteris ſtantibus, Secretarius Cap. Prov. leget alta voce ſtans nomina omnium Gremialium per ordinem Conventuum, & Dignitatum, qui ſunt de Gremio Capituli juxta diſpoſitionem methodi, eodem ordine, quo nominantur, locum reſpectivè habebunt. Gremiales, qui ſunt præſentes, reſpondeant per verbum: *Adſum*, ſi verò aliquis abſens fuerit; Secretarius clara voce ſubjunget; P. N. Abſens eſt propter talem cauſam: illam explicando.

Quibus peractis Præſidens porrigat litteras patentes Vicarii Generalis in quibus datur ei facultas præſidendi Capitulo Provinciali, quas Secretarius reverenter acceptas, clara voce, omnibus ſtantibus, excepto Preſidente, leget, & ad illa verba: *Præcipimus in virtute Spiritus Sancti* &c. omnes genuflectent, & ad ſignum Preſidentis ſurgent; quibus lectis ſtatim omnes ſigillatim incipiente Provinciale, accedent ad Præſidentem, & humilitèr ſacram ejus corrigiam oſculando, genuflexi ei obedientiam præſtabunt, & recedentes ſuis locis ſedebunt. Secretarius litteras patentes in actis regiſtrabit, & originale in Archivio Provinciali aſſervabitur.

4. Præſtita ſic ab omnibus obedientia Secretarius ſolus

lus ſtans (qui ſemper ſtabit, quotieſcumque aliquid leget, vel ad interrogata reſpondebit) alta voce dicet. Accedant Diſcreti per ordinem Conventuum, & referant nomina Fratrum noſtrorum, & Inſignium Benefactorum in hoc triennio Mortuorum, ac etiam Vivorum.

5. Diſcretus ſtans in medio, facie ad Præſidentem verſa accedendo, & recedendo factis debitis reverentiis, perorando referet brevitèr nomina, & qualitates Fratrum Defunctorum in ſuo Conventu in illo triennio; & etiam nomina, & merita ſecularium Benefactorum, tam Mortuorum, quam Viventium, & eos ſuffragiis Fratrum efficacitèr commendabit; Quod ſimilitèr facient omnes Diſcreti per ordinem Conventuum.

6. Poſtea Provincialis commemorationem faciat eorum, quos Diſcreti forſitan prætermiſerint; ſtatimque Præſidens cum cæteris ſurgens intonabit Pſalmum *De profundis*; quem alternatim perſolvent dicendo. In fine. *Requiem æternam* &c.

Poſteà Præſidens dicat.

℣. A porta Inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc ſeculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ Beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

℣. Requiem æternam &c.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

Quæ preces perſolvuntur brevitatis cauſa, nam Præſidens in fine Capituli aliqua ſtatuet ad ſuum libitum ſuffragia, intra determinatum tempus ab unoquoque Conventu perſolvenda; ut infra in fine.

7. His peractis, ſtatim excluduntur à loco Capituli omnes non Gremiales, Secretario dicente: Exeant omnes vocem in hoc Capitulo non habentes; quibus egreſſis Oſtiarius, à Præſidente aſſignatus claudet januas, juxta, quas, extra tamen, continuo manebit toto tempore Capituli, ad celeriter exequenda mandata Præſidentis, & Gremialium.

8. Excluſis ſuffragia ferre non valentibus, ſedentibus Præſidente, & Gremialibus, Secretarius ſtans, dicet alta voce: Deveniendum eſt ad electionem duorum Aſſiſtentium ſeù Judicum cauſarum. Ad hoc officium poſſunt eligi omnes, modo ſint preſentes, & non ſint Diſcreti. Electio fiet Canonicè ab omnibus Gremialibus per ſchedulas ſecretas. Præſidens, Provincialis, & Primus Definitor Provincialis, vel eo deficiente, ſecundus, & ſic de cæteris, ſcrutabuntur ſuffragia, & ſcribent in folio nomina, & numerum votorum ſcilicet: P. N. habuit Vota ..... P. N.habuit Vota ....., & poſtea Præſidens dicta ſuffragià notata legendo electionem clara voce pronuntiabit. Habemus electionem; ſi adſit numerus Votorum vel dicet; Non habemus electionem; ſi vota non fuerint ultra medietatem: tunc enim Secretarius dicet. Deveniendum eſt ad ſecundum ſcrutinium pro dicta electione: Quod ſemper obſervabitur, quoties non erit electio Canonica. Facta electione primi, fiet eodem modo electio ſecundi Aſſiſtentis.

9. Quia verò; Ex cap. 42. de electione: *quia propter*: poſt ſcrutinii publicationem in electione Canonica de-

debet fieri electio verbalis, ideo Præſidens ſedendo in hac forma dicet.

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Adm. R. P. V. Gen. noſtræ Congregationis Italiæ, & Germaniæ Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, præſentis Capituli Præſidens Generalis, vice mea, & omnium Electorum preſentium eligo te P. N. in primum (vel ſecundum) Judicem cauſarum in hoc præſenti Capitulo Provinciali. In nomine Patris &c.

Et dum Præſidens hæc verba profert, electus ſtabit.

10. Quibus prolatis, electus diſcedat è loco Capituli, quo egreſſo, Præſidens pro informatione interroget omnes, dicendo. Habet ne aliquis veſtrum aliquid contra Electum, vel contra electionem? & nullo opponente, pulſabit campanulam, ad cujus ſignum Electus ingredietur, & ante Præſidentem genuflexus ab ipſo confirmabitur his verbis.

Ego Fr. N. auctoritate Admodum R. P. V. Generalis Præſidens, & Scrutator, nomine meo & omnium qui te elegerunt; confirmo te in primum (vel ſecundum) Judicem cauſarum in hoc præſenti Capitulo Provinciali, In nomine Patris, & Filii &c.

11. Modus hic, ſeu ritus obſervabitur in omnibus ſequentibus electionibus Canonicis, quoties, vel à toto corpore Capituli, vel à ſolo Definitorio Provinciali fient, ſi electus ſit præſens; ſi verò fuerit abſens, confirmabitur in fine Capituli cum ceteris electis abſentibus, ut infrà dicetur.

12. Facta Aſſiſtentium electione Secretarius alta voce dicet. Accedant per ordinem Conventuum PP. Diſcreti, & præſentent litteras patentes ſuarum electionum. Qui ſtatim patentes cum oſculo Præſidenti porrigent, factis ante, & poſt debitis reverentiis; quibus ab omnibus præſentatis, omnes è Capitulo egredientur, remanentibus ſolummodo Præſidente, Provinciali, Aſſiſtentibus, & Secretario.

13. Pa-

13. Patentes diligenter examinentur à Præſidente, & reliquis tribus Patribus, an dictorum electiones ſint juridicè factæ, obſervando ſcripturam, ſigillum, ſubſcriptiones &c. Si aliquem defectum eſſentialem invenerint, curent vocari malè electum, cui à Secretario intimetur, ut reddat rationem ſuæ electionis; ſi verò invenerint omnes legitimè factas, Secretarius ſequens decretum his verbis extendat in folio.

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Adm. Rev. P. V. Generalis Præſidens, & ſcrutator in hoc Capitulo Provinciali viſis, & examinatis litteris teſtimonialibus cujuslibet Diſcreti omnium Conventuum hujus noſtrę Provinciæ, una cum Provinciali, ac duobus Aſſiſtentibus invenimus eis ritè, & rectè factas, ac perindè eorum electiones Canonicas, & legitimas eſſe, & exiſtere declaramus. In nomine Patris &c. Dat. in Conventu N. Die N. Menſis N. Anni N.

Subſcribent PP. Præſidens, Provincialis, duo Aſſiſtentes, & Secretarius.

14. Si verò aliqua electio Diſcretorum fuerit inventa invalida, declaretur talis in eodem Decreto, exprimendo cauſam. Poſt dictum Decretum ſcriptum, antequam vocentur omnes Gremiales, Secretarius ſcribet, & extendet ſequens præceptum.

Nos F. N. à S. N. auctoritate Adm. Rev. P. Vicarii Generalis Præſidens omnibus, & ſingulis vobis Gremialibus præcipimus in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, & ſub formali præcepto, ut antequam congregemini hodie poſt Veſperas, unuſquiſque veſtrum denunciet nobis, an ſciat aliquod impedimentum, propter quod aliquis in hoc Capitulo Provinciali vocem habere nequeat. In nomine Patris &c. Subſcribet Præſidens ſolus, & Secretarius.

15. His ita diſpoſitis ad nutum Pręſidentis, Janitor pulſabit campanulam ad convocandos Gremiales in locum Capituli; quibus omnibus ingreſſis, ac ſtantibus Secreta-

ta-

tarius alta voce leget; primo Decretum de electionibus Diſcretorum Conventuum, & poſtea intimabit præceptum ſupradictum & ad illa verba: *Præcipimus*; omnes genuflectent; quo lecto, omnes ſurgent, & ſic terminabitur prima Seſſio Pręſidente dicente:

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.

Seſſio ſecunda eadem die poſt Veſperas.

1. PUlſata campanula pro convocatione Capitularium, primò congregabuntur tantum Præſidens, Provincialis, duo Aſſiſtentes, & Secretarius; dictoque. *Veni Sancte Spiritus*, cum verſ. & Oratione, ut ſupra; aliquam competentem moram in loco Capituli ſedentes facient ad recipiendas denunciationes, ſi quę erunt, vi pręcepti lati; Quod ſi aliqua denunciatio facta fuerit, de plano cauſam examinabunt, & ſtatim ſententiam ferent, cui omnes parere teneantur ſub pœna privationis vocis activę, & paſſivę per duos annos, prout in noſtris Conſtitutionibus, & in Methodo &c. Si verò nulla denunciatio facta fuerit; tunc juſſu Pręſidentis à Secretario extendatur in folio ſubjectum Decretum.

Nos F.N. à S. auctoritate Adm. Rev. P. V. Gen. Pręſidens hujus Capituli Provinc., una cum Provinciali, & duobus Aſſiſtentibus, poſt noſtri pręcepti formalis publicationem, ac omnibus peractis de jure peragendis invenimus omnes Gremiales ad hoc Capitulum Provinciale perventos, & coadunatos, legitimè in eo vocem habere, & ita dicimus, pronunciamus, & declaramus. In nomine Patris &c. Datum &c. Die &c.

Subſcribet Præſidens, & Secretarius.

2. Antequam pręd ictum Decretum publicetur. Pręſidens, & dicti tres Patres diligentèr examinabunt, quot PP. in illa Provincia, ſint vacaturi in ſequenti triennio,

&

& circa vocem paſſivam habendam dubia reſolvent; vigore Brevis Urbani Octavi incipientis : *Circumſpecta*, & Declarationum Sac. Congregationis; & Secretarius notet in folio nomina, cognomina, & cauſas vacandorum, qui die ſequenti antè electionem Definitorum Provincialium publicabuntur.

His ita digeſtis, ad nutum Præſidentis Janitor Capituli, pulſabit de more campanulam ad cõgregandos omnes Gremiales, & poſtquam omnes ſuis locis ſederint, Secretarius ſtans, jubente Præſidẽte leget intelligibili voce ſupraſcriptum Decretum de validitate vocalium; ſtatimque ſubjunget eadem voce. Vobis omnibus hic præſentibus intimatur electio quatuor Definitorum Provincialium, facienda die ſequenti poſt Veſperas ac etiam Secretarii Provincialis. Et terminabitur Seſſio Præſidente dicente.

℣. Sit nomen Domini &c.

℟. Ex hoc nunc &c.

Seſſio tertia, Dominica poſt Veſperas.

1. PUlſata ter Campanula de more, & convocatis in loco Capituli omnibus, & ſingulis Gremialibus, Præſidens intonabit Hymn. *Veni Creator Spiritus* &c. qui totus perſolvetur cum Verſiculo, & Oratione, ut ſupra; Deinde ſolus Præſidens ſedeat, & cæteri genuflexi faciem ad terram figent, dicendo: Confiteor Deo Omnipotenti &c. uſque in finem, quo expleto, Præſidens dicet.

Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus.

℟. Amen.

Po-

Poſtea ſubdit.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam Miſericordiam, & Sanctiſſimam Paſſionem vos abſolvat, & ego auctoritate qua fungor, & quatenus mihi conceſſa eſt, abſolvo vos ad effectum Electionum faciendarum à vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, ſuſpenſionis, & interdicti (ſi incurriſtis) & reſtituo vos Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, & Communioni Fidelium, ſi neceſſe eſt. In nomine Patris, &c. ℟. Amen.

2. Deinde tàm Præſidens, quàm omnes alii ſurgent, & ab illo dicetur ℣. *Adjutorium noſtrum &c.* ℟. Qui fecit &c.

3. Præſidens poſteà ſolus ſedeat, cæteris ſtantibus, Provincialis accedat ante Præſidentem, & genuflexus culpam de more dicat, officio ſe abdicet, & cum oſculo ſigillum Præſidenti tradat, qui illud recipiendo, in vaſe ad hoc præparato ſuper tabulam antè ipſum reponat. Poſtquam Provincialis officio ſe abdicaverit, Definitores Provinciales, & poſt ipſos Priores idem efficient; culpam ſcilicet ſuam dicant, ſigillum tradant, & ad ſua reſpectivè loca redeant.

4. His peractis, omnibus ſedentibus, Secretarius ſolus ſtans alta voce in ſchedula ante confecta legat nomina omnium Patrum, qui in ſequenti triennio vacaturi erunt per ordinem Conventuum, incipiendo ab illo in quo Celebratur Capitulum Provinciale.

5. Poſteà idem Secretarius legat intelligibili voce cap. 1. 3. part. noſtrarum Conſtitutionum, quod dum legitur, ad præceptum formale in §. 5. omnes genuflectent, & cùm pervenerit ad illa verba; *Omnes juramentum præſtent*: tùnc omnes Gremiales mediocritèr ſurgentes, tacto pectore publicè more Sacerdotali jurabunt.

6. Advertendum eſt; Tale juramentum tria complecti.

Primò : Quod in electionibus faciendis, nullus ſibi ipſi ſuffragetur.

Secundò : Quod meliorem, & digniorem in Officiis unuſquiſque eligat.

Tertiò; Quod nullus eligat eum, vel eos, quos noverit prętendere ad aliquod officium.

7. Poſteà Præſidens brevi, & gravi Sermone omnes adhortetur ad prædicta obſervanda, & habendum præ oculis Deum, & zelum noſtræ Congregationis in electionibus faciendis. Nam in Capitulo Provinciali quatuor ſunt conſideranda.

1. Novitiorum receptio, educatio, approbatio, profeſſio, & ſpiritualis profectus, tàm in domibus Novitiatus, quàm Profeſſorii degentium. Hìnc invigilandum ſuper omnia exercitia ſpiritualia, præcipuè ſolitudinis, quod totum dependet à bonis Magiſtris.

2. Summoperè pro felici progreſſu ſtudiorum tàm in Scholaſticis, quàm in Concionibus, Sacramento Pœnitentiæ, libris componendis, & imprimendis. Qui enim ſimilia faciunt cum fructu, dummodò ſint obſervantes, honorentur, & conſerventur, ut animentur.

3. Circa Superiores quomodo ſe gerere debeant in ſuo gradu, ut inferior ad Superiorem habeat dependentiam, & Superior inferioris tueatur auctoritatem. Quapropter in eligendis attendenda eſt Prudentia.

4. Circa bonum temporale, circa victum, & veſtitum, tam pro ſanis, quàm pro infirmis, circa æconomiam, & alia. Ad quæ maximè conducit bona electio Priorum, qui vitæ communi ſint aſſueti, qui charitatem habeant, qui æconomia polleant, qui nec nimis duri ſint in negando, nec nimis faciles in concedendo, quæ neganda, & concedenda non ſunt. Ante omnia cultus Divinus ſemper eſt attendendus. Quare non niſi Choro aſſueti, in Superiores ſunt promovendi.

Bulla etiam fel. record. Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii Papæ X. de non acceptandis Monaſteriis incipien.

cipien. *Inſtauranda*: valdè attendenda.

8. Statìm ac Præſidens Sermonem compleverit ad nutum ipſius, Secretarius ſtans intellgibili voce electionem quatuor Definitorum Provincialium intimabit, dicens: Deveniendum eſt ad electionem quatuor Definitorum Provincialium, & primò eligatur Primus.

9. Electio Canonicè fiat per ſchedulas ſecretas, proùt in cap. 1. 3. part. §. 4. noſtrarum Conſtit. Si verò aliquis electorum infirmitate detentus ad locum Capituli adire non potuerit, tùnc Præſidens, Provincialis, & Primus Definitor poterunt deputare duos Patres Gremiales, qui cum vaſe clauſo, & ſigillato recipiant ſchedulam de manu Infirmi in dicto vaſe repoſitam, & ſic clauſam, & ſecretam intra dictum vas ad Præſidentem publicè deferent, quod etiam obſervabitur in aliis electionibus, ſi caſus occurrerit.

10. Omnes ſchedulæ collectæ extrahentur è vaſe à Præſidente, & numerabuntur, adjuvante alio Patre ex proximioribus, & hi tres ſcilicèt, Præſidens, Provincialis, & Primus Definitor, ſcrutabuntur ſuffragia, &c. & omnia obſervabuntur ſicuti in electione Judicum cauſarum. Habita votorum ſufficientia fiet electio verbalis à Præſidente his verbis:

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Admodum Rev. P. V. Generalis noſtri Præſidens, & Scrutator hujus Capituli Provincialis nomine meo, & omnium Electorum præſentium eligo te in Primum Definitorem (vel ſecundum vel tertium, vel quartum) Provincialem hujus noſtræ Provinciæ &c. Congreg. FF. Erem. Diſcal. S. P. Auguſtini Italiæ, & Germaniæ. In nomine Patris, & Filii &c.

Et è Capitulo egreſſus, ac denuò revocatus, electus confirmabitur à Præſidente his verbis:

Egc Fr. N. à S. N. auctoritate Admodum Rev. P. V. Generalis hujus noſtræ Congregationis Præſidens, & Scrutator confirmo te in Primum, (vel ſecundum, vel

tertium, vel quartum) Definitorem Provincialem hujus noſtræ Provinciæ &c. In nomine Patris &c.

11. Primus Definitor ſic electus, & confirmatus ſtatim ſedebit à ſiniſtris Præſidentis immediatè poſt ipſum.

12. Poſteà Secretarius ſtans, intimabit electionem ſecundi Definitoris iiſdem verbis, ut ſuprà, deindè tertii, & quarti,quorum electiones ſigillatim fient, & confirmabuntur, ut ſupra.

13. Quatuor Deſinitoribus recentèr electis, ttadentur ſtatim ſigilla ſuorum reſpectivè Officiorum à Præſidente, à quo genuflexi, & cùm oſculo humiliter accipient, & ad ſua reſpectivè loca pergent, ut infra.

14. Electis quatuor Definitoribus egredientur omnes Gremiales è loco Capituli, & ſolum remanebunt, Præſidens, Provincialis, quatuor Definitores recentèr electi, & Prior localis cum Secretario qui hoc ordine ſedebunt.

Præſidens ſolus in medio.

A dextris Præſidentis.

Provincialis.
Secundus Definitor.
Quartus Definitor.

A ſiniſtris Præſidentis.

Primus Definitor.
Tertius Definitor.
Prior Localis.

15. Hi ſeptem per ſchedulas ſecretas eligent Secretarium Capituli, qui ſtatim ac electus fuerit, antè Pręſidentem genuflexus ab illo confirmabitur, ut ſupra; qui etiam fidelitatis juramentum tacto pectore præſtabit, poſtea ſuo loco ſedeat, & officium ſuum exerceat ſtatim.

16. Deniquè Pręſidens deſignet duos ex Definitoribus recentèr electis, quibus tradantur litterę Capitulo, vel Definitorio Provinciali à quocumque miſſę, qui illas

illas inter ſe dividant ſecreto, & diligenter conſiderent, & conficient à tergo ſummarium ipſarum, ut in ſequentibus Seſſionibus à Definitorio examinari poſſint.

17. Advertant PP. Definitorii, quod in virtute Spiritus Sancti, & Sanctę Obedientię pręcipitur, ne litteras ſine nomine, vel nomine ficto, quę vulgò dicuntur Orbę, nequè publicè, nequè privatè inter ſe, nèc ſinguli ſingulariter legant, ſed ſtatim ac apertę, ac ſine nomine repertę fuerint, vel ſcindantur, vel comburantur; ut in methodo &c.

Et terminabitur Seſſio Pręſidente dicente.

℣. *Sit nomen Domini &c.* ℟. *Ex hoc nunc&c.*

Seſſiones Feriæ Secundæ, Tertiæ, & Quartæ.

1. PUlſata de more Campanula congregabuntur Fer. 2. 3. & 4. tàm de mane, quàm poſt Veſperas, Pręſidens, Provincialis, quatuor Definitores recenter electi, & Prior Localis cum Secretario Capituli noviter electo, qui ordine ut ſupra ſedebunt pro expeditione cauſarum, & negotiorum.

2. Dicto igitur à Pręſidente: *Veni Sancte Spiritus*, &c. cum Verſ. & Orat. & ℣. *Adjutorium &c.* Poſtea *benedicite &c.* Quilibet in hoc Definitorio proponet, quæ tractanda occurrent.

3. Ad nutum Præſidentis accedant ad Definitorium. Primò Diſcreti juxta dignitatem, & antiquitatem Conventuum, qui per ordinem vocabuntur, & tradent Definitorio litteras Capituli ſui Conventus, ſi quas habebunt, quę coram ipſo Diſcreto à Secretario legentur, ut reddat rationem, ſi interrogatus fuerit, & Secretarius notent in folio ad hoc deputato, quæ conſideratione digna PP. judicabunt.

4. Egreſſo Diſcreto inter ſe conferant PP. Definitorii quænam ex ſcriptis, ſint conſideratione digniora, quæ omnia Secretarius notabit, ut auditis omnibus diſcutiantur in Definitorio, & decidantur.

5. Ex-

5. Expeditis ſingulis Diſcretis, vocentur Priores, & Vicarii Conventuum, ſervato eodem ordine antiquitatis, & ſcripto proponant, quę ipſis occurrerint; quod leget Secretarius pręſente Priore, qui rationem reddat ſi interrogatus fuerit, & ipſo egreſſo ſtatim inter ſe conferant PP. Definitorii, ſicut de Diſcretis dictum eſt.

6. Poſt Priores accedant reliqui PP. Gremiales idem facturi, qui etiam oretenus, ſi quid habebunt, proponent, & Secretarius notabit.

7. Ultimo auditis omnibus, duo illi Definitores, qui à Pręſidente fuerunt deputati, pręſtabunt ſummaria litterarum ab ipſis confecta, & Secretarius notabit &c.

8. His omnibus ſic expeditis, Secretarius incipiet legere negotia, prout à ſe notata fuerunt, & PP. ſigillatim illa diſcutient, & examinabunt, ac ſingula per fabas albas, vel nigras decident. Secretario ſemper notante, quot ſuffragia affirmativa, & quot negativa.

9. In hoc Definitorio legentur etiam ſtatuta, & Ordinationes conditę in proximè pręterito Cap. Provinciali, ut facilè PP. poſſint advertere, ſi quid ex eis confirmatione indigeat.

10. Si aliqua ſtatuta, ſeu ordinationes faciendę erunt, Secretarius exarabit in libro ad hoc deputato cum ſubſcriptione Pręſidentis, Patrum Definitorii, & Secretarii.

11. Si aliquas propoſitiones ad Capitulum Generale mittendas PP. Definitorii judicaverint, in altero libro ad hoc ſpecialitèr deputato Secretarius ſcribet, juxta diſpoſitionem Methodi, & in fine Capituli per Secretarium conficientur litterę, mittendæ per Diſcretum ad Cap. Gen. ut infra &c.

12. Alterum librum habeat Secretarius, in quo omnia acta Capituli Provincialis regiſtrabit, de Seſſione in Seſſionem.

13. Determinabitur etiam in hoc Definitorio Conventus, in quo ſubſequens Capitulum Provinciale celebrandum erit, & denique omnia alia negotia ad Provinciam

ſpe-

ſpectantia expediet ibi tractari, & etiam ea, quæ pro tota Congregatione Capitulo Generali proponenda PP. in Domino judicaverint.

14. Et unaquęque Seſſio terminabitur Præſidente dicente.

℣. *Sit nomen Domini* &c.

℟. *Ex hoc nunc* &c.

Feria quinta Seſſio decima de mane.

1. POſt Miſſam de Spiritu Sancto ſolemnitèr celebratam, pulſata campanula tendent omnes Gremiales ad locum Capituli, & dicto a Præſidente *Veni Sancte Spiritus* &c. ſurgent omnes, & Præſidens dicet ℣. *Adjutorium noſtrum* &c. ℟. *Benedicite* &c. ut ſupra.

2. Poſtea ſedentibus omnibus, Præſidens ſermonem habeat de bona electione facienda, & poſtquam finem dicendi fecerit, omnes genuflexi in ſuis locis per quartam horæ partem devotè mentalitèr orabunt. Signoque â Præſidente dato omnes ſurgant, & ſedeant.

3. Deinde à Secretario legatur clara voce §. 5. cap. 1. 3. part. noſtrarum Conſtit. & ad illa verba: *Unuſquiſque juramentum de his præſtet*; tactò pectore more Sacerdotali jurabunt. Quo lecto Secretarius ſtans, electionem Provincialis intimabit dicens. Deveniendum eſt ad electionem Provincialis hujus noſtræ Provinciæ.

4. Tunc unuſquiſque Gremialis per Schedulas Secretas faciet, ut dictum eſt ſupra in aliis canonicis electionibus.

5. Scrutatores Votorum, ſeu Schedularum erunt: Præſidens, Provincialis abſolutus, & primus Definitor ex noviter electis.

6. Habita Votorum ſufficientia, & publicata ab uno Scrutatorum electione, per hæc verba: Habemus electionem; fiet etiam verbalis à Præſidente his verbis:

Ego

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Adm. Rev. P. noſtri V. Generalis Præſidens, & Scrutator, vice mea, & omnium Electorum præſentium eligo te P. N. à S. N. in Provincialem hujus Provinciæ Fr. Erem. Diſcal. S. Aug. Congreg. Italiæ, & Germaniæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

7. Tunc Provincialis electus egredietur e loco Capituli, & Præſidens interrogabit, an aliquid obſtet electioni; quod ſi nihil, illum vocari, faciat ſigno campanulæ, qui ingreſſus, & genuflexus coram Præſidente, ab ipſo confirmabitur his verbis:

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Admod. Rev. P. V. Generalis Præſidens, & Scrutator, vice mea, & omnium, qui te elegerunt, confirmo te in Provincialem hujus noſtræ Provinciæ Diſcal. S. Auguſtini Italiæ, & Germaniæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

8. Si verò in Provincialem electus fuerit aliquis ex Definitoribus novitèr electis, confirmato Provinciali, & ipſo ſedente ad dexteram Præſidentis, immediatè fiet electio Canonica à toto Capitulo alterius Definitoris, qui inter Definitores ultimus erit.

9. His peractis, ſtatim omnibus ſurgentibus Præſidens ſolemnitèr intonabit Hymn. *Te Deum laudamus*, & alternatim illum canendo ordinabitur Proceſſio ad Eccleſiam præcedentibus Cruciferario cum Cruce, & Accolythis cum candelabris, ad quam convenient omnes Fratres, etiam non Gremiales, campanis interim ſono feſtivo pulſantibus.

10. Ante Altare Majus erunt duæ ſellæ, una à parte Evangelii pro Præſidente altera à parte Epiſtolę pro Provinciali novitèr electo.

11. Cum pervenerint ad Altare Majus, facta adoratione Sanctiſſimi Sacramenti ambo ſuper dictas ſedes reſpectivè ſedebunt. Tunc incipiente Provinciale abſoluto unuſquiſque per ordinem Dignitatum, quoad Gremia-

miales, & Profeſſionis quoad alios, ante Præſidentem primo genuflexus, deinde ante Provincialem novitèr electum manus ipſorum reverentèr oſculabuntur obedientiam præſtando.

12. Quibus expletis, Præſidens, & Provincialis ſurgent, ibique terminabitur functio ad Altare. Præſidente dicente.

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc &c.*

Seſſio undecima Fer. 5. poſt Veſperas.

1. PUlſatę de more campanula convenient ſolum PP. Definitorii pro electionibus omnium Superiorum in quolibet Conventu Provincię. Videlicèt Præſidens in primo loco, Provincialis novitèr electus à dextris ejus, Provincialis abſolutus à ſiniſtris, quatuor Definitores Provinciales novi unus à dextris, & alter à ſiniſtris, & ſuo loco Secretarius.

2. Scrutatores ſuffragiorum in hac, & ſequentibus Seſſionibus, & electionibus faciendis, tam à ſolo Definitorio, quam à toto Capitulo erunt Præſidens, Provincialis novitèr electus, & Provincialis abſolutus, ſi verò Provincialis de novo electus fuerit abſens, ejus locum ſupplebit primus Definitor recentèr electus.

3. Congregato Definitorio Præſidens dicat: *Veni Sancte Spiritus*, cum verſ. & Orat. deinde ad nutum ipſius ſucceſſivè tamen ingredietur Prior cum ſuo Diſcreto uniuſcujuſque Conventus ſigillatim, incipiendo per ordinem à Conventu, ſeu Conventibus Novitiatus.

4. Statim ac Prior, & Diſcretus ingreſſi fuerint ad nutum Præſidentis ſedeant in ultimo loco poſt PP. Definitoriii, & præſtito juramento de veritate dicenda, & non tacenda referant Definitorio ſigillatim Sacerdotes ſui Conventus, qualitatibus ornatos, qui in Priore eligi poſſunt.

5. Auditis ſingulis Prioribus cum ſuis Diſcretis, omnium, qui propoſiti ſunt, Schedulam quilibet Definitor faciet, ut ea benè perpenſa ad electionem prudentèr procedant.

6. Poſtea remanentes in Capitulo ſolum PP. Definitorii ad electiones procedant. Primo eligatur Prior Conventus Novitiatus, & ſi in eadem Provincia ſint plures Conventus Novitiatus, antiquior primo provideatur & poſtea ſpectata dignitate Conventuum eligantur omnes omnes alii Priores; Deinde Suppriores, poſteà Secretarius Provincialis, Lectores, Magiſtri Novitiorum, & Profeſſorum, & ultimo Submagiſtri.

7. Poterunt etiam conſtituere pro bono communi Provinciæ aliquem Patrem in agibilibus verſatum, qui negotiis incumbat Provincię, & ſingulorum Conventuum, ſi opportuerit, qui Procurator vocetur Provincialis.

8. Ultimo Definitorium familias componet, maturè procedendo, ità ut in quolibet Conventu ſint Fratres neceſſarii juxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum part. 3. cap. 2. §. 23.

9. Quæ omnia ſi perfici non poſſunt eadem Seſſione Fer. 5. poſt Veſperas perficient: ut in aliis duabus Seſſionibus Fer. 6. de mane, & paritèr poſt Veſperas, & terminabuntur Præſidente dicente.

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc* &c.

Seſſio duodecima. Die Sabati, manè, vel poſt Veſperas.

1. AD ſonum Campanulæ iterum congregentur omnes Gremiales Capituli Provincialis, & dicto à Præſidente: *Veni Sancte Spiritus*, cum Verſ. & Orat. ad nutum ipſius, Secretarius ſtans leget Bullam Alexandri Papæ VII. incipien. *Militantis Ec-*

Eccleſiæ : deinde intimabit electionem ſeptimi Patris, & duorum Diſcretorum, qui anno ſequenti ſunt ituri ad Cap. Gen., & duorum, qui erunt Subſtituti: dicens: Deveniendum eſt ad electionem ſeptimi Patris, & duorum Diſcretorum, qui pro hac Provincia ſunt ituri ad Cap. Gen. & primo eligatur ſeptimus Pater, quo more ſolito confirmato, ut fit in aliis electionibus Canonicis, excepta Provincia Germaniæ; quæ remanet in ſua prima diſpoſitione Brevis Innocentii XII. Eligatur primus, & poſtea ſecundus Diſcretus.

Ex Decret. Sac. Congr. Epiſcop. & Regular.

2. Horum Diſcretorum electio fiat Canonicè, dummodò habeant qualitates, & requiſita, quæ preſcribuntur in dicta Bulla fel. rec. Alexandri Pape VII. proùt actenus factum, & practicatum eſt.

3. Habita Votorum ſufficientia, fiet electio verbalis à Præſidente his verbis:

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Admodum Rev. P. noſtri V. Generalis Præſidens, & Scrutator nomine meo, & omnium præſentium electorum, eligo te P. N. à S.N. in ſeptimum Patrem, aut in Diſcretum iturum pro hac Provincia ad Cap. Gen. proximè futurum. In nomine Patris, & Filii &c.

4. Deinde egreſſus ſeptimus Pater, aut Diſcretus electus è loco Capituli, & denuò ingreſſus confirmabitur à Preſidente dicente:

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Admodum Rev. P. noſtri V. Generalis Preſidens, & Scrutator vice mea, & omnium qui te elegerunt, confirmo te in Septimum Patrem, vel Diſcretum pro hac Provincia iturum ad proximum Cap. Gen. In nomine Patris &c.

4. Facta Septimi Patris, & Primi Diſcreti electione, fiet eodem modo electio Secundi, & deindè Subſtituti primi, & Subſtituti ſecundi, qui ſimilitèr verbalitèr eligentur, & confirmabuntur à Preſidente, & terminabitur Seſſio ipſa dicente.

℣. *Sit nomen Domini, &c.* ℟. *Ex hoc nunc, &c.*

Seſſio ultima. Die Dominica poſt Veſperas.

1. CObgregatis ad ſignum Campanulę omnibus Gremialibus, & dicto à Præſidente: *Veni Sancte Spiritus*, cum Verſ. & Orat. ſi ſuper Propoſitionibus factis in Definitorio, aliquę litteræ mittendæ ſint per Diſcretos ad Cap. Gen. Secretarius illas exarabit, & à Pręſidente, Provincialibus novitèr electo, abſoluto, quatuor Definitoribus novitèr electis, & à Secretario ſubſcriptas, & ſigillo Provincię munitas primo ex Diſcretis ituris ad Cap. Gen. Secretarius conſignabit.

2. Deindè omnibus ſtantibus Pręſidens confirmabit omnes electiones Canonicè factas in perſonis, & PP. abſentibus his verbis:

Ego Fr. N. à S. N. auctoritate Admodum Rev. P. noſtri V. Gener. in hoc Capitulo Provinciali Pręſidens, & Scrutator omnes,& ſingulas electiones in hoc Capitulo, tàm ab omnibus Gremialibus, quàm à ſolo Definitorio factas, eorum omnium, qui abſentes ſunt, confirmo. In nomine Patris, & Filii &c.

3. Poſteà genuflectent omnes Gremiales Præſidente ſolum ſedente, & Profeſſionem fidei facient, quæ à ſolo Secretario etiam genuflexo nomine omnium alta voce legetur, ut infra videlicet:

Profeſſio Fidei.

NOs omnes in hoc Capitulo Provinciali congregati, & aliorum nomine ad officia in hac Provincia electorum firma Fide credimus, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, facto-

ctorem Cœli, & terræ viſibilium omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum antè omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen, de lumine. Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; Et Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato: paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare Vivos, & Mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Item Credimus Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admittimus, & amplectimur.

Item Sacram Scripturam juxta ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admittimus, nec eam unquam niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum accipiemus, & interpretabimur.

Profitemur quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ legis à Jeſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine

ne Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita fuerunt amplectimur, & recipimus.

Profitemur pariter in Miſſa offerri Deum verum, proprium, & propitiatorium, pro Vivis, atque Defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realitèr, & ſubſtantialitèr Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem, quam converſionem, Eccleſia Catholica tranſubſtantiationem vocat. Fatemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi: Conſtanter tenemur Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium Suffragiis adjuvari, ſimiliter & Sanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos, atque orationes pro nobis Deo offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas firmiſſimè aſſerimus.

Imagines Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impartiendam; Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmamus. Sanctam Catholicam, Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſcimus. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario verum obedientiam ſpondemus, ac juramus; cætera item omnia à Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipimus, atque profitemur, ſimul-

mulque contraria omnia, atque hærefes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, nos paritèr damnamus, rejicimus, & anathematizamus. Hanc verò Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in prẹſenti ſpontè profitemur, & veracitèr tenemus, eamdem integram, & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à noſtris Subditis, vel illis, quorum cura ad nos in munere noſtro ſpectabit, teneri, & prædicari, quantum in nobis erit, curaturos.

In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, deſtitutionibus, & repulſionibus faciendis de perſonis noſtræ Congregationis, fidelitèr ſecundum Deum, & regulam S. P. N. Auguſtini, Sacros Canones, ac noſtras Apoſtolicas Conſtitutiones, puramque, & rectam conſcientiam nos habebimus, ac toto noſtræ gubernationis tempore, quantum in nobis fuerit adnitemur ſtudioſiſſimè, ut Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum obſervantia in Congregatione exquiſitè vigeat, ita ut de cultu Divino, & de Regulari diſciplina, ſi quid ad meliorem formam redigendum, compererimus, non patiemur, ut cura noſtra, labor, ſtudium; induſtria deſideretur. Amen.

Poſteà tangendo librum Evangeliorum dicat.

ITa ego Fr. N. à S. N. vice mea, & aliorum nomine, ſpondeo, voveo, & juro; ſic nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

4. Facta Fidei Profeſſione ſurgant, & ſtantibus omnibus, excepto Præſidente, à Secretario intimabitur ſequens Præceptum, quod prius in folio exarabit.

Nos Fr. N. à S.N, auctoritate Admod. R. P. noſtri Vicarii Generalis Præſidens omnibus vobis Gremialibus hujus Capituli prẹcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſub

ſub formali pręcepto, ut unuſquiſque veſtrum, denuntiet nobis, & Definitoribus novitèr electis infra hunc diem quidquid contra Provincialem, & Definitores pręcedentes dignum fuerit correctione. In nomine Patris &c. Datum in hoc Conventu N. Die N. Menſis N. Anno N.

Fr. N. à S. N. Pręſidens.

Fr. N. à S. N. Secretarius Capituli Provincialis.

5. His peractis omnes ſedebunt, & januis Capituli apertis, pręſentibus etiam FF. non Gremialibus, Secretarius Capituli ſtans, clara voce omnia acta Capituli publicè leget.

6. Poſtea intimabit obſervantiam Decretorum ad Sanctum Officium pertinentium, dicens: Vobis omnibus intimatur obſervantia Decretorum ad S.Officium ſpectantium, ſub pęnis in eiſdem contentis.

7. Deinde omnes genuflectent, & facie ſuper terram inclinata à Præſidente Abſolutionem Generalem accipiant; ut moris eſt videlicèt:

Dicto Confiteor &c. Præſidens dicat. *Miſereatur &c. Indulgentiam &c.*

Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam miſericordiam, & Sanctiſſimam Paſſionem vos abſolvat: & ego auctoritate, qua fungor, & quatenus mihi conceſſa eſt, abſolvo vos à vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, & à participatione cum excommunicatis, & à macula Apoſtaſiæ, ſi incurriſtis; & reſtituo vos Sanctis Sacramentis Eccleſię, & Communioni Fidelium, ſi neceſſe eſt. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti, Amen.

Eadem auctoritate mihi conceſſa in quantum poſſum, & debeo, diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, ſi tenemini, & reſtituo vos ad executionem, & adminiſtrationem Sanctorũ Sacramentorum Eccleſię, & ad alia. Ab apertis culpis, & à communibus tranſgreſſionibus Regulæ, & Ordinis noſtri Dominus noſter Jeſus Chriſtus vos ab-

abſolvat; & ego auctoritate, qua fungor, abſolvo vos. In Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti Amen.

Do vobis auctoritatem meam, ut unuſquiſque veſtrum poſſit ſibi eligere Confeſſorem hujus Provinciæ noſtræ habentem auctoritatem, à quo valeat abſolvi ab omnibus peccatis ſuis quemadmodum, & à me. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Pro ſpeciali pænitentia Sacerdotes dicant ſemel: Laudate Dominum omnes gentes.

Et non Sacerdotes, Pater, & Ave.

Data abſolutione generali, Pręſidens brevi exhortatione omnibus ſtantibus, ſingulorum animum, & maximè Superiorum ad obſervantiam noſtrarum Conſtitutionum, Regulæ, & Decretorum inducet.

9. Facta exhortatione conſtituet ſuffragia mortuorum, tam FF. noſtrorum, quàm Secularium Benefactorum, quorum mentio fuit facta à Diſcretis in prima Seſſione, in unoquoque Conventu Provinciali, quàm primum perſolvenda.

10. Secretarius patentes novorum Electorum conficiet, & à Præſidente, & Secretario ſubſcriptas, & ſigillo Præſidentis munitas, unicuique reſpectivè Superiori conſignabit, unicuique Priori novitèr electo tradet ſchedulas familiæ ſui reſpectivè Conventus à Præſidente, & Secretario ſubſcriptas, & paritèr ſigillo Præſidentis munitas.

11. Demum ſurgentibus omnibus, incipiente Provinciali novitèr electo, ſigillatim accedent ad Præſidentem pro oſculo pacis, & omnes per ordinem ſe de more amplectentur.

12. Quibus omnibus peractis, Pręſidens in ſancta pace dimittat omnes, finem Capituli imponens, dicendo:

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.*

Appendix .

ADvertendum tamen eſt, quod ea, quæ dicta ſunt in Sabbato, quando fit aperitio tàm Capituli Generalis, quàm Provincialis, obſervanda ſunt etiam Feria 6., in qua eligitur Vicarius Generalìs, & Feria 5., in qua eligitur Provincialis; Undè paritèr ab Eccleſia incipienda eſt proceſſio uſque ad locum Capituli, ut ſuprà dictum eſt.

Eſt etiam ſummoperè notandum, quod ſi in fine Capituli Generalis, aut Provincialis, dùm datur abſolutio Generalis, non ſint convocati alii Fratres, qui Gremiales non ſunt (de quo tamen praxis non adeſt) Præſidens, dum talem impartitur abſolutionem, omittere debet illa verba. *Et non Sacerdotes Pater, & Ave*.

Eſt etiam conſiderandum, quod antequam Patres Gremiales deveniant ad Electionem Aſſiſtentium, ſeu Judicum cauſarum, examinandæ ſunt Fides Miſſarum Celebratarum in quolibet Conventu cujuslibet Provinciæ, juxta fidem à duobus Diſcretis Capitulo Generali præſentandã, vel à Diſcreto pro ſuo reſpectivè Conventu oſtendendam Capitulo Provinciali; Et hęc examinatio fieri debet à Pręſidente, Vicario Generali, quatuor Definitoribus, & Procuratore Generali pro Capitulo Generali; Et à Pręſidente, Provinciali, quatuor Definitoribus Provincialibus, & Priore illius Conventus, in quo Capitulum Provinciale Celebratur, juxta Bullam fæl. record. Innocentii XII. incipient. *Nuper à Congregatione &c.* ſub poenis ibi contentis.

Ritus celebrandi Definitorium Provinciale Annuale. Cap. XI.

DOm. 3. poſt Paſcha ſingulis annis Definitorium annuale in Conventu à R. P. Provinciali deſignando ejuſdem Provincię Celebrari debet.

Ad

Ad Definitorium Celebrandum conveniant Provincialis, quatuor Definitores Provinciales, Prior Conventus, ubi eſt Celebrandum, & Septimus ille Pater, qui in Capitulo Provinciali ab omnibus Gremialibus ejuſdem Capituli fuerit electus ad complēdum numerum ſeptem Patrum juxta Decretum Sac.Congreg. ſub die 30. Martii 1702. quod etiam intelligitur quotieſcumque Definitorium congregandum fuerit, & pratèr iſtos ſeptem, Secretarius Provincialis, qui tamen non ſuffragabitur.

Die Sabbati ante prædictam Dom. cantetur à Provinciali Miſſa de Spiritu Sancto ſolemnitèr cum Miniſtris ad ejus nutum.

Seſſio Prima.

1. POſt Veſperas eadem die Sabbati pulſata Campanula tribus vicibus conſequenter, ut in Cap. Provinciali intonabitur à Provinciali, qui Definitorio præſidebit, Hymn. *Veni Creator Spiritus*, cùm ℣. & Orat. & dicto ℣. *Adjutorium*, *&c.* ℟. *Qui fecit*, *&c.* Sedebunt eodem ordine reſpectivè, quo dictum eſt in Definitorio Provinciali; ſcilicèt Provincialis in primo loco, à dextris ejus Primus Definitor, Tertius, & Prior localis; à ſiniſtris, Secundus Definitor, Quartus, & Septimus electus.

2. Antequam proponantur negotia, in Definitorio tractanda, omnes de ſervando ſecreto juramentum præſtent, tacto pectore, more Sacerdotali.

3. Tùnc Provincialis incipiet proponere negotia, quæ tractanda occurrunt, & tàm in hac, quàm in aliis Seſſionibus, omnia fient ſicut in methodo De Definitorio Provinciali, & ejus auctoritate.

4. Si tamen Provincialis ob cauſam rationabilem judicaverit Definitorium annuale, vel quodcumque aliud in alio Conventu eſſe celebrandum, de conſenſu Primi, & Secundi Definitoris id facere poterit.

5. Secretarius in hoc, & aliis Definitoribus habebit librum ad hoc deputatum, in quo notentur acta Definitorii, quæ in fine cujuslibet publicè perlegentur januis apertis. Finem imponente Provinciali dicente:

℣. *Sit nomen Domini &c.*

℟. *Ex hoc &c.*

De Officio, & auctoritate Prioris Provincialis. Cap. XII.

1. PRioris Provincialis officium eſt ſuam Provinciam tamquam ipſius Caput gubernare; Religioſos ad obſervantiam verbo, & exemplo provocare; contentiones ſedare, pacem inter ſubditos fovère; abuſus, ſi qui fuerint in Conventibus, zelo boni communis auferre, & tamquam Pater Provinciæ cum affabilitate, & manſuetudine omnes ſubditos, & Superiores, veluti filios amplecti, & quando opus fuerit animi conſtantia corrigere, & caſtigare.

2. Legum executor, æquè ac director, exemplum ſe præbeat bonorum operum, undè actibus Communitatis, præcipuè Chori, interſit, ut ſua præſentia alios inducere poſſit ad illius frequentiam, in qua ſi aliquis deliquerit, vel per Priorem, vel per ſeipſum immediatè admonere, & corrigere poſſit. Aliquid peculiare, neque in Cella, nec in Refectorio, nec in victu, nèc in veſtitu admittat. Quando è Conventu egreditur, & ad aliũ locũ petit, ſecùm ordinariè non habeat pluſquam unum Socium, & in itinere ſtatus noſtræ paupertatis memor, cum omni modeſtia, atquè humilitate incedat. Ordinationes Superiorum promptè, & reverentèr exequatur juxta eorum mentem, tempus, & modum, ut alii ſibi honorem, & obedientiam præſtent.

3. Oratoriolum in Cella ad formam noſtrarum Conſtit. & locum pro Secretaria Provinciali clave obſeratum habebit, ut ibi litteras, & alias Provinciæ Scripturas ſecreto

creto dignas conſervet; librum etiam tenebit pro regiſtro Epiſtolarum, & alium, in quo ordinationes, licentias, & quæ memoria pro futuro digna fuerint, vel pro Succeſſorum directione, adnotabit; ac etiam habebit Catalogum Religioſorum ſuæ Provinciæ tam Vivorum, quàm Defunctorum, annotata die, & hora eorum Profeſſionis, vel obitus; nèc non numerum Conventuum juxtâ ordinem, & antiquitatem eorum fundationis. Si quæ etiam memorabilia virtutum Religioſorum, charitatum Benefactorum, vel aliorum ſimilium occurrerint in ſua Provincia, ad Succeſſorum memoriam ſcribi curet.

4. Auctoritatem omnem habebit, quæ ex jure, ſivè ex Sacris Canonibus, ſivè ex Privilegiis aliarum Religionum, Provincialibus competit, & ſignanter defectus, & tranſgreſſiones, tàm Superiorum, quam Subditorum, in Viſitatione, & extra corrigere, & pœnis condignis punire debeat; Cauſas Religioſorum, & Conventuum ſuæ Provinciæ cognoſcat uſquè ad pœnam graviorem incluſivè, ac ſupra dictas cauſas poſſit, ac debeat formare proceſſus, & ſervatis ſervandis illos ſummariè terminare juxta modum ſolitum practicari in noſtra Congregatione, quo ad culpas verò graviſſimas poſſit tantùm, & debeat conſtruere proceſſum informativum, ad effectum illas proponendi in Definitorio Provinciali.

5. A gravaminibus, vel præceptis Superiorum localium, poſſit prout de jure ad Provincialem appellari; Ipſe verò excommunicationem inferre poſſit aliquibus Fratribus, & Conventibus ſuæ Provinciæ, proùt reſpectivè de Vicario Generali noſtræ Conſt. diſponunt; omnibus autem Religioſis, & Conventibus Provinciæ Definitorium Provinciale ſolummodò poterit.

6. Licentiam Sacros Ordines recipiendi, Confeſſiones audiendi, Concionandi in ſua Provincia dare poterit, prævio tamen examine, & approbatione à noſtris Conſt. requiſitis; Prædicatoribus etiam Civitates, vel

Op-

Oppida aſſignabit, in quibus ſint Concionaturi; Examen quoquè ſtudentium juxta inſtructiones faciat, & in fine cum Examinatoribus declaret Theologos habiles ad officia Lectoratus, vel Concionatores, ſi tales conſtet eſſe idoneos ex reſponſionibus, & relatione Lectorum; Hujuſmodi etiam examen poterit alteri committere, dummodo deputandus aliàs officio Lectoris per integrum curſum Philoſophiæ, vel Theologiæ functus fuerit. Magiſtrum Novitiorum, vel Profeſſorum per modum proviſionis uſque ad Definitorium Provinciale, cum conſilio alicujus Definitoris, vel Pioris localis ſubſtituere poſſit, quod idem dicimus de Submagiſtris, & Lectoribus.

7. Semel in Triennio Provinciam perſonalitèr viſitabit cum ſuimet Secretario in Definitorio Capituli Provincialis electo; Circa tempus autem hujus viſitationis advertat,ne ſuccedat eodem anno, quo Vicarius Generalis, vel Viſitatores Provinciam viſitaverint, undè ſervetur ſuper hoc Decretum Sac. Cong., ſi verò ex juxta, & rationabili cauſa totam Provinciam viſitare non valuerit, certiorato prius Vicario Generali, poſſit Viſitationem alteri delegare; quod idem dicimus cœteris annis, quibus ſivè Vic. Generalis, ſive Viſitatores nèc per ſe, nèc per Delegatum viſitaverint, tùnc enim facultas viſitandi devolvatur ad Provincialem ut ſupra, & ultra prædictam formalem viſitationem, quantum fieri poterit, ſemel in anno per aliquot dies in unoquoque Conventu ſuæ Provinciæ moretur, & vultus Pecorum de præſentia cognoſcens, dirigere poſſit.

8. Tenetur ter in anno Vic. Generali ſcribere, ac fidelitèr aperire quæcumque negotia occurrentia,& quoties interceſſerit mors alicujus Religioſi eumdem admonere, ut ipſe aliis Provinciis, ad conſueta procuranda ſuffragia notitiam tranſmittere poſſit.

9. Singulis propriæ Provinciæ Fratribus,Conventum, ubi commorentur, aſſignabit, & denuò ad alium, ſi opus

fuerit

fuerit transferat intra Provinciam tantum, excepta familia Conventuum Novitiatus, & Profeſſorii Vic. Generali reſervata; In ſecundo tamen anno ad Definitorium Provinciale ſpectabit familias componere propter electionem Diſcretorum. Fratres verò, qui ab uno ad alium Conventum à Vicario Generali mittuntur, non poſſit Provincialis amovere, niſi tempore Definitorii Provincialis, vel tranſacto anno, & ſi alitèr opus fuerit, faciat de licentia Vicarii Generalis, qui etiam cauſa urgente, vel ratione recurſùs, poterit contrà ordinationes Provincialis quemcumque Religioſum in quolibet Conventu ſtabilire, ſive ab alio removere, quod tamen raró fiat, nè Provincialis in gubernio perturbetur.

10. In his, quæ ad mores ſpectant, poterit reſpectivè in ſua Provincia, quidquid Vicarius Generalis in tota Congregatione, dummodò hoc raró fiat, & non ſine cauſa; In omnibus autem ſervet debitam ſubordinationem ipſi Vic. Generali, ſub quo tanquam ſub legitimo Paſtore, ac Patre ſint ſubjecti tam Provinciales, quàm cæteri omnes Superiores, & ſubditi.

11. Vicarium Provinciale ipſo abſente à Provincia, vel etiàm præſente propter aliquam neceſſitatem in particularibus Conventibus conſtituere poterit, non tamèn in eodem Conventu, ubi eſt pro tempore, niſi ad cauſas particulares. Extrà Provinciam pergere, vel alium Fratrem mittere non valebit, niſi ex cauſa communi totius Provinciæ, juxta Decr. fel. rec. Clementis VIII. quibus in caſibus notificare teneatur quamprimùm Vic. Generali.

12. Licentiam induendi Novitios, vel ad Profeſſionem admittendi propria auctoritate non dabit, ſi tamèn contingat elabi annum Novitiatus alicujus Novitii, & adhùc non ſupervenerit reſponſum Vicarii Generalis ſuper petita licentia, tunc ſolummodò admittere poterit ad Profeſſionem ſervatis cæteris de jure ſervandis. Patentes verò Lectoratus, Concionandi, Confeſſiones au-

audiendi, nonniſi intra Provinciam dare poſſit.

13. Vocem activam in unoquoque Capitulo Conventuum propriæ Provinciæ, ubi reperitur, habebit, non tamèn in electione Diſcreti ituri ad Capitulum Provinciale, etiàm quoad approbationes Novitiorum, ſingulis ſuffragaturus poterit intereſſe; Unde tenebitur Prior Novitiatus Provincialem admonere tàm de Scrutiniis, quę mittuntur ad Vicarium Generalem, quam de modo, quo ſe gerunt Novitii, & ſi ad primam approbationem adeſſe voluerit, ſi commodè fieri poterit, expectandus erit.

14. Studio jàm incæpto, illi prohibetur addere Juvenes Profeſſos, niſi de ſpeciali conſenſu Vicarii Generalis; facultatem verò imprimendi ſcripturas tantummodo non excedentes duodecim folia impreſſionis largiri valeat, & tùnc prævia approbatione duorum noſtrorum Theologorum, qui alias officio Lectoris per curſum integrum functi fuerint; & paritèr licentiam dare contrahendi æs alienum, nonniſi in parva ſumma, auctoritatem habebit, & quatenùs dicta licentia ſit ipſi petita ad formam Conſtitutionum noſtrarum.

15. Sit prohibitum Provincialibus diſpenſare, ut antè triennium à Profeſſione requiſitum à noſtris Conſtit. aliquis noſtrum Sacros Ordines ſuſcipere, Concionari, vèl Confeſſiones audire poſſit; Plantam quoque Conventus, ſivè delineamenta non valeat immutare, ſi priùs à Vicario Generali fuerint approbata, ſi verò ab illo approbata non fuerint, illa ſtabiliendi una cum Definitoribus Provincialibus facultatem habebit.

16. Caveat etiam Provincialis, ut Religioſi extra Conventum non vagentur, ne Benefactores graventur, ſpiritus ex conſortio ſęcularium tepeſcat, & Conventus propter abſentiam Fratrum patiantur. Quapropter nullus Fratrum ab uno ad alium Conventum accedat, ſine licentia Provincialis, exceptis Conventibus viciniorıbus. Paritèr Concionatoribus non concedat licentiam

pro-

propter Conciones extra Conventum commorandi, neque anteà diſcedendi, niſi ſecundum qualitatem itineris, ſed ipſi Concionatores recto tramite ad locum Concionis ire debeant, & regredi ad Conventum. Neque permittat, ut aliquis in negotiis ſęcularibus ſe ingerat; Prioribus etiam nequeat facultatem concedere extrà ipſorum proprium Conventum commorandi, niſi per menſem, & tùnc ex urgentiſſima cauſa.

17. Ab omnibus Religioſis ſuæ Provinciæ veluti Pater diligatur, ut Superior honoretur, ac timeatur; Obedientia promptè, & alacritèr ei ab omnibus præſtetur, & illius ordinationes ſive in Viſitatione, ſive extrà conditę, ſine dilatione juxtà modum, & tempus præſcriptum executioni mandentur. Quando accedit ad aliquem Conventum pro Viſitatione omnes ad januam eum expectent reverentèr excipiendo, corrigiam ipſius exoſculentur, & ad Eccleſiam pro Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti adoratione, poſteà ad Cellam comitentur; Miſſam celebranti accendantur quatuor candelę, inſerviatque Frater Clericus, ſeu Converſus Cotta indutus, locus paritèr ubi paratur ſit ab aliis Fratribus ſeparatus, ac honorabilior, ſicuti etiam paramenta Sacra erunt ex nobilioribus pro temporum varietate.

18. Deponatur Provincialis ab officio ſi Vicarii Generalis, aut Definitorii auctoritatem uſurpaverit, ſi bis ordinationibus Superiorum in re gravi non obtemperaverit, ſi ſeditiones in Provincia foverit, ſi vitam communem longo tempore ſine graviſſima cauſa non duxerit, ſi denique aliquid aliud perpetraverit, cui per noſtras Conſtitutiones, vel Sac. Can. depoſitionis pœna ſit impoſita Superioribus.

De Definitorio Provinciali, & ejus auctoritate.

1. UT Prior Provincialis Provinciam facilius, & prudentius gubernare poſſit, quatuor Definitorum in Capitulo Provinciali electorũ adjutorium illi adjungimus, eorumque officium per triennium durabit, uſque ad novorum Definitorum electionem, ipſorum erit invigilare ſuper obſervationem Conſtitutionum, ordinationum, & conſuetudinum Provinciæ, reliquorumque ad perfectionem ſpectantium, & ſi in aliquo obſervationem labefactari viderint, Provincialem ſtatim moneant, verbo, vel ſcripto.

2. Litteras dare, vel recipere poterunt, abſque Prioris licentia, vel ſcitu, & propriis utantur ſigillis cùm Cruce, tribus clavis, & ſpinea corona, & characteribus primi, ſecundi, tertii, & quarti Definitoris Provincialis, quæ poſſint unà cùm litteris, & ſcripturis ſecretò dignis conſervari in oratoriis clave munitis eo modo, quo aliis Superioribus conceditur.

3. In omnibus locis poſt Priorem localem cæteros loco præcedent, enitentur autem magis virtute, & exemplo præcedere, in quo ſi defecerint, Prior illos admoneat charitativè, & ſi ſe non emendaverint Provincialem certiorem reddat. Declaramus, quod locus competens Definitoribus Provincialibus ſit reſpectivè juxtà praxim Definitorum Generalium.

4. Semel in anno congregabuntur cùm Provinciali in Conventu principaliori, & antiquiori Provinciæ, vel in Conventu aſſignato à Definitorio, Dominica tertia poſt Paſcha.

5. Ad Definitorium Provinciale ſpectat Magiſtrum Novitiorum, & Profeſſorum conſtituere, Conventum Novitiatus deſignare, ſi extrà Conventum Novitiatus aliquando Novitios educare oportet, Conventum aſſigna-

gna-

gnabit, ubi educandi ſint. Renunciationem alicujus Officii, in quod aliquis à Capitulo Provinciali eligitur admittere, aut in idem Officium vacans aliquem ſubſtituere; qui ſi fuerit Definitor ultimum locum inter alios habebit. Priorem aliquem ab uno amotum alicui alteri Conventui præficere, vel de novo eligere in his Conventibus, qui de novo accipiuntur. Antè triennium expletum Capitulum Provinciale ob cauſam urgentem cùm conſenſu tamèn Definitorii Generalis convocare; Poterit quoque idem Definitorum aliquem ex quatuor Definitoribus Provincialibus, cauſa expoſcente ab Officio deponere, & à Prioratu etiam Priorem, & Secretarium deponere: pœna ultrà graviorem aliquem punire: bona mobilia, vel immobilia non tamen notabilis pretii, utpotè excedentia ſummam ducentorum ſcutorum ab uno in alium Conventum transferre.

6. Si ultrà tempus aſſignatum ob cauſas urgentes Provincialis convocationem Definitorii neceſſariam eſſe duxerit, illud congregare poterit, & ſi primus Definitor, & alii duo convocari poſtulaverint, Provincialis id facere teneatùr, quod ſi facere noluerit, Vicarium Generalem reddant certiorem, & quidquid ille determinaverit exequantur, ſub pœna arbitrio ipſius Vicarii Generalis infligenda.

7. Nullus Definitor niſi legitimè impeditus, & de licentia Provincialis, & reliquorum Definitorum, quam ipſo petente dare poſſunt, ſub pœna depoſitionis abſit, quando Definitorium congregatur, neque hæc venia dari poteſt pluſquam uni, & tunc loco abſentis aliquem reliqui Patres Definitores jam congregati eligent, qui ultimum locum habebit.

8. Proponet in Definitorio Provincialis, quæ tractanda occurrent, ſi verò aliqua ipſe prætermiſerit, quilibet ex Patribus Definitorii, ſentiente alio debere proponi, petita venia proponat, ut decidatur, graviora verò

dubia ab una ſeſſione in aliam proponantur.

9. Quidquid in Definitorio deciſum fuerit, Provincialis exequatur, juxta mentem Definitorii, quoad tempus modum, & alias circumſtantias: quod niſi præſtiterit admoneatur ab aliquo Definitorum reverenter; & ſi admonitus non paruerit, Vicarium Generalem certiorem faciant, qui pro culpæ modo illum puniat.

10. Definitorium ultrà octo dies non durabit, niſi alicujus graviſſimi caſus deciſio protractiorem moram poſtulaverit. Congregabuntur autem bis per ſingulos dies, ut quanto citius negocia expedire poſſint.

11. Strictiſſimo ſecreti ſigillo omnia negotia Definitorii ſileantur, & in prima ſeſſione de ſervando ſecretò omnes juramentum præſtent, quod tunc obligabit, cum major pars Definitorii ſtatuerit in illo eventu juramentum debere obſervari, quod qui violaverit per biennium voce, & Officio careat, & qui alia, quæ ſub ſecreto juramenti non cadunt, propalarit gravi pœna pro prima vice puniatur.

12. Si Provincialis morte præventus triennium percurrere nequeat, primus Definitor Vicarium Generalem ſtatim certiorem reddat, ob mortem Provincialis, & interim alios tres Definitores congregabit in Conventu, ubi tunc temporis primus Definitor reperietur, vel in loco commodiore ab hoc ipſo primò Definitore deputato, & ſimul cum Priore illius Conventus ubi Definitorium congregabitur: Qui eligent alios duos Patres, quibus electis, omnes ſeptem ſimul congregati de novo Provinciali duraturo uſque ad Capitulum Provinciale electionem facient, quæ omnia, quam primum fieri poterit exequantur. Si autem Provincialis non è vita deceſſerit, ſed ab Infidelibus, aut ab Inimicis captus fuerit, itaut Provinciam ſuam gubernare nequeat, idem primus Definitor, cùm aliis Definitoribus, & Priore locali, ubi Definitorium con-

congregabitur, collegialitèr congregati, Vicarium Provincialem præficiant, qui totam Provincialis auctoritatem habebit. Si verò intrà annum tertium poſt Definitorii congregationem ultimam obierit, tunc primus Definitor, vel eo deficiente ſecundus, uſque ad finem ejuſdem triennii præſidebit. Quæ autem hic pro caſu Provincialis ſancita ſunt, volumus obſervari etiam in caſu quo Provincialis ad aliquod officium generale translatus, ſeu promotus fuerit, vel etiam in quocumque caſu alio vacationis Provincialatus.

13. Quotieſcumque oportuerit Definitorium Provinciale congregare ad illud conveniat ad numerum ſeptem Patrum complendum, is qui in Capitulo Provinciali ad complendum numerum ſeptem Patrum fuerit electus.

14. Definitores in illo Monaſterio ubi ſunt Conventuales ſignum dabunt, & præſidebunt in actibus Communitatis omnibus, qui loco inferiores ſunt Suppriore. Item iiſdem in communi tabula officia non aſſignentur.

15. Si quando ſentiente Provinciali, & tribus Definitoribus, Definitorium tenere neceſſe videbitur, & unus Definitor intereſſe noluerit, elapſis octo diebus à tempore per tres Definitores prȩfixo, ad Definitorium celebrandum tempeſtivè per litteras vocatus, ſi non accedit, eligatur à Provinciale, & reliquis Definitoribus Subſtitutus ad Definitorium illud celebrandum, & celebretur Definitorium.

16. Si Definitores animadverterint Provincialem officio ſuo non ſatisfacere, vel quod pejus eſt, abuti, neque bonis conſiliis acquieſcere, Vicarium Generalem re benè ponderata, & examinata moneant, præſertim in iis eventibus, in quibus pœna depoſitionis, ſeù ſuſpenſionis Provinciali decreta eſt.

17. Prohibemus cæterum, & interdicimus reelectiones ad eadem officia juxtà præſcriptum noſtrarum Conſtutionum par. 3. cap. 1. §. 7. & 8. quas vim omnem habere

bere volumus, tùm in Capitulis, tum in Definitoriis Provincialibus, itaùt Provincialis tranſacto triennio nullo modo poſſit reelegi, & confirmari. Permittimus tamen quod Definitores, & Priores confirmari poſſint, proùt eædem Conſtitutiones ſanciunt, & non aliter, ſervata tamen Conſtitutione Urbani VIII., quæ incipit *Circumſpecta* quo ad vacantiam Prioris Provincialis non tamen, quoad Definitores Provinciales.

18. Ut autem in omnibus electionibus conſulatur ut par eſt, majori Provinciæ utilitati, ac de dignioribus, magiſque idoneis ſemper provideatur, volumus, & ordinamus, quod generalitèr loquendo nullus eligatur ad aliquod officium, niſi aptus, & aſſuetus ſit vitæ communi, & qui Regulari obſervantiæ non incumbunt, omninò reiicimus, omnium ſuper hoc conſcientias onerantes. Inſuper ſtatuimus, & declaramus primò, quod nullus eligatur in Definitorem Provincialem, niſi per tres annos aut Prior, aut Lector, aut Prædicator, aut Magiſter ſivè Profeſſorum, ſivè Novitiorum extiterit: ſecundò nullus Priorum, & Suppriorum poteſt eſſe Definitor: Tertiò, debent eſſe abſoluti à ſtudiis Philoſophiæ, & Theologiæ cum atteſtatione ſuorum reſpectivè Lectorum, (exceptis iis qui fuerunt in Officiis Generalibus.)

De Ritu in Refectione obſervando. Cap. XIII.

DAto pro Refectione primo ſigno, Fratres domi exiſtentes ab omnibus ſe expediant, ut audito ſecundo ſigno celeriter ad Refectorium pergere, ibique cum aliis ad Menſæ benedictionem aſſiſtere poſſint, qui autem in Choro reperiuntur Pſalmum *De profundis*, vel etiam ſi diſtantia petierit *Miſerere* alternatim recitantes bibi bini ad locum propè Refectorium, in quo unus, vel duo fontes, duæ, vel plures Mappæ lineæ mundæ pro Sacerdotibus una, pro reliquis altera

re-

reperiantur conveniant; Et lotis ac exterſis manibus à junioribus incipiendo, Refectorium ingrediuntur, factiſque debitis reverentiis ſuo quiſque in loco conſiſtit, & ad ſignum præſidentis Hebdomadarius facie ad imaginem verſa incipit aliis proſequentibus Antiphonam pro Menſæ Benedictione juxta Rubricam in fine Breviarii, & proùt in Ordinario precum continetur, dum dicit: *Benedic Domine nos &c.* Manu dextera extenſa benedicit ſimul, & ſemel omnes Fratres profundè inclinatos, nec ſe ſignantes, & Menſas.

Poſtea Lector in medio ſtans dicit, *Jube Domne benedicere*, & profundè inclinatus verſus imaginem benedictionem expectat, & ſtatim ad locum, in quo ipſe lecturus eſt recedit, duo vel quatuor Miniſtri juxta numerum Fratrum comedentium in medio ſtant, reliqui verò ad proprias ſedes ſe conferant: ibique ſedentes Capita, exceptis tamen menſibus Junio, Julio, Auguſto, & Septembri cooperiant.

In diebus autem Jejuniorum menſa benedicenda eſt ſicut in Cœna.

In collatione verò nulla præmittitur Benedictio, ſed Lector in loco Lectionis dicit: *Jube Domne benedicere*, ut habetur in Conſtit. par. 1. cap. 9. num. 16.

Facta benedictione, & Fratribus, ut ſupra ſedentibus ad ſignum Præſidentis, Lector ſtans incipit Lectionem dicendo: *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen*, & ad nomen Jeſu Fratres ſedentes capita detegunt, & inclinant, Miniſtri in medio profundam faciunt reverentiam, & ad eorum Miniſteria recedunt. Deinde Lector dicit: *Incipit liber talis V. G. primus Regum, vel incipit aut proſequitur caput tale talis Libri V. G. cap. 2. lib. 1. Regum*, & ſedens capite ſemper diſcooperto clarâ, & uniſonâ voce Lectionem proſequitur.

In prima menſa ad prandium unum Caput Bibliæ, quę tota, exceptis Pſalterio, & Canticis Canticorum legenda eſt, vel medium ſi longum fuerit, legat, eoque

fini-

ſinito ſurgens humili, & perceptibili voce dicit: *Explicit talis liber V. G. primus Regum, vel explicit, aut manet Lectio in cap. tali, talis libri V. G. in cap.* 1. *lib.* 1. *Regum*. Statimque librum aliquem vulgari Sermone deſcriptum ad diſpoſitionem Prioris reaſſumat; ac ipſum uſque ad finem prandii, & in tota Cœna perlegat.

Singulis autem quartis Feriis in Prandio poſt Lectionem Scripturæ hoc Cæremoniale legatur. Feriis verò ſextis Regula S. P. Auguſtini, quod ſi in prandio finiri non poſſit, in collatione finietur. At in diebus Sabbati in prandio, & Cœna Conſtitutiones legantur. Si autem in aliquo horum dierum Feſtum ſolemne occurrerit, vel extranei præſentes fuerint, prædicta Lectio in præcedentem, vel ſubſequentem diem juxta Prioris beneplacitum transferatur.

Si autem ad Salutationem Angelicam, vel ſignum pro Defunctis inter comedendum pulſatur, Lector à Lectione, & Miniſtri à propriis miniſteriis, & comedentes à refectione deſiſtant; Et Lector dicat *Angelus Domini &c.* aut *De profundis*, cùm oratione; erectus aut genuflexus, prout tempora poſtulabunt, quod quidem etiam Miniſtri exequentur quibus perſolutis refectio proſequatur uſque ad finem, qua finita ad ſignum Præſidentis gratiarum actio ab Hebdomadario, ut ſupra incipiatur, & à reliquis proſequatur. Si autem non inter comedendum, ſed antequam Benedictio facta fuerit, vel Fratres ſederint, pulſaretur, ſtantes, vel genuflexi ut ſupra, conſuetas Preces, & Orationes dicant, & poſtea benedictionem incipiant, vel ſedeant.

Quod ſi Prælatus in propria reſidentia, vel Procurator Generalis, Definitor Generalis, vel Supprior in abſentia Prioris introjerint, & Lector à Lectione deſiſtat, & ceteris ſurgentibus capitibus diſcoopertis mediocrem facient Reverentiam; Intrante aut Priore in præſentia Provincialis, vel Procuratore Generali in præſentia Prioris &c. Lector à Lectione non deſiſtat, ſed tantùm

Fra-

Fratres capitibus coopertis paululum ſe elevantes inclinationem ipſis facient.

Poſt primam clauſulam lectam, Præſidens cultro bis Menſam feriat, & ſtatim Fratres capitibus diſcoopertis panem deoſculabuntur, & comedere incipiant ea cum modeſtia, ordine, & modo, qui Religioſos decet, & qui in inſtructione de modo comedendi præſcribitur.

Si quis autem ultrò quod quotidianum, frequentiſſimum, ac valdè laudabile eſt ad ordinariam mortificationem exire voluerit, poſtquam ſe refecerit Mappam plicabit, ac modo, & ordine in inſtructione de mortificationibus ordinariis, præſcripto à Præſidente mortificationem aliquam ſibi aſſignari rogabit,eamque aſſignatam ſtatim exequatur:Extraordinarię autem mortificationes fient in Refectorio de conſenſu Prioris, forma præſcripta in inſtructione de extraordinariis mortificationibus.

Finita Fratrum commeſtione,iterum Prędidens manico cultri bis menſam feriat, & Miniſtri, vel etiam alii è Menſa exeuntes modeſtiſſimè, & abſque ullo ſtrepitu reliquias colligant modo præſcripto in iſtructione Miniſtrorum Primæ, & Secundæ Menſæ.

Poſtquam reliquiæ fuerint collectæ, Lector ad ſignum Præſidentis finem Lectioni imponat dicendo *Tu autem Domine Miſerere nobis*, reſpondentibus cunctis, *Deo gratias*, ſtatimque deoſculata Menſa, ſurgunt, & ſtantes, facie verſa; dum Hebdomadarius ad ſignum Pręſidentis in proprio loco facie ad imaginem verſa dicit: *Confiteantur tibi &c.* ipſi proſequuntur; *Et Sancti tui* tona Prout in fine Breviarii, ac Ordinario Precum: Indamtoque à Cantore Pſalmo *Miſerere*, bini bini profun- *&c.* in medio imagini faciunt reverentiam, & ad Eccleſiam, Chorum, vel Capitulum Pſalmum facie ad invicem verſa proſequentes conveniunt, cæteraque fiunt ut in Breviario, ac Ordinario Precum.

In ſecunda Menſa, in qua illi reficiuntur, qui primæ defuerunt, ſi Conventus ſit Novitiorum, vel recentèr Profeſſorum, aut in eo ſaltem viginti Fratres reperiuntur, in Prandio fiat conſueta benedictio, & per totam Menſam habeatur Lectio vulgaris Idiomatis, gratiarum actio in Refectorio finiatur ut in Cœna, & Fratres cum ſilentio egrediantur.

In aliis verò Conventibus, nulla præmiſſa benedictione, nulloque dato ſigno, ſtatim ac Conventus à Refectorio exierit Lector incipit Lectionem, ut ſupra, & dato circa finem Refectionis à Præſidente ſigno finem Lectioni imponat dicendo: *Tu autem Domine miſerere nobis*, adſtantibus reſpondentibus *Deo gratias*. Qui verò commeſtionem finierint, ſurgentes gratiarum actiones intra ſe cum debitis reverentiis efficiant, & cum ſilentio recedant.

De Ritu in annuis, & Menſtruis ſchedulis ac ſpiritualibus concertationibus obſervando.

Cap. XIV.

EST adeò verum Sanctiſſimam Virginem Dei Matrem, Sanctoſque omnes in Cœlis gaudentes pro nobis Miſeris in hac lacrymarum valle degentibus, advocati, & Patroni apud D.O.M. munus ſubire: ut ipſe Dominus amicis Job dixerit, Ite ad ſervum meum Job, & ipſe orabit pro vobis, & faciem ejus ſuſcipiam.

Ideoque in die Circumciſionis exhortatione peracta; antequam Fratres ad charitatem fovendam amplectentur, ſchedulæ in quibus primo loco numerus annorum, ſecundo Sanctus aliquis, tertiò virtus, in qua principaliter floruit erunt deſcripta, ſortè diſtribuantur à Junioribus, qui coram Prælato genuflexi ſchedulam ab ejus manibus devotè ſumant, & oſculentur, eique legendam porrigant: & poſtea conſervent, ut ea, quæ in inſtructio-

ctione pro ſchedulis annuis, & menſtruis continentur peragere valeant incipiendo. Eodem modo ultima die cujuslibet menſis tempore recreationis, dicta à Præſidente Antiphona: *Veni Sancte Spiritus*, cum verſu, & oratione de Spiritu Sancto ſchedulæ ſortè diſtribuantur, in quibus primo loco, dies Menſis, ſecundò Sanctus, tertiò virtus, in qua Sanctus excelluit, cum numero quotidianorum actuum, quartò ſpiritualis quædam exercitatio, ut Litaniæ, Corona, vel Roſarium Beatiſſimæ Virginis, Officium ſimplex, vel Veſperæ Defunctorum, quæ devotè erunt recitanda, aut aliqua ex mortificationibus, ut Fratrum oſculari, pedes Brachiis extenſis in Refectorio ſtare, pulmentum, vel pitantiam relinquere, & ſimilia, quintò, & ultimo pro quo, vel pro quibus eſt orandum, deſcribantur, quæ omnia perficient, prout in inſtructione, ut ſupra continetur.

At quia eo pervenit humana fragilitas, & vecordia; ut niſi ſedulò ſpiritualibus provocetur exercitiis facillimè tepeſcat, ideò Sancti Cænobiorum Patres divino inſtinctu permoti nobis exemplum relinquentes, ad ſpiritualem profectum, & virtutum aquiſitionem præmio pro victore conſtituto, ſe invicem excitabunt. Nos igitur ut par eſt: eorum ſtylum proſequentes prima poſt Feſtum omnium Sanctorum die, ſi non fuerit Dominica, ac etiam feria ſecunda, vel tertia Quinquageſimæ, poſt collationem omnibus tam Novitiis, vel Clericis in Profeſſorio clauſo degentibus, quam cæteris in Oratorium, Chorum vel locum Capituli pergentibus, dicta à Superiore Antiphona: *Veni Sancte Spiritus*, cum verſu, & oratione de Spiritu Sancto genibus flexis provocationes ſpirituales modo præſcripto in inſtructione de concertationibus facere debent vulgari Sermone. *Io F. N. di S. N. Humiliſs. Peccatore, & Indigniſſimo Servo della Maeſtà voſtra diffidato affatto di me ſteſſo, e confidato nel voſtro Divino ajuto, e nella protettione della Beatiſſima*

tiſſima Vergine del P. S. Agoſtino, e di tutti i Santi miei Avvocati disfido tutti queſti Padri, e Fratelli in queſto corſo dell'Avvento, ò Quareſima alla virtù di N. La mortificatione ſarà &c. Il premio ſarà &c. quibus perſolutis ſi facta ſit oratio Serotina Superior dicat: *Sit Nomen Domini Benedictum*. Reſpondentibus omnibus *ex hoc nunc, & uſque in ſæculum*.

De Ritu, & ordine exeundi, & redeundi in Conventum. Cap. XV.

PRopè oſtium Conventus in Tabula ad hoc deputata nomina omnium Fratrum ſcripta ſint, in qua ſignaculis quibuſdam hi, qui egrediuntur pernotentur. Qui verò exeundi à Superiore licentiam impetraverint, deoſculata genibus flexis ejus corrigia ad oſtium conveniant, & eorum egreſſum in tabula prædicta deſignabunt.

At quia nulli dubium eſt, ad lapidem pedem offenſurum, qui ſine lumine in hac lacrymarum valle, & umbra mortis incedere præſumit: ideo omnes Chriſti fideles, & præcipuè ſacri Religioſorum Cætus, ne in tenebris oſtendant operationum exordium à Patre luminum precibus deſumere debent, dicente Divo Hieronymo, Epiſt. ad Euſtachium. *Egrediente de hoſpitio armet oratio, regrediente oratio occurrat antequam Seſſio, nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur*. Fratres ergo omnes noſtræ Congregationis in egreſſu, vel regreſſu Conventus, Preces, ut in ordinario Precum, & in loco apto propè oſtium collocatas genibus flexis perſolvant.

Si quis verò legendi facultate careat locum Precum ter dicat: *Pater noſter, & Ave Maria*. In egreſſu à Janua Conventus aqua benedicta ſtatim ſe ſignant, ſigno Crucis ſe muniant, & manibus intra manicas potius, inceſſu gravi, & Religioſo deambulare incipiant, eò mo-

do,

do, & ordine, qui in inſtructione de inceſſu Fratrum continetur.

In egreſſu verò, cum ad oſtium pervenerint tintinabulum, non feſtinantèr, & incompoſitè, ſed ſedatè, & modeſtiſſimè pulſent, & aperto à Janitore Oſtio aqua Benedicta ſe ſignant, Preces ut in Ordinario precum perſolvant, ſignacula à predicta tabula removeant, Superiorem ſtatim adeant, benedictionem ejus corrigiam deoſculando dicentes *Benedicite Pater* accipiant, de his quæ acta ſunt Sacerdotes ſtantes capitibus diſcoopertis non Sacerdotes verò Genibus flexis (quod ſemper quando Superiorem alloquuntur obſervare debent) rationem reddant, & ad proprias cellulas, vel miniſteria recta ſe transferant.

De Ritu, & ordine recipiendi Hoſpites.
Cap. XVI.

ITa Domino noſtro gratum eſt hoſpitalitatis officium, ut illud exercentes, & Angelos, & Verbum ipſum carne indutum vidiſſe, contrectaſſe, & hoſpitaſſe meruerint. Ideoque in omnibus noſtræ Congregationis Monaſteriis non ſolum juxta loci poſſibilitatem ſint Cœllæ pro hoſpitibus deputatæ ſeparatim; verum etiam locus aliquis aptus in quo fons marmoreus ita conſtructus ſit ut facilè poſſint hoſpitum pedes lavari; ſupra fontem in Pariete ſit depicta imago Sancti P. N. Aug. pedes Domini, ex cujus ore hæc verba prodeuut (*Magne Pater Auguſtine, hodie mæruiſti in carne videre filium Dei*) *genibus flexis lavantis, & extergentis.*

Cum autem Hoſpites advenerint Oſtiarius Priorem certiorem faciat, & habita venia ſex ictibus Campanulæ hoſpitarium vocet, qui ad proprias habitationes conducat, ut à labore itineris reſipiſcant. Poſtea aquam tepidam cum herbis odoriferis præparet, & in loco ſuperius aſſignato ſimul cum Suppriore, aliiſque Sacerdotibus

pre-

preces, prout in Ordinario precum,recitantibus lavat,& linteo mundo tempore congruo abſtergit pedes, modo & ordine in inſtructione Hoſpitarii præſcripto.

De Ritu, & ordine recipiendi Prælatos extraneos, vel Vicarium noſtrum Generalem. Cap. XVII.

QUotieſcumque Cardinalis ubique ille ſit, aut Legatus Sedi Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, venerit ad noſtram Eccleſiam exiſtentem in loco earum juriſdictionis, aut diæceſis, in medio Eccleſiæ ante Altare Majus præparabitur genuflexorium tapete, ſeu panno rubeo, vel violaceo pro Cardinali, pro Epiſcopo autem viridi, aut violaceo pro qualitate temporis coopertum: ſuper quod ſint duo pulvina ſerica ejuſdem coloris, unum ad genuflectendum, aliud ad ſuſtentandum brachia.

Cum Legatus, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus loci, in quo Conventum habemus, poſt ejus Adventum, prima vice ad noſtram Eccleſiam venerint, ſex candelæ in Altari Majori accenduntur, Priorque in proprio habitu cum omnibus Patribus in ipſa Eccleſiæ Porta illum reverenter excipiat; Ad cujus ingreſſum pulſantur campanæ; nihil tamen cantatur, factaque ei ab omnibus genuflexione, Prior miniſtrante aliquo Clerico vaſe aquæ benedictæ offert Prælato aſperſorium, cum aqua benedicta, & oſculo aſperſorii, ac ſigno oſculationis manus ob majorem reverentiam. Prælatus ſe ipſum, & Fratres genuflexos aſpergit, & Priori aſperſorium reddit, qui illud recipiens oſculatur, & à ſiniſtris Prælati, retrò parumper eum per Eccleſiam comitatur uſque ad genuflexorium ante Sanctiſſimum Sacramentum, ubi Prælatus Orationem faciet, cæteris omnibus poſt eum genuflexis. Deinde ſi Prælatus Miſſam audire vult, Prior ad Altare ubi Miſſa celebrabitur illum ſimi-

liter

liter aſſociet, ubi etiam genuflexorium, ut ſupra erit præparatum.

Si Conventum ingredi, & conſpicere Prælato videbitur; Prior eum comitabitur aliquibus ex gravioribus Patribus proſequentibus: Et primum pergent ad Chorum, vel Oratorium, ad Refectorium, Dormitorium, & Cellas Fratrum, indicando ei Paupertatem, aſperitatem, & mortificationes quotidianas noſtræ Congregationis, & ultimò ad Sacriſtiam oſtendendo ei per aliquem Sacerdotem Reliquias Sanctorum, ſi adſint. Si Prælatos Fratres noſtros videre per Conventum occurrerit; Ipſi debent ſiſtere gradum, & genuflectere.

Poſt Miſſam, vel Conventus viſionem eodem modo uſque ad portam illum aſſociabunt,genuflexionem illi omnibus facientibus.

Si verò Cardinalis extra locum ſuæ juriſdictionis, vel Epiſcopus loci, ubi Conventum habemus, poſt primam vicem ad noſtram Eccleſiam venerit,excipiet eum Prior cum aliquibus Patribus in introitu Eccleſiæ, & cum debitis oſculis Prælato aſperſorium miniſtrabit,non tamen pulſantur campanæ, ſed accenduntur candelæ.

Si autem Summus Pontifex ad noſtram Eccleſiam venerit præter ſupradicta accendantur ſex candelæ in Altari Majori, & Campanæ ſolemniter pulſentur, Fratreſque omnes pergant ad Eccleſiæ portam. Cum Summus Pontifex pervenerit ad fores Eccleſiæ, Prior in habitu Ordinario. Et Fratres omnes in mèdio Eccleſiæ hinc inde genuflexi benedictionem expectant, nec inde ſurgant, quo uſque tranſierit Summus Pontifex.

Si Princeps Magnus, vel Principiſſa in locis ſuæ juriſdictionis ad noſtram Eccleſiam pervenerit Prior miniſtrante Clerico vaſe aquæ benedictæ cum aſperſorio, adſtantibus etiam aliquibus ex gravioribus Patribus, eum ad januam Eccleſiæ reverenter excipiet, eumque comitabitur, ut ſupra uſque ad exitum Eccleſiæ, vel Conventus.

So-

Solemnes receptiones Prælatorum, aut Principum, in quibus canuntur Antiphonæ, deoſculatur Crux, & incenſatur Prælatus, non fient à Fratribus noſtris, quia nos non utimur cantu figurato, nec inſtrumentis organicis, quæ ad tales receptiones ſolemnes requiruntur, neque ad Eccleſias noſtras Prælati, ſeu Principes veniunt ſolemnitèr, & proceſſionalitèr cum Cruce, ſed ſolum privato modo, ideò non ſolemnitèr, ſed privatè eos recipere videbitur eſſe conveniens.

Prima autem vice, qua Admod. Rev. P. noſter Vicarius Generalis ad aliquem noſtræ Congregationis Conventum accedit, tamquam communis Pater, & Paſtor ab omnibus Fratribus ſolemniter recipiatur. Quare appropinquante ejus adventu, accendantur ſex candelæ ſuper Altare Majus. In Sacriſtia Prior ſuperpelliceo, & Stola Alba, & deinde, & duo Accolythi ſuperpelliceo ſe induent quorum unus vas cum aqua ſancta, & aſperſorio, alter verò Crucem parvam deferre debent, & ea omnia obſervabunt, quæ infrà in cap. 26. dicentur.

De Ritu in Proceſſionibus obſervando. Cap. XVIII.

SAcras publicaſque proceſſiones ex antiquiſſimo Sanctorum Patrum inſtituto celebrat Sancta Mater Eccleſia. Cum ad Proceſſiones communes, & univerſales totius Populi Fratres noſtri erunt ituri, Prior ſerò præcedenti in aliquo Communitatis actu, id Conventui ſignificabit, & ad modeſtiam, & devotionem omnes exhortabitur. In quantum autem fieri poteſt, abſque exterorum ſcandalo Fratres noſtri proceſſiones adire ſe abſtineant propter Clauſuram, & obſervantiam ſervandam, exceptis proceſſionibus ad quas de jure tenentur. At quoniam in diverſis regionibus ritus proceſſionum aliquàndo diverſus, & diſſimilis eſſe occurrerit, ideo Prior conſilio Seniorum, maximè eorum qui diù in il-

lo

lo Conventu ſunt commorati utetur.

Si ad aliquam Eccleſiam noſtram fuerit concurſus Populi; Sacerdotes ad Sacrum faciendum remanere poterunt, ſi tamen numerus Fratrum pro Proceſſione ſufficiens fuerit.

Sacriſta præparet in Sacriſtia omnia, quæ ad proceſſionem fuerint neceſſaria. In Proceſſionibus quæ fiunt per Civitatem, & in Eccleſiis noſtris Crux proceſſionalis erit lignea, longitudinis novem, vel decem Palmorum, & latitudinis quatuor digitorum; brachiorum autem latitudo erit quatuor vel quinque palmorum, tota nigra ſine imagine Chriſti Crucifixi cum titulo tamen, & tribus Clavis affixis, & corona ſpinea, aliquibus guttis ſanguineis locis ſolitis impreſſis; In proceſſionibus autem, quæ pro aliqua neceſſitate vel Eccleſiæ, vel Civitatis, aut Regni fiunt, congruentius erit Crucem cum Crucifixo deferre, & tunc Cruciferarius erit unus Sacerdos de gravioribus habens Stolam violaceam, & hinc inde duo Clerici cum intorticiis eum medium tenebunt.

Mittet Prior Tertiarium ad locum, ubi debet inchoari Proceſſio, ut per eum ſciat quando è Conventu Fratres exire debeant, plurimum enim alios prævenire levitatem denotat, & nimium morari pigritiam manifeſtat. Priuſquam exeant è Conventu, illam partem Divini Officii recitabunt in Choro, quæ tempore Proceſſionis erit perſolvenda; quoniam prævenire prudentia eſt, & poſtponere eſt negligentia.

Hora competenti dato ſigno campanulæ omnes in Choro conveniant (exceptis in lecto decumbentibus, & ad cuſtodiam, & miniſteria Conventus deputatis) ac fuſis ad Deum precibus, ad ſignum Præſidentis Cruciferarius, qui erit Frater aliquis Converſus in proprio habitu Crucem Proceſſionalem ferens, primus omnium egreditur, & facta genuflexione ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti verſus Eccleſiæ januam procedit, & Fratres omnes bini à junioribus incipiendo Crucem ſimiliter ſe-

quantur, at ſi numerus Fratrum impar fuerit, duo ultimi medium digniorem habebunt.

Dum Proceſſio per Eccleſiam tranſit Fratres ſint ſemper capitibus diſcoopertis,& etiam extra Eccleſiam quoties Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter defertur, in aliis autem proceſſionibus extra Eccleſiam ſemper erunt capite tecto, undè Eccleſiam egredientes caput tegant, & eam ingredientes aperiant: in cooperitione tamen capitis obſervabunt, quod Caputium debet tangere, non tamen excedere frontem.

Supprioris,(& Magiſtri Novitiorum circa ſuos Novitios) eſt ad Eccleſiæ januam, ac etiam alibi cum opus fuerit diſponere Fratres, ut bini bini, & diſtantes procedant.

Ingreſſo Templo, ubi debet incipi proceſſio, Cruciferarius coram Sanctiſſimo Sacramento, vel Altare Majori genibus flexis oret ter dicendo: *Pater noſter, & Ave Maria*, quod ſimiliter facient reliqui Fratres; quibus finitis ſurgant, oſculata prius, & poſtea terra, & intra aliquod Sacellum, vel alio ſecreto Eccleſiæ loco ſe componant. Ubi genuflexi, vel ſtantes, aut ſedentes Orationi mentali, ſeù vocali vacabunt. Nemo illinc diſcedat,nec cùm altero loquatur etiam Religioſo alterius Religionis, abſque expreſſa Superioris venia.

Cum inchoata fuerit proceſſio omnes ad proprium locum tendere feſtinent. Quoad modum in proceſſione ſervandum cum aliis Religioſis, maximè ſtrictioris obſervantiæ ſe conforment. Tranſeundo ante Altare Majus facient genuflexionem, & ſi adeſt Epiſcopus, vel Major, in ſua ſede facta Altari genuflexione, Epiſcopo ſimiliter fiet genuflexio, qui ordo, ut ab omnibus perfectè obſervetur, invigilet Superior, ut in principio proceſſionis, poſt Cruciferarium immediatè ſint duo Fratres experti, prudentes, & modeſti, ut Populus eos aſpiciens maximè ædificetur, & ſubſequentes Fratres ab illis regantur in omnibus.

In

In Proceſſionibus Religioſorum modeſtia maximè commendatur: procedant ergo omnes manus intra manicas ſupra Cingulum tenentes, inceſſu gravi, corpore tamen erecto, nemini caput aperiendo; hoc enim tantum Superioris eſt, maximo ſilentio, dicendo ſecretò coronam, vel alias pias Orationes, maximè jaculatorias, ſæpè cum Apoſtolo putantes Deum nos prædicaturos, & Apoſtolo noviſſimos oſtenſuros, tanquam mortificationi deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & Hominibus. Sic enim Populum ſuo exemplo ad devotè precandum invitabunt, & inflamabunt.

Bini ſemper incedant, & diſtantiam, inter binos uniformitèr ſervent, octo videlicet, palmorum in laterales, & decem inter præcedentes, & ſequentes: Nullus tamen ſibilus ab eis fiat, ſed quando eſt ambulandum quilibet præcedenti ſubmiſſa voce dicet: *Deo gratias*, & quando eſt ſiſtendum dicet *Ave Maria*.

Si obviam eis venerit aliquis Prælatus magnæ Authoritatis, vel tranſierint ante Templum; ubi aſſervatur SS. Sacramentum debent detegere, & inclinare caput. Cum inter magnam Populorum vim, ſeu turbam fuerint, invicem ſibi cohæreant, ne nimium ſe abſentent, tranſacta illa populi frequentia, procedant ut prius.

Finita Proceſſione, ne quod antea eundo Religioſitate, modeſtia, ac morum probitate ædificarunt, in redeundo loquendi immodeſtia, oculorum vagatione, viſu, & incedendi feſtinatione deſtruant, ideo eodem ordine, ac modeſtia; ſicuti in Proceſſione ad Conventum revertantur, dicente Patre Noſtro Auguſtino in Regula. *In inceſſu, ſtatu, & in omnibus moribus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtra deceat Sanctitatem.*

In Proceſſionibus autem, quæ fiunt in noſtra Eccleſia ratione Rubricæ Miſſalis Crucem proceſſionalem deferens, ſemper ſit medius inter Accolythos, candelabra

accenſa deferentes, & ſi per anguſtiorem locum tranſierint, primum Accolythi, & poſtea Cruciferarius pertranſibit, & ſi aderit Thuriferarius cum Thuribulo, ipſe omnes præcedet. In ſtationibus Crux, & Cruciferarius convertantur ad Fratres; Accolythi verò verſis ad ſe mutuò vultibus conſiſtent.

Si SS. Sacramentum Proceſſionalitèr defertur, ſub Baldachino albi coloris continuò procedet, & Thuriferarii SS. Sacramentum præcedentes illud inceſſantèr Thurificabunt, & Fratres omnes Capitibus diſcoopertis deferent Candelas accenſas, & cum intorticiis, quatuor Patres noſtri digniores intorticia accenſa propè SS. Sacramentum portabunt, qui à dextris, ſunt dextera manu candelas, vel intorticia deferent, & contra verò qui à ſiniſtris erunt.

Si deferendæ ſunt Reliquiæ Sanctorum, Celebrans, cum benedictione, & oſculis ponit incenſum in Thuribulo, & ter incenſat Reliquias, facta inclinatione ante, & poſt. Deinde velum magnum ad ſcapulas Celebrantis ſtantis per manum Accolythi ponitur; & per viam incenſantur, licet ſit ſignum Sanctæ Crucis.

Ante Altare SS. Sacramenti tranſeuntes Cruciferarius ſimul cum Accolythis genuflectet, & ſimiliter omnes Fratres bini facient, ſimul genuflectentes, & ſimul pariter ſurgentes, & idem facient ante Altare, in quo dicitur Miſſa, & SS. Sacramentum fuerit elevatum, uſque ad Sanguinis ſumptionem, vel in quo SS. Sacramentum miniſtratur: Si autem elevatur, genuflectant ſine mora, qui reperiuntur in conſpectu Altaris, & ſurgentes incedant, ne Proceſſio deturbetur.

Sed ſi in Proceſſione defertur SS. Chriſti Corpus, & dum Celebrans, Miniſtri, & Accolythi tranſeunt, elevatur in aliquo Altari SS. Sacramentum non genuflectant, ſed ſuo fungantur officio.

Providere tamen debet Sacriſta, ne tunc in locis illis celebretur, & Miniſter deſerviens Miſſæ Campanulam

tunc

tunc pulſare non debet, quod ſimiliter ſervabit Sacerdos deferens SS. Sacramentum pro communicandis, & etiam Accolythi intorticia accenſa deferentes nullibi dum tranſeunt inclinantes, neque genuflectentes.

Proceſſio per Eccleſiam fiat, vel Eccleſiæ Plateam, ſeu atrium à dextera ad ſiniſtram ideſt à parte Evangelii ad partem Epiſtolę procedendo: Antiphonæ, Hymni, & Pſalmi à Cantoribus inchoentur; Chorus Antiphonas proſequetur, & finiet, Pſalmos autem alternatim canet.

Quoties Proceſſio ante fores Eccleſię noſtrę tranſierit pulſentur Campanę, & ſi Eccleſiam ingreditur, accendantur etiam ſex Candelę in Altari Majori: Et quando Clerus, vel aliquis Religioſorum ordo, aut inſignis Laicorum Confraternitas proceſſionalitèr ad Indulgentias, vel alias cauſas ad noſtram Eccleſiam venerit, ultra ſupradicta, Cęremoniarius, vel alius Sacerdos, aut Clericus ſuperpelliceo indutus, detecto capite, ſtans intra Eccleſię portam à latere Epiſtolę ſupradicto ingredientes aſperget, Miniſtro vaſculum Aquę Benedictæ miniſtrante. Et ſi proceſſioni aderit Epiſcopus, vel ejus Vicarius Generalis Cæremoniarius, offerat eis cum oſculis aſperſorium, noſtrique Patres digniores intra fores Eccleſię illos reverenter excipiant (Confraternitate Laicorum excepta.)

De Ritu canendi, & recitandi Litanias Beatiſſimę Mariæ Virginis. Cap. XIX.

SIngulis Sabbatis totius anni, ac Feſtivitatibus Beatiſſimæ Mariæ Virginis, à Kalendis Aprilis uſque ad Kalendas Octobris, antequam finiatur Oratio Mentalis Veſpertina pulſentur Campanæ ſolemnitèr per ſpatium unius Pſalmi Miſerere pro Litaniis canendis, & poſtea Campana minor pro Completorio recitando, quod, finita pulſatione, ſtatim incipiatur; circa finem verò Completorii Hebdomadarius, & Cantores per-

pergunt ad Sacriſtiam, ibique Hebdomadarius ſuperpelliceo, & Stola tempori convenienti; Accolythi verò ſuperpelliceis ſe induunt. Interim verò Campanarius campanulam per ſpatium unius Ave Mariæ pulſabit.

Finito Completorio omnes Fratres domi exiſtentes, Hebdomadarius, & Cantores in Chorum ſe recipiant, & genuflectunt, uſquequo exeundi ſignum à Pręſidente detur. Signo dato debitis adhibitis reverentiis, in Eccleſiam conveniant, & ante Altare, in quo Litaniæ canendæ erunt genibus flexis conſiſtant; ibique Cantores ut ſupra induti, manibus intra manicas habentes, ſimul cum Hebdomadario etiam induto, junctis manibus ante pectus cum aliis genuflectunt; Hebdomadarius ſcilicet ſupra infimum Altaris gradum: Cantores verò hinc inde in plano abſque ullo ſigno Litanias canere incipient, manibus earum tabellas tenentes: dum autem dicitur *Kyrie eleiſon*, etiam Chorus eadem verba replicabit, cum verò perventum fuerit ad illa verba: *Pater de Cęlis Deus*, non amplius eadem replicabit, ſed cantet ſolum: *Miſerere nobis*, & ſic proſequentur uſque ad finem, nihil penitus eis addendo, nec minuendo: Cum canuntur illa verba: SANCTA MARIA, vel in principio Litaniarum, Sacriſta diſcooperit Imaginem Beatiſſimæ Virginis.

Finitis Litaniis dictoque ultimo *Agnus Dei*, Cantores ſurgunt, & intonant canendo Beatiſſimæ Virginis Antiphonam in fine Completorii poſitam, prout in Ordinario precum.

A Kalendis Octobris uſque ad Kalendas Aprilis Hora in tabula pulſandi pro Completorio præſcripta, ſolemniter ut ſupra Campanæ pulſentur, & tranſacto conſueto ſpatio, pulſetur Campana minor pro Completorio recitando. Quo finito canuntur Litaniæ ut ſupra, & iterum intonato à primo Cantore Pſalmo. *Miſerere* revertitur in Chorum ad faciendam Orationem Mentalem.

Matutino cum Laudibus finito, dictoque *Pater noſter*,

ſter, *& Ave Maria* poſt Antiphonam *Sacroſanctæ*, *ac Individuæ Trinitati*, duo Cantores in medio tenentes manibus tabellas Litaniarum ad Præſidentis ſignum Beatiſſimæ Virginis Mariæ Lauretanæ Litanias ſine cantu recitare incipient, Choro reſpondente eodem modo, quo dictum eſt ſupra. Quibus finitis Hebdomadarius ſurgit, & dicit: Oremus, & Orationem. *Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde &c.*; qua completa Cantores ad ſua loca redeunt.

De Ritu in ſolitudinis ingreſſu obſervando. Cap. XX.

CUm Religioſorum omnium Paradiſus Terreſtris ſit ipſa ſolitudo, dicente S. Hieronymo: *Eſt mihi oppidum carcer*, *& ſolitudo Paradiſus*; omnis Fratres noſter tam Superior; quam Subditus ſaltem ſemel in anno in Cella ſolitaria ad hoc deputata, & ab aliis Cellis in quantum fieri poterit ſegregata ſolitudinem faciet, & nullus omnino, niſi infirmitate cogente, hoc Angelicum exercitium audeat prætermittere.

Quilibet Superior in principio ſui officii, & Prædicator ante curſum Quadrageſimalium concionum, ac Sacerdos ante primam Miſſam, & Novitius ante ſuam Profeſsionem ſolitudinem faciet, Deo, & animæ ſuę cæleſtibus colloquiis, & meditationibus vacans, ut inde exiēs non modicum (adjuvante Deo) ſpiritus incrementum, atque fervorem ſentiat recepiſſe. Et ut facilius Fratres noſtri in hoc Divino Sanctorum colloquio exerceantur, Supprior poſt feſtum omnium Sanctorum uſque ad Menſem Julii excluſivè Sabbato in fine Tabulæ officiorum legere faciet: Solitarius erit Pater, vel Frater N. à dignioribus incipiendo, qui enim alios dignitate pręcedit, debet etiam exemplo, & Sanctitate praeeſſe.

Quando aliquis eſt ſolitudinem ingreſſus, poſt prandium, aut alia hora Fratres à Refectorio, ſeu alio loco

ad

ad Eccleſiam, vel Chorum, aut Oratorium proceſſionalitèr procedant, & ibi gratiarum actionibus (ſi opus fuerit) abſolutis, Cantores ad nutum Præſidentis in medio ſtantes intonant Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, prout in Ordinario precum &c. ad quæ verba omnes genuflectunt, & Hymnum alternatim devotè, & cunctantèr cantando, (ſi id diſtantia loci requiſierit) Solitarium ad ſolitudinem proceſſionaliter comitentur. In fine Hymni ſemper dicitur: *Deo Patri ſit gloria, & Filio qui à mortuis &c.* quia ſunt verſus proprii; Solitarius genuflectit ante portam ſolitudinis, aut Novitiatus, ſi eſt Novitius, & finito Hymno, Præſidens dicit Verſus, prout in Ordinario Precum.

De Ritu viſitandi infirmos noſtros, ac eis Sacram Euchariſtiam, ac extremam Unctionem miniſtrandi. Cap. XXI.

PRior præ oculis habere debet præcipuam muneris ſui partem, eſſe Fratrum infirmorum curam gerere: ideoque ſtatim ac per infirmarium audierit Fratrem aliquem ſui Conventus ægrotare, illum convenire, & circa eum quæ in inſtructione Prioris, & Ritual. Roman. de Viſitatione infirmorum continentur exercere tenetur.

Curet etiam diligenter, ut quilibet infirmus ſemel ſaltem in hebdomada præter Viaticum, Sacram Euchariſtiam jejunus, vel ſi periculum vitæ immineat frequentius percipiat. Quando verò Frater noſter infirmus fuerit communicandus, Infirmarius ejus locum mundabit, ibique præparabit Menſam linteo mundo coopertam, in cujus medio erit imago Chriſti vel alia devota figura, & hinc inde erunt duo Candelabra, cum cereis accenſis, erit etiam vas aquæ benedictæ pro ablutione digitorum Sacerdotis, & Purificatione Infirmi, ac etiam linteum

ante

ante ejus pectus; dum communicatur apponendum, qui ſi fuerit Sacerdos Stola alba erit indutus, dum Sanctiſſimum Chriſti Corpus recipit.

Sacriſta præparabit in Sacriſtia burſam cum Corporali, & Purificatorio, ſuperpelliceum, Stolam albam, velum longum, intorticia, atque candelas.

Dato ſigno Campanulæ, Congregatiſque cunctis Fratribus, Sacriſta accendit duos Cereos ſuper Altare Sanctiſſimi Sacramenti, & Fratres acceptis candelis, pergunt circumcirca, intra tamen Cancellos, ibique genuflectunt, ultimo Prior, vel eo abſente Supprior Superpelliceo, & Stola alba indutus, qui facta genuflexione in plana terra, genuflectit ſuper Altaris gradum inferiorem, & dum aliquantiſper orat, accenduntur luminaria, & impoſito velo per Cæremoniarium ejus humeris, ſurgit, aperit Tabernaculum, & genuflectit, accipit dextera Pixidem (non cum una particula, ſed pluribus, licet unus tantum ſit commnnicandus) quia ſaltem una particula Sacramenti ſupereſſe sēper debet parvo conopæo albo coopertā, quam ponet in ſiniſtra manu extremitate veli tecta, & altera veli extremitate manu dextera eā cooperit, atq; utraq; manu ante pectus elevatam deferet.

Noctis tempore hoc SS. Sacramentum nunquam deferri debet, niſi neceſſitate cogere omnes nudo Capite procedant primo duo Accolythi, quorum alter deferat Vaſculum cum aqua benedicta, & Aſperſorio, & Burſam cum Corporali, & Purificatorio ad digitos Sacerdotis abluendos. Alter hunc librum, vel Rituale Rom. & Campanulam jugiter pulſet, ſequuntur Fratres Candelas proceſſionaliter deferentes; poſtremo propè SS. Sacramentum quatuor, vel ſaltem duo ex dignioribus Patribus deferent intorticia accenſa; & deinde Sacerdos relicto oſtiolo Tabernaculi aperto (ſi non eſt aliud vas cum SS. Sacramento) procedit ad Infirmum geſtans SS. Sacramentum elevatum ante pectus cum aliis alternatim recitando Pſalm. *Miſerére mei Deus &c.*, & alios,

ac Cantica, ſi opus fuerit, ut in Rituali Romano.

Ingrediens Sacerdos locum, ubi manet infirmus dicat: *Pax huic Domui*; omnes genuflexi reſpondent, *& omnibus habitantibus in ea*, Infirmo induto, & ſi commodè fieri poteſt propè lectum genuflexo Sacramentum expectante; cœtera fiant prout in Rituali Romano.

Extrema Unctio, cum opus fuerit miniſtretur modo præſcripto in Rituali Romano. Cum autem evidens imminet mortis periculum ad ſignum Campanulæ omnes Fratres conveniant, & officium commendationis animæ, proùt in Rituali continetur, debitè perſolvant.

De Ritu in exequiis Defunctorum obſervando. Cap. XXII.

ANima è corpore egreſſa, ſignum ſtatim dabitur cum majori Campana, ut ſit pro Salutatione Angelica, & immediatè tribus vicibus ſono lugubri Campanæ pulſentur, ut omnes audientes pro ejus anima Deum precentur.

Dicto ℟. *Subvenite Sancti Dei &c.* cum ℣. & Oratione, Infirmarii Corpus Defuncti lavabunt, tali tamen modeſtia, ut pudenda nullatenus videantur: poſtea induent tunica nigra, Zona, & Caputio, ac etiam Stola violacea à collo pendente ſi Sacerdos fuerit, & ſupra feretrum nudum, ſeu Tabulam ponatur eodem loco, quo expiravit, vel alio convenienti. Intra Defuncti brachia ſupra pectus ſit parva Crux cum imagine Chriſti Crucifixi, & in manibus corona Beatiſſimæ Virginis Mariæ, pedibus nudis, & capite cooperto ſupra ſaxum; ſintque ibi duo Candelabra cum Cereis accenſis, & Vaſculum cum aqua benedicta, & Aſperſorio, duoque ſaltem Fratres continuò ibi aſſiſtant officium mortuorum, vel alias preces pro Defuncto dicentes, ita ut Cadaver ſolum quouſque ſepultum fuerit, non relinquatur.

Altare majus pallio nigri coloris, & Tabernaculum cono-

conopæo violaceo cooperiatur, ſicuti in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

Hora competenti dato ſigno Campanulæ, Fratres omnes in Sacriſtiam conveniant, Candelas extinctas accipiant, & præcedente Cruciferario cum Cruce Proceſſionali omnes ſequuntur bini ſolemniter, & capite cooperto, ultimus Prior Superpelliceo, & Stola nigra indutus ad locum Cadaveris procedentes: ibique accenſis Candelis, capitibus diſcoopertis, Prior aſpergit Cadaver aqua benedicta, & mox intonat ſine cantu Antiph. *Si iniquitates*, prout in Ordinario precum &c.

Dum defertur Cadaver pulſantur Campanæ ſono lugubri, & ordinatur Proceſſio, præcedens Accolythus deferens Vaſculum cum aqua benedicta, & aſperſorio, ſequitur Cruciferarius, & Fratres bini à junioribus incipiendo, Priore Feretrum præcedente. Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur Antiph. *Exultabunt Domino oſſa humiliata*, & Eccleſiam ingreſſi, Cantores moroſè canendo intonant ℟. *Subvenite Sancti Dei*, &c. ut in Rituali Rom. & Ordinario Precum, juxta quem Ritum cętera fiant.

In Sepulchro ſeparato à Sepulchris Laicorum Defunctum ponent, quod ſi Defunctus fuerit Sacerdos, collocabitur in Sepulchro capite verſus Altare, ſi autem non fuerit Sacerdos, verſus Altare pedes habebit.

Si morte ſubitanea, & repentina, (quod Deus avertat) Frater aliquis deceſſerit, non ſepeliatur, niſi tranſacto tempore viginti quatuor horarum, ut nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus.

Sacriſta, defuncti Fratris nomen, cognomen, patriam, & diem obitus in libro particulari mortuorum, notabit.

Poſt ſepulturam admoneantur Fratres ut quam primum ſuffragiorum debitum perſolvant. Pro Defuncto tam Novitio, quam Profeſſo cujuſcumque ſit conditionis, in eo Conventu, in quo, quando moritur, fuerit de familia, ſinguli Sacerdotes celebrent tres Miſſas, ſinguli

Clerici ter Officium integrum Defunctorum, Converſi verò, & Commiſſi tria Roſaria integra perſolvant. In omnibus aliis Conventibus Congregationis una Miſſa tantum cantetur ut in die obitus; dicatur in Choro Officium Defunctorum, Sacerdotes ſinguli unam Miſſam celebrent, Clerici ſemel Officium integrum Defunctorum, & Converſi, ſeù Commiſſi integrum Roſarium ſemel perſolvant. In morte autem Vicarii Generalis, ſtatim ac nota fuerit dato ſigno pro Defunctis pulſentur lugubritèr Campanæ, & fiant ea omnia ſuffragia, quæ fieri ſolent pro Fratre noſtro Defuncto in eo Conventu, in quo tunc temporis fuerit de familia.

In morte autem Provincialis, Procuratoris Generalis, Definitorum Generalium, & Viſitatorum in tertio anno, in omnibus Conventibus eorum Provinciæ fient ea omnia, quæ in tota Congregatione pro Vicario Generali fieri diximus.

In die obitus Summi Pontifici, & Eminentiſſimi Protectoris in ſingulis Conventibus dicatur in Choro Officium integrum Mortuorum, & pro eis celebretur Miſſa ſolemnis.

In obitu autem Patris, & Matris cujuſcumque Fratris noſtræ Congregationis, in eo Conventu, in quo tunc temporis degit de familia, cantetur Miſſa, cum integro officio Defunctorum, Fratreſque Laici, & Tertiarii ejuſdem Conventus tertiam partem Roſarii Beatiſſimæ Mariæ Virginis perſolvant.

Miſſæ verò, quę in noſtris Eccleſiis in die Commemorationis omnium Defunctorum celebrantur, applicentur pro omnibus Defunctis, iis tantummodò exceptis, quę pro Benefactoribus ex perpetua obligatione tenentur celebrari, nec poſſunt in alium diem transferri.

Et licet ad ſepeliendos mortuos Clauſurę cuſtodiendę cauſa, Fratres noſtri exire non permittantur; quando tamen ad ſepulturam Principum tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium propriæ Civitatis, ac etiam Fundatoris

alicu-

alicujus Conventus Congregationis invitantur, de Conſenſu Capituli Conventualis exire poſſunt. Aliorum verò, qui in noſtris Eccleſiis ſepeliri voluerint, corpora à Fratribus ante Eccleſiæ portam expectabuntur.

Cum Defunctus aliquis in Eccleſia noſtra fuerit ſepeliendus, Sacriſta præparabit in Eccleſia quatuor Candelabra, in quatuor angulis Feretri ponenda, & in Sacriſtia præparabit Crucem Proceſſionalem, Vas cum aqua benedicta, & Aſperſorio, Thuribulum cum Navicula, & Incenſo, Vas cum prunis accenſis pro Thuribulo, quatuor Superpellicea, Stolam nigram, & Ordinarium precum, aut Rituale Rom. & ſi tempus conveniens fuerit præparabit etiam omnia, quæ neceſſaria ſunt pro Miſſa Defunctorum celebranda.

Antequam Cadaver ad Eccleſiam perveniat, dato ſigno Campanulæ, omnes Fratres procedunt ad Sacriſtiã, ut accipiant Candelas, ſi exequutores Funeris detulerint: poſtea præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & Navicula, ſimul cum Accolytho deferente Vaſculum cum aqua Benedicta, & aſperſorio, ſequitur Cruciferarius cum Cruce Proceſſionali, omnes tres ſuperpelliceis induti, & reliqui per ordinem proſequuntur à Junioribus incipiendo, ultimo Hebdomadarius ſuperpelliceo, & Stola nigra indutus. Quando Cadaver eſt propè Eccleſiam, Fratres proceſſionalitèr Eccleſiam ingrediuntur, & Campanæ ſono lugubri pulſantur, ut ab audientibus oretur pro eo.

Eccleſiam ingreſſi, ſtatim Cantores intonant proſequente Choro ℟. *Subvenite Sancti Dei &c.* ut in Rituali Rom. & Ordinario Precum.

In Sacriſtiam revertentes, dicitur Pſalm. *De profundis &c.* cum verſibus, & Oratione, ut in Ordinario precum.

Sacriſta nomen, & cognomen Defuncti deſcribet in libro Mortuorum ſub hac forma: *Anno N. die N. Menſis N. Filius N. de N. ex loco N. ætatis ſuæ N. ſepultus eſt in Eccleſia noſtra S. N. N.*

Si

Si verò fient exequiæ alicujus Nobilis Defuncti in noſtris Eccleſiis, & Miſſa à Cantoribus extraneis cantetur, tunc omnia, quæ de Miſſa Solemni pro Defunctis dicta ſunt, obſervabuntur; ſed præter Celebrantem, & Miniſtros ibi aſſiſtentes, etiam adſit Magiſter Cæremoniarum, qui Celebrantem, & Sacros Miniſtros ſedere faciat ad *Kyrie*, & ad ea quæ à Muſicis canentur poſt Epiſtolam; ipſe verò cum Accolythis, & Thuriferario non ſedeat; Et quando Chorus Muſicorum cantat verſum, *Qui Mariam abſolviſti*; ipſe annuet Celebrantem, & Miniſtros, & eos ducat ad planum Altaris, ubi facta ab omnibus genuflexione, aſcendet Celebrans ſuper Bradellam, Subdiacono in plano Altaris remanente, & Diacono aſcendente ultimum Altaris gradum, ubi genuflexus dicat, *Munda cor meum*, & poſtea ad canendum Evangelium procedet.

In iis autem noſtris Conventibus, ubi ſunt Laicorum Confraternitates, ſi Confraternitas facit Officium Defunctorum, & Miſſam Fratribus noſtris canere faciat, ut ſolent Confratres Confraternitatis Jeſu Mariæ Romæ, tunc ad abſolutionem Tumuli ex una parte ſtabunt Fratres noſtri, & ex altera Confratres, ideſt à parte ubi aderit Celebrans Fratres noſtri, & ex altera Confratres, qua abſolutione ad Tumulum abſoluta poſt Crucem noſtram à Subdiacono delatam, inter duos Accolythos, ad Chorum redibunt.

De Reliquiis Sanctorum in Cœlo regnantium. Cap. XXIII.

CUltus Reliquiarum Sanctorum probatur authoritate ſacrarum litterarum, & Sanctorum Patrum teſtimoniis; nec non Conciliorum decretis confirmatur: unde, & Sacrum Concilium Tridentinum loquens de Reliquiis ait: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium Sancta Corpora, quæ*

viva

viva membra fuerunt Chriſti, & Templum Spiritus Sancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda à Fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominum præſtantur, & affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, & honorem non deberi omninò eſſe damnandos.

Sanctorum Reliquiæ in vaſculis honeſtiſſimis, vel capſulis ſericò circumveſtitis in loco honeſto, & tuto, ut inde auferri non poſſint, recondi, & aſſervari debent; in eodem Tabernaculo, in quo Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum manet, nullatenus collocentur, ne unus, & idem honor videatur tribui Reliquiis, & Sanctiſſimo Sacramento, nam Euchariſtia adoratur per ſe adoratione Latriæ, Reliquiæ autem adorantur reſpectu Chriſti adoratione Duliæ, poſſunt tamen conſervari intra ipſum Altare, aut in feneſtella ſerico circũveſtita in pariete Eccleſiæ, loco à terra elevato propè Altare Majus à parte Evangelii, vel in Armario ſuper Altare ipſius Sacriſtiæ collocato, quoniam ibi Sacerdotes, & alii Fratres aſſiduè orant, Armarium verò ſeù feneſtella ſemper ſit tribus clavibus clauſa.

Si Reliquiæ Sanctorum non ſint propè Lampadem Sanctiſſimi Sacramenti, ſed in Sacriſtia, tunc valdè laudabile eſſet, Deoque gratum, ſi ante eas lampas diu, noctuque arderet.

Officia Sanctorum, de quibus habentur Reliquiæ, fiant modo præſcripto à Sacra Rituum Congregatione.

Reliquias de novo inventas, ideſt Sanctorum, vel Beatorum non approbatorum, licèt per eas miracula fierent, nemo publicè venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. De Reliquiis autem Sanctorum Canonizatorum, vel Beatorum approbatorum, ſi de eis non extat Breve Sanctiſſimi Dñi Papæ, vel non habentur Scripturæ, & litteræ Epiſcopi Ordinarii loci approbantes, & fidem facientes, has eſſe veras Sanctorum, vel Beatorum Reliquias, de ipſis nun-

quam

quam fiet in Choro Officium, neque tales Reliquiæ exponantur publicè ſuper Altare.

Sanctorum Reliquiæ per Scripturas approbatæ, ſolemnioribus tantum diebus ſuper Altare exponantur, duobus ſaltem luminibus ſuper Altare continuò accenſis. Cum ex Armario ad Altare, vel ex Altari ad Armarium deferuntur, Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola coloris Officio convenientis indutus eas deferet, lumine præcedente. Quando alicui erunt oſtendendæ, accenſis luminibus Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola indutus oſtendet. E ſuis tamen loculis, & vaſculis ad oſtendendum extrahi nullatenus debent; quia cum oſſa oſtenduntur nuda, devotio multorum tepeſcit, & datur detractoribus cauſa obloquendi: dicunt enim, ſi fuiſſet Sanctus, non ſic fuiſſent ejus oſſa; non advertentes, quod omnibus generaliter dictum eſt. *Cinis es, & in cinerem reverteris*, (exceptis ſolum illis quibus Deus ſingularem gratiam facere voluit.)

Sanctorum Statuæ foramen ad conſervandas eorum Reliquias habentes, ſi Reliquias intus non habuerint, nullatenus ſuper Altare ponantur, ne orantium decipiatur intentio. Reliquiarum Eccleſiæ duę Tabellæ ex pergameno conficiantur, quarum una ſemper ſit in Sacriſtia appenſa, ut patet in Eccleſiis Romæ, & altera in Archivio Conventus conſervetur.

De Ritu recipiendi Viſitatorem Apoſtolicum ad nos viſitandos à Summo Pontifice miſſum.
Cap. XXIV.

QUando aliquis Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis, aut Epiſcopus de mandato Sanctiſſimi ad aliquem noſtræ Congregationis Conventum viſitaturus acceſſerit, proceſſionaliter recipi debet; Undè Fratres omnes ante Eccleſiæ portam cum

expe-

expectabunt, ibique erunt Accolythi, medium tenentes Cruciferarium cum Cruce, & Prior Stola, & Cotta indutus cum uno Accolytho tenente Aſperſorium,& Thuribulum cum prunis ardentibus, & ante ejus Januam erit genuflexorium cum ſtrato, quò cùm pervenerit Viſitator, ſe genuflectit, & Prior porrigit ei Crucem oſculandam, quo tempore.

Cant. intonant: *Sacerdos, & Pontifex*.

Chor. proſequitur: *Et virtutum opifex, Paſtor bone in populo ſic placuiſti Domino*.

Vel Cant. *Ecce Sacerdos magnus*.

Chor. *Qui in diebus ſuis placuit Deo, ideò jurejurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam*.

Cant. *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus*.

Chor. *Ideo Jure jurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam*.

Cant. *Gloria Patri &c.*

Chor. *Ideò Jurejurando &c.*

Dùm verò canitur præfata Antiphona, Prior illi porrigit Aſperſorium, & tunc Viſitator Apoſtolicus primò ſe aſpergit, & deindè alios; Et recepto Aſperſorio ponit Viſitator Thus in Thuribulo, ei miniſtrante naviculam Priore, & deinde Prior capto Thuribulo Viſitatorem triplici ductu incenſat. Quo facto proceſſionaliter pergunt ante Altare Majus, ubi ſex candelæ ſint accenſæ,& dùm Viſitator ſuper cuſſinum ante infimum Altaris gradum genuflexus, aliquantiſper orat, remanente Cruce cum Accolythis à parte Evangelii, Prior ſtans à parte Epiſtolæ verſus Altare dicit.

℣. Protector noſter aſpice Deus.

Chor. Et reſpice in faciem Chriſti tui.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

Chor. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

Chor. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

Chor. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

Chor. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

Chor. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus humilium Viſitator, qui eos paterna dilectione conſolaris, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus adventum. Per Chriſtum Dominum noſtrum

Chor. Amen.

Poſt hæc, Cantores intonant *Antiphonam Sancti Titularis Eccleſiæ*, & Chorus eam proſequitur; & dicentibus verſiculum, Viſitator Apoſtolicus ſurgens,aſcendit ad Altare, quod in medio oſculatur, & deinde procedens ad cornu Epiſtolæ facie ad Altare verſa dicit *Orationem de Sancto Titulari*, qua abſoluta redit in medium Altaris, & dat ſolemnem benedictionem, dicendo, *Sit nomen Domini benedictum &c.*

His peractis, Apoſtolicus Viſitator cappa exuitur; & induitur amictu, Stola, & pluviali coloris violacei, & Mitra ſimplici, & deinde proceſſionaliter pergit in Cæmeterium, vel in locum, in quo Fratrum noſtrorum reperitur Sepulchrum, & ibi intonat.

Ant. *Si iniquitates.*

Cant. verò Pſalmum 129. *De profundis.* Choro uſque ad finem reſpondente, quo abſoluto.

Cant. dicunt *Si iniquitates.*

Chor. Reſpondet, *Obſervaveris Domine, Domine quis ſubſtinebit.*

Et Prælatus depoſita Mitra dicit *Kyrie eleiſon.*

Chor. reſpondente *Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.*

Prælat. *Pater noſter.*

Et

Et poſito incenſo in Thuribulo, accipit aſperſorium, & Sepulchrum Fratrum aſpergit, & deindè incenſat, poſteà.

Prælat. dicat *Et ne nos inducas in tentationem.*
Chor. *Sed libera nos à malo.*
Prælat. *In memoria æterna erunt juſti.*
Chor. *Ab auditione mala non timebunt.*
Prælat. *A porta inferi.*
Chor. *Erue Domine animas eorum.*
Prælat. *Requiem æternam dona eis Domine.*
Chor. *Et lux perpetua luceat eis.*
Prælat. *Domine exaudi orationem meam.*
Chor. *Et clamor meus ad te veniat.*
Prælat. *Dominus vobiſcum.*
Chor. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEus,qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali feciſti dignitate vigere; præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur conſortio.

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator quęſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt B. Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas.

Deus cujus miſeratione animæ Fidelium requieſcunt, famulis, & famulabus tuis omnibus hic, & ubique in Chriſto quieſcentibus da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Chor. *Amen.*
Prælat. *Requiem æternam dona eis Domine.*
Chor. *Et lux perpetua luceat eis.*
Cant. *Requieſcant in pace.* Chor. *Amen.*

Et reaccepta Mitra, omnes proceſſionaliter ſubmiſſa voce canentes Pſalmum *Miſerere*, in cujus fine dicant, *requiem æternam dona eis Domine &c.* ante Altare Majus procedunt, quo cum pervenerint, Viſitator Apoſtolicus Mitram deponat, & dicat *Kyrie eleiſon*.

Choro reſpondente *Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon*.

Prælat. *Pater noſter*, quo dicto ſecreto, dicat.

Et ne nos inducas in tentationem.

Chor. *Sed libera nos à malo*.

Prælat. *A porta inferi*.

Chor. *Erue Domine animas eorum*.

Prælat. *Domine exaudi orationem meam*.

Chor. *Et clamor meus ad te veniat*.

Prælat. *Dominus vobiſcum*.

Chor. *Et cum Spiritu tuo*.

Oremus.

ABſolve quæſumus Domine animas famulorum, famularumque tuarum, ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Chor. *Amen*.

His peractis depoſita Stola, & Pluviali violacei coloris, veſtimenta alba aſſumit, & viſitationem incipit à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, deindè pergit ad Oleum Sanctum, & Sanctorum Reliquias viſitandas; Quibus viſitatis, depoſitis Stola, & pluviali albis, in proprio habitu viſitat Altaria, Cappellas, Sacras Imagines, Sedes Confeſſionales, & Sacriſtiam, & etiam Confraternitatem ſi adſit, quando tamen Confraternitas in Conventu habet Oratorium; Quibus completis, ſi velit in Conventu remanere ad audiendos Fratres, & viſitandas Officinas, & Religioſorum Cellas, Fratres omnes eum aſſociabunt ad locum, in quo habitare voluerit, ſin autem, eum uſque ad portam Conventus aſſociabunt, &

facta

facta ei gratiarum actione pro tanto onere ſuſcepto, ejus purpuram, ſi ſit Cardinalis, oſculabuntur: ſi autem Epiſcopus, habitum, & eo diſcedente omnes Conventum ingredientur, & cum ſilentio ad proprias Cellas revertentur.

De Ritu recipiendi Vicarium noſtrum Generalem, dum ad viſitandum aliquem Conventum accedit. Cap. XXV.

QUando Admodum R. P. Vicarius Generalis ad viſitandum aliquem noſtræ Congregationis Conventum acceſſerit, appropinquante ejus adventu ponatur Sella ſuper Altare majus à parte Evangelii,& deindè ſex candelæ ſuper Altare Majus accendantur,& genuflexorium cum ſtrato antè Altaris Majoris Cancellos, & pulſata Conventus Campanula omnes Fratres in Eccleſiam conveniant, & Prior Superpelliceo, & Stola indutus cum aſperſorio, & unus Accolythus cum Crucifixo hinc indè ad Eccleſię portam facie ad invicem verſa eum expectabunt hoc ordine, quod Seniores ſint propè januam Eccleſiæ, & ibi ponatur cuſſinum, ſuper quo cum pervenerit ſe genuflectet, & de manu Prioris ei Crucifixo porrecto illum oſculabitur; Quo oſculato Prior propriam Stolam,dabit Adm. R.P. Vicario Generali,& deindè aſperſorium, & omnes Fratres genuflexos aſperget, interim pulſantibus ſono feſtivo campanis, & intonato à duobus Cantoribus Hymno *Te Deum laudamus*, cæteris Fratribus Hymnum proſequentibus, Proceſſionalitèr ante Altare Majus pergent, & ſuper genuflexorio ibi præparato aliquantum orabit, & deinde ibi ſtabit. Finito Hymno Prior à parte Epiſtolæ ſtans, dicat.

℣. Protector noſter aſpice Deus.
℟. Reſpice in faciem Chriſti tui.
℣. Memor eſto Congregationis tuæ.

Chor.

Chor. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
Chor. Deus meus ſperantem in te.
℟. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
Chor. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt Theſaurus, piiſſimæ majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens, ad præmia profutura diſponas.

Omnipotens ſempiterne Deus,qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper hunc famulum tuum Vicarium Generalem noſtrum, & ſuper Congregationem illi commiſſam, gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
Chor. reſp. Amen.

Deinde Superpelliceo ſe exuat, & P.Vicarium Generalem ad Sellam comitetur, eique ſedenti obedientiam præſtet genuflexus,ejus corrigiam deoſculando,quod facient & reliqui Fratres à Senioribus incipiendo, quibus expletis P. Vicarius Generalis dicat *Sit nomen Domini benedictum*,reſpondente Conventu,*ex hoc,nunc, & uſque in ſæculum*, & omnes Vicarium Generalem ad propriam cellam aſſociabunt.

De

De Ritu ſervando in novem diebus feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti antecedentibus. Cap. XXVI.

QUia in pluribus noſtris Conventibus in Eccleſia venerantur novem dies partum Beatiſſimæ Mariæ Virginis antecedentes; Idcircò ut omnes in Cæremoniis conveniant, & eumdem morem ſequantur, die 16. Decembris datur huic devotioni principium; Quapropter hora vigeſima ſecunda pulſatis bis per dimidium quadrãtem feſtivo more campanis, exponitur Sanctiſſimum Sacramentum, eo modo, & ordine, quo lib. 4. cap. 17. dictum eſt, & deindè hora competenti, dicto completorio, exeant Fratres bini bini, (poſt Confraternitatem ſi adſit, quæ extra cancellos genuflectet) & facta ambobus genibus genuflexione hinc inde ſe genuflectent ad modum coronæ intrà cancellos; Quos ſequantur duo Accolythi cum candelabris, & Prior cum Alba, Stola, & Pluviali, & ſuper ultimũ gradum altaris facta prius genu utroq; genuflexione, omnes ſe genuflectent, & dicet *Actiones noſtras &c.* & Cantores dicant Hymn. *Salve mater miſericordiæ &c.* & ad omnes quatuor verſus reſpondeant omnes dicendo *Ave Maria &c.* ex una parte, & ex altera, *Sancta Maria mater &c.* prout in ordinario precum legitur; & poſtea canantur Litaniæ Beatiſſimæ Mariæ Virginis, cum antiphona *Alma redemptoris &c.* cum verſiculo & propria oratione; Qua finita unus Sacerdos Superpelliceo indutus pergit ad Altare, & factis genuflexionibus aſcendet ſupra Bradellam, ibi brevi diſcurſu tam magnum Incarnationis myſterium populo conſiderandum proponet, & ad actus amoris erga Deum, & compunctionis hortabitur. Quo abſoluto veniet Thuriferarius cum Thuribulo, & poſito à Priore incenſo in Thuribulo, SS. Sacramentum incen-

ſa-

ſabit, quo incenſato Cantores *Tantum ergo Sacramentum* canent, Choro proſequente, & dicta à Priore Oratione de Sanctiſſimo Sacramento, Populum benedicet; Et Oſtenſorium in Tabernaculo reponet; Et Fratres bini bini à junioribus incipiendo ad Chorum revertentur dicendo ſubmiſſa voce Pſalmum *De profundis*, poſt quem Prior dicat orationē *Fidelium Deus &c.* & ad Sacriſtiam præcedentibus Thuriferario, & Accolythis perget.

De Ritu obſervando in gravibus Eccleſiæ neceſſitatibus. Cap. XXVII.

QUia tempore gravis neceſſitatis, putà belli, famis, peſtis, ac terræmotus, (quæ Deus avertat) majori ſtudio, & diligentia populi ad pœnitentiam ſunt revocandi; Idcircò Fratres noſtri per aliquot dies cum licentià tamen Ordinarii, hora vigeſima ſecunda Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponent, & deinde dicto in Choro Completorio bini bini ad Eccleſiam ante Altare majus ſe conferent, ubi facta ante Sanctiſſimum Sacramentum genuflexione, Prior, aut alius Pater de gravioribus à duobus Accolythis aſſociatus ante infimum Altaris gradum, ſe genuflectet, & in plano Accolythi, qui incipiente Sacerdote *Actiones noſtras &c.* Litanias Sanctorum proſequentur, quibus finitis dicto *Pater noſter* à Celebrante, intonant Pſalmum, aut *Deus in adjutorium*, ut in Breviario, *aut Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, ſi bellum Eccleſiam gravet, *aut Deus noſter Refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus*, ſi terræmotus fuerint, aut quemcumque alium Pſalmum, proùt ab Ordinario loci præſcribetur, quo abſoluto dicat præces Sacerdos, & interim à Sacriſtia veniat alius Pater ſuperpelliceo indutus, qui factis debitis genuflexionibus ſe locet ſuprà bradellam à parte Evangelii, ibique brevi diſcurſu ad pœnitentiam, & vitæ emendationem omnes adhortabitur,

tur, quo finito poſito à Celebrante incenſo in Thuribulo, Sanctiſſimum Sacramentum incenſabit, & dicto ab omnibus Hymno: *Tantum ergo Sacramentum*, & à Sacerdote oratione, benedictionem dabit cum Venerabili; Et Fratres bini bini ad Chorum revertentur, & Sacerdos præcedentibus Thuriferario, & Accolythis, in Sacriſtiam procedet.

Si autem acciderit, quod terræmotus noctis tempore ſit auditus, & populus ad fores Eccleſiæ clamet, ut pluriès accidere viſum eſt, ut Confeſſarii eorum Confeſſiones excipiant. Tunc Hoſtiarius Priorem admonebit, qui ſtatim viſa neceſſitate, omnes Pratres ad ſonum Campanulæ convocabit, & pulſatis Campanis aperire faciat Eccleſiam exponendo ſuper Altare Pixidem Sanctiſſimi Sacramenti, ea omnia faciet, quæ in hoc Capite dicta ſunt, poterit verò diſcurſum omittere; Et interim Confeſſarii cum omni charitate, patientia, & manſuetudine Chriſti Fidelium confeſſiones excipiant, & eos ad Pœnitentiam, & vitæ emendationem adhortentur. Caveat hic Sacriſta, quod ſi hoc unquam acciderit, lampades accenſas in Eccleſia teneat, & etiam quatuor candelas ſupra majus Altare, ut omnes ſe facilè videri poſſint.

De Ritu obſervando, quando per Civitatem aliquis ex noſtris Religioſis cauſa miſſionis concionari debuerit. Cap. XXVIII.

QUando fiunt in aliqua Civitate Miſſiones, ſolet Miſſionarius noctis tempore ab aliqua Confraternitate aſſociatus, per plateas Civitatis aliquas conciones efficere; Idcircò ordinata Proceſſione, ipſe cùm Crucifixo antè pectus, medius inter duos Confratres incedet, poſt Confraternitatis Crucem, & cum pervenerit ad locum, in quo concionari voluerit, à proceſſione abſcedat, & ſuper aliquem lo-

 cum,

cum, à quo, ab omnibus videri poſſit aſcendens, Campanulam parvam pulſet; Et Confraternitas ibi coadunetur, tenente Cruce à parte dextera Concionatoris, & à canendis Litaniis, aut Pſalmis ſiſtat, quouſque Pater concionaverit; Finita tamen concione ordinetur denuò proceſſio, uſque ad alterum locum, in quo fuerit Concionaturus; Et deinde redeuntibus ad Eccleſiam, ſupra januam Eccleſiæ ſe conferat, ibique denuò concionetur; qua finita, faciat dicere Confraternitati, & populo ibi adunato *Confiteor, &c.* quo finito, plures faciat actus Contritionis, & ad eos faciendos populum adhortetur, & deinde dicat: *Miſereatur veſtri, &c. Indulgentiam abſolutionem &c.* uſq; ad illa verba *miſericors Dñus* tantùm, & omnes Cruce Confraternitatis benedicet; dicendo: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*, & deoſculatis pedibus Crucifixi, illum Confratri tribuet, à quo eum accepit, & ad proprium Conventum perget.

Formularium Litterarum Teſtimonialium ad uſum Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ. Cap. XXIX.

Pro Admod. R. P. Vicario Generali. Formula I.

Nos N. N. S. R. E. Cardinalis N. totius Ordinis Sancti Auguſtini Protector, & Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum ejuſdem Ordinis Congregationis Italiæ, & Germaniæ, Præſidens Apoſtolicus Capituli Generalis, nùnc menſe N. celebrati in Conventu N. Civitatis N.

Di-

Dilectis omnibus, & ſingulis Patribus, & Fratribus omnium Provinciarum, & Conventuum prædictæ Congregationis. Salutem in Domino.

Reverendis Patribus prædicti Capituli Generalis, pro electione Admodum Reverendi Patris Vicarii Generalis totius noſtræ Congregationis, ſumma cura, ſummaque diligentia conſulentibus, tandem, Deo ſuo lumine concurrente, oculos in Adm. R. P. N. Injecerunt, ipſumque ſervatis ſervandis juxta noſtras Conſtitutiones ritè, & rectè Vicarium Generalem elegerunt. Nos igitur de ejus probitate, ſufficientia, morum honeſtate, bono regimine, rerum experientia, & regularis obſervantiæ Zelo quamplurimum in Domino confiſi, ipſum Admodum R. P. in Vicarium Generalē totius noſtræ Congregationis declamus, & confirmamus; & auctoritate, quà in hac parte nomine totius prædictæ Congregationis gerimus, & fungimur omnimodam facultatem, & poteſtatē prędicto Admodum R.P., quæ Vicario Generali per noſtras Conſtitutiones, Sacros Canones, & quomodocumque legitimè competunt damus, & impartimur; ejuſque conſcientiam in die Domini onerantes, ut hoc præcipuum munus tamquam omnium Fratrum Vigilantiſſimus Paſtor, piuſque Pater, ac Prudens Rector, ad ſpiritualium, temporaliumque rerum incrementa, ſedulo, & utilitèr ſerendo, atque adminiſtrando perfectioni regulari ejuſdemque noſtræ Congregationis in Dei, ac S. P. N. Auguſtini obſequium, & honorem propagationi tamquam exactam Domino rationem redditurus indeſinentèr invigilet: Vobiſque omnibus, & ſingulis in virtute Spiritus Sancti, & Sanctę obedientiæ præcipimus, ut ei debitam veramque Obedientiam, ac reverentiam promptè, & ſtatim præſtetis; orantes cunctas, tam Eccleſiaſticas, quam Seculares perſonas, ut eundem Adm. R. Patrem, tamquam legitimum totius noſtræ Congregationis Su-

periorem Generalem habeant, & agnoſcant. In quorum Fidem has per Secretarium Capituli Generalis exaratas, manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo Congregationis munitas dedimus N. Anno.

Pro Rev. Patre Procuratore Generali. Formula II.

CUm per noſtras Conſtitutiones ſancitum reperiatur, ut aliquis, noſtræ Congregationis probatæ vitæ, ſufficientis ſcientiæ, congruæ experientiæ, & diligentis prudentiæ Frater, qui ad Jura prędictę noſtræ Congregationis tuenda, Brevia Apoſtolica procuranda, Privilegia manu tenenda, & defendenda, apud Romanam Curiam, & Sanctam Sedem Apoſtolicam, in Generalem totius noſtræ Congregationis Procuratorem eligatur, & conſtituatur; cumque Patres Capituli Generalis, nunc in Conventu noſtro N. in Domino Celebrati, maturè conſulendo, ſupradicta in Reverentiam tuam cognoverint, talique officio dignum judicaverint, & ideo in Procuratorem Gener., ritè, & rectè per vota ſecreta te elegerint; ea de re, nos, una cum Definitoribus Generalibus de tui prudentia, fide, legalitate, bonitate, ſufficientia, rerum experientia, atque erga Congregationē noſtram zelo, & pietate in Domino confiſi, te in Procuratorem Generalem totius noſtræ Congregationis apud S. Sedem Apoſtolicam, ac Romanā Curiam, ubique exiſtentem tenore præſentium, nominatum, electum, creatum, & conſtitutum declaramus, pronuntiamus, & ad notitiam omnium, ad quos ſpectat deducimus, dantes, & communicantes tibi omnem auctoritatem, poteſtatem, & facultatem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, ſicut cœteri Procuratores Generales; Juxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum habere conſueverunt. Præcipimus igitur, & omnibus, & ſingulis Fratribus, mandamus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, ut te in Procuratorem Generalem recipiant

cipiant, & admittant, ibique uti tali, debitam reverentiam, & obſequium præſtent. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Amen. In quorum fidem has per Secretarium Capituli Generalis exaratas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Congregationis munitas, dedimus N. die ... Menſe .... & Anno ....

Pro RR. PP. Definitoribus Generalibus. Formula III.

QUia in Capitulo Generali, nunc hic in Conventu S. N. N. in Spiritu Sancto legitimè celebrato, pro electione quatuor Definitorum, maximum ſtudium exactamque diligentiam Patres exhibuerunt, utpotè quia eos, qui onera Congregationis noſtræ ſimul cum Admodum R. P. Vic. Generali ferre debent oportet eſſe ſecuros. Ideo cum tui agnita bonitate, integritate, ac Regularis Obſervantiæ zelo in primum, vel ſecundum, vel tertium, vel quartum Definitorem Generalem ritè, & rectè elegerint; Idcirco electionem ipſam approbamus, & confirmamus Teque in primum, vel ſecundum, vel tertium, vel quartum Definitorem Generalem noſtræ Congregationis declaramus, & denuntiamus, Tibique omnem auctoritatem, quæ juxta noſtras Conſtitutiones, aliique Definitores habere ſolent, & conſueverunt, libere per has noſtras à Secretario Capituli Generalis exaratas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Congregationis munitas damus, & impartimur tuam conſcientiam onerantes, inſtanterque admonentes, ut veræ perfectæque Regulari obſervantiæ ad ſpiritualem progreſſum, tamquam Domino rationem redditurus ſolertèr invigilans, munus ipſum irreprehenſibiliter exerceas, & adminiſtres, auctoritate igitur qua fungimur, In virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, tenore pręſentium omnibus, & ſingulis Patribus, & Fratribus præcipimus, & mandamus,

mus, ut Te talem habeant, recipiant, & cognoſcant; Inſuper in ea, quæ ad tuum pertinent officium, quando, & ubi opus fuerit, pariant, & obediant; In nomine Patris &c. Dat. N. die .....

Pro RR. PP. Viſitatoribus Generalibus Formula IV.

SAcro Concilio Triden. Seſſione 15. cap. 8. ſtrictè Superioribus injungente, ut Monaſteria Religionum, ſive Congregationum, ſibi Commiſſarum frequentèr viſitent, eorumque reformationi diligentèr invigilent, & incumbant, & alias in Adm. Vicario Generali noſtro, multæ, & graves occupationes, quibus pro regimine totius Congregationis retinetur, obſiſtant, ne id per ſe ipſum agere valeat: PP. noſtri Capituli Generalis, nunc in Domino N. Celebrati, ne laudabilem conſuetudinem ex noſtrarum legum fonte ſcaturientem prętermitterent, RR. PP. NN. in Viſitatores Gen. per ſecreta ſuffragia canonicè elegerunt, & deputaverunt. Nos ergo de eorum probitate, ſufficientia, prudentia, & charitate, plurimum in Domino confidere poſſe ſcientes, prædictam electionem tenore præſentium, & auctoritate, qua fungimur, approbamus, & confirmamus; eoſque RR. PP. in Viſitatores Generales totius noſtræ Congregationis declaramus, & denunciamus: Inſuper eiſdem RR. PP. omnem auctoritatem, quæ tam de Jure, & Vigore noſtrarum Conſtitutionum, quam etiam ex approbata conſuetudine fieri poſſunt, & debent, ac alii Viſitatores Generales habere conſueverunt, liberè damus, tribuimus, & impartimur; eorum conſcientias in Domino onerantes, & inſtantèr admonentes, ut ſaluti animarum; & regulari perfectioni conſulendo, nihil intentatum relinquant, quod ad Dei cultum, & noſtri Ordinis propagationem, ſingulorumque Fratrum profectum, & utilitatem conducere poſſit, ut ſic omnes

una

una voce Davidicum illud verbum pangere poſſit: *Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum*. Mandamus igitur omnibus, tam Superioribus quam Subditis, atque in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ præcipimus, ut prædictos RR. PP. in Viſitatores Generales totius noſtrę Congregationis recipiant, & admittant, eiſque tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus debitam obedientiam, & reverentiam præſtent. In nomine Patris &c. In quorum fidem has per Secretarium Cap. Gen. exaratas, manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Congregationis munitas dedimus N. die ... Menſe ... Anno ...

Pro Rev. P. Commiſſario Generali ad viſitandas aliquos Provincias. Formula V.

Nos F. N. à S. N. FF. Eremitar. Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germanię Vic. Gen. Dilectis nobis in Chriſto Filiis PP. & FF. ejuſdem noſtræ Congreg. Profeſſis Salutem, & Obedientiam.

VUltus pecoris noſtri, Juxta Sapientis præceptum, cognoſcere, proculdubio tenentur Prælati ex officio, quia tamen diverſæ, & graves occupationes, quibus nunc præpedimur, & retinemur, obſiſtunt, necnon per nos ipſos perſonaliter agere valeamus; & tua nobis explorata, & comperta Prudentia, Charitas, & Fides tanti apud nos valeat, ut quod per te gerimus, nos ipſos geſſiſſe putemus; idcircò cum Provinciæ noſtræ NN. hoc anno viſitatæ non fuerint, & nos de ipſarum diſpoſitione certiores fieri cupiamus, earundem viſitationem, Tibi committimus, & delegamus; Teque in Viſitatorem prædictarum Provinciarum facimus, inſtituimus, & declaramus; Dantes, & comunicantes Tibi omnem auctoritatem, & poteſtatem ad Univerſitatem cauſarum, quam nos vigore noſtri officii habemus, & potimur, & haberemus, & potiremur, ſi ad Viſitationem prædictarum Provinciarum perſonaliter

tèr accederemus. Mandamus igitur, Et in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ præcipimus omnibus, & ſingulis prædictarum Provinciarum, Patribus,& Fratribus, tam Superioribus, quam Subditis, ut Te R.P. N. In Commiſſarium noſtrum recipiant, & admittunt, Tibique omnem obedientiam, & reverentiam præſtent, ſicut, & nobis præſtare debent. In nomine &c. In quorum ſidem has &c.

Appendix.

SI autem deputare voluerit aliquem Commiſſarium Generalem in una tantum Provincia,vel Conventu, quæ ſunt in numero plurali,mutet in ſingulari, aut loco Provinciæ, ponat Conventus.

Pro Præſidente Capituli Provincialis. Formula VII.

PAſtoralis ſollicitudinis officium,quod ſupra Gregẽ nobis commiſſum diſpoſitione divina gerimus, licet immeriti, mentem noſtram ad ea excogitanda, atque procuranda nos urget, quę omnium Provinciarum commodum, ac directionem, Subditorum quietem, atque totius Congregationis præferunt incrementum. Quamobrem cum inter cętera, quibus commune bonum, regulariſque obſervantia effloreſcit, proborum, ac diligentum Superiorum electio potiſſimum cenſeatur. Nos,qui hujus noſtræ amantiſſimæ Provinciæ N.N. utilitatem, atque incrementum vehementius optamus, & aliis detenti curis, Provinciali veſtro Capitulo futuro Menſe N. currrentis Anni, in præfato Conventu Celebrando per nos ipſos ut noſtri muneris ratio poſtularet, intereſſe minime valeamus; ne vobis hujuſmodi noſtra abſentia ſit oneri, huicque Provinciæ detrimento, Idoneum Patrem, qui vices noſtras ibidem fungatur, cogi-

mur deſtinare. Cum igitur de Integritate, Prudentia, obſervantia, doctrina, ac in arduis licet negotiis pertractandis experientia nobis abundè conſtet R. P. N. N. à Definitorio Provinciali ejuſdem Provinciæ inter alios ad hoc munus nobis propoſiti, & nominati; tenore præſentium illum in Præſidentem veſtri Capituli Provincialis inſtituimus, ac deputamus; Plenariam noſtram, quę in hac parte fungimur, præſidendi, necnon in cunctis ejuſdem Capituli actis, & geſtis, ab initio ad finem uſque incluſivè aſſiſtendi, convocandi, eligendi, præcipiendi, abſolvendi, cęteraque etiam, quę per nos ipſos fieri poſſent, ſi præſentes eſſemus; etiam ſi requirerent ſpeciale mandatum, ac majora expreſſis exiſterent, faciendi auctoritatem eidem concedimus, & impartimur. Omnia itidem, & ſingula acta, & geſta, quæ ipſo non pręſente fieri continget, annullantes, caſſantes, ac irritantes; cunctis pręterea memorati Capituli Patribus, tam Superioribus, quam Subditis, nec non ejuſdem Conventus Priori, Patribus, ac Fratribus, omnibus, & ſingulis pręcipientes in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, & ſub præcepto formali, ut eundem R. P. N. tamquam noſtrum legitimum Vicegerentem recognoſcant, eique debitum honorem, & reverentiam præſtent, & hoc in nomine Patris &c. dat. &c.

Pro audiendis Confeſſionibus Sacramentalibus Fratrum noſtrorum. Formula. VIII.

PAſtoralis ſollicitudo inter alia exigit, ut idonei inveniantur Miniſtri, qui Greges, ſollicitè, & diligentèr de Chriſti menſa in Sacramentorum adminiſtratione paſcere valeãt; quapropter cum Te ex Patrum Examinatorum relatione, in doctrina ſufficientem, & ex Capitularium tui Conventus fide, vitæ probitate prędictum cognoverimus, ideo licentiam, & facultatem in Domino impartimur, ut in omnibus Conventi-

bus noſtræ Provinciæ tantum, habita tamen Superiorum localium venia, Fratrum noſtrorum Confeſſiones audire, eoſque à non reſervatis, niſi temporibus deputatis, abſolvere poſſis. In nomine Patris &c. In quorum fidem præſentes, per noſtrum Secretarium exaratas, ac manu noſtra ſubſcriptas, noſtrique officii ſigillo munitas dedimus. N. in Conventu N. die ... Menſis .. Anno ....

Pro audiendis Confeſſionibus Sacramentalibus omnium Chriſti fidelium. Formula IX.

INter alia, quę noſtro competunt Officio, illud præcipuum eſt, ut idoneos in noſtris Eccleſiis cõſtituamus Miniſtros, qui, & dignum Deo exhibeant famulatum, & fidelibus populis in Sacramentorum Adminiſtratione deſerviant, ne nobis dici poſſit, *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: Quare cum Te jam doctrinæ ſufficientia, ac vitæ probitate per noſtrorum Examinatorũ, & tui Conventus Patrum Capitularium fidem, necnon ætate ultra trigeſimum annum prædictum eſſe cognoverimus, ad munus utriuſque ſexus Chriſti fidelium audiendi Confeſſiones, vigore præſentium, & auctoritate qua fungimur admittimus, & approbamus; Superioribus noſtræ Congregationis facultatem impartientes; ut ſi velint pro prædicto munere obeundo Ordinariis Te præſentent, quatenus ad tale Charitatis Officium juxta Sacros Canones, & Summorum Pontificum decreta, tam in noſtris, quam alienis Eccleſiis peragendum, facultatem tibi impartiri dignentur. Teque in Domino hortantes, & monentes, ut continuo prę oculis habens, quam grave, & difficile ſit, juxta ſacri Concilii Triden. ac noſtrarum Conſtitutionum decreta id munus ſubire, nil intentatum relinquas, quin pænitentium animas Deo lucreris; inhęrendo igitur Apoſtoli pręcepto argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina ne aliorum Criminibus animam tuam reddas obnoxiam.

In

In quorum fidem has per noſtrum Secretarium exaratas dedimus, noſtrique ſigilli impreſſione munitas, & ſubſcriptas tradidimus. N.

Appendix.

PRædicta literarum Teſtimonialium formula inſerviet iis tantummodo, qui à Vic. Generali, ſive à Provinciali peractis omnibus juxta noſtras Conſtitutiones requiſitis ad munera Confeſſariorum adſcribuntur, & deputantur; quæ tamen literæ patentales nunquam Ordinariis ſunt præſentandæ.

Pro Confeſſario Ordinario Monialium. Formula X.

OMnibus, & ſingulis nobis, meritis licet imparibus, commiſſi officii muneribus continuo invigilare nos decet, ſed ſpiritualibus neceſſitatibus Sacrarum Virginum, quæ contemptis ſæculi illecebris, divinis ſe mancipavere obſequiis, ſub regula S. N. N. ſpeciali quadam à nobis, ac ſingulari ſollicitudine ob ſexus, ſtatuſque conditiones occurrere æquiſſimum eſt: Cum igitur Em., & Rev. Dominus Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus (in cujus Diœceſi noſtra Monaſteria ſituantur) pluries, & pluries per Epiſtolas, & graves perſonas inſtantes petierit, ut Monaſterio S. N. Civit. N. Ordinarium Confeſſarium deputaremus, & aſſignaremus; nos ne devotioni prædicti Domini, & prædictarum Monialium neceſſitati defraudaremus, facto Verbo juxta noſtras Conſtitutiones cum Patribus Definitoribus, Reverentiæ tuæ, cujus jampridem probitatem, & idoneitatem experti ſumus, tale injungere munus prædictarumq; Monialium, animas commendare decrevimus, ſicut de facto vigore præſentium injungimus, & cõmendamus, Teque in Ordinarium Confeſſarium in prædicto Monaſterio per triennium ad nutum noſtrum amovibilem, &

dummodo etiam à nobis, & noſtro Definitorio, ſingulo quoque anno confirmeris, declaramus, & deputamus, cum facultate ſervatis ſervandis, Moniales alloquendi, clauſuram ingrediendi, & alia demum exercendi, quæ Regularis obſervantiæ incrementis, ac eorumdem animarum ſaluti in dies expedire videbuntur. Hòc unum in Domino monentes, ut hæc omnia, eo charitatis zelo exequaris,quod Chriſti Sponſarũ Cuſtodię, & curationi debetur, tamquam zeloti Sponſo rationem redditurus. In quorum fidem has per Secretarium noſtrum exaratas dedimus, noſtrique ſigilli impreſſione munitas, ac propria manu ſubſcriptas S.N. die N. &c.

Pro Concionatoribus. Formula XI.

QUoniam opus divinorum diviniſſimum ſit ad animarum ſalutem cooperare,ad quam præcipuè; auxiliante Dei gratia vocati ſumus; Ideo noſtri officii ratio poſtulat, ut aptos prędicationi Verbi Dei,quò poſſint è Dominico grege diſſipatas oves,ad paſcula iterum revocare provideamus; Cum igitur de tua ſana doctrina per Examinatorum noſtrorum relationem nobis conſtet, nec non probatæ, & Catholicæ vitæ amatorem per PP.Capitulares tui Conventus hactenus cognoverimus,in eam ſpem adducti ſumus ut ſis non modo in eo,quod cępiſti, perſeveraturus; ſed etiam in poſterum ardenti animo id idem acturus, ac maximo Charitatis zelo, fidelium animarum ſaluti profecturus. Quamobrem tenore pręſentium, ac noſtri muneris auctoritate, ut in noſtris Eccleſiis cum benedictione, in aliis verò de conſenſu Eminentiſſimorum, vel Illuſtriſſimorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſi prędicare debueris, facultatem, & poteſtatem Verbi Dei concionandi liberè in Domino concedimus, & impartimur;hortamur verò Te,& quantũ poſſumus in Dño monemus,ut juxta noſtras Conſt.,Prophetarũ,& Apoſtolorũ

mu-

munus ſubire, eorum veſtigiis inhęrendo, virtutes, & vitia, pœnam, & gloriam, Dei ſolius honorem præ oculis habens, ad ſolam ipſius gloriam, & populi ſalutem ſpectes; ſcandala item, & errores, ac omnem hęreſim, vel levem ſuſpicionem prædicando evites, quod per Te facile fiet, ſi puram Evangelii doctrinam ad SS. Patrum ſenſuum,& Conciliorum auctoritatem conjiciens oculos prædicaveris, neque in ſublimitate Sermonis, ſed in obſtentatione ſpiritus, & virtutis, ut ſit Sermo tuus, & prędicatio tua non in perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. In nomine Patris, &c. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Pro Lectoribus. Formula XII.

CUm non ſolùm Juxta Concilii Triden., Summorum Pontificum ac noſtrarum Conſtitutionum decreta, maxima requiratur in Lectoribus doctrina, & ſcientia, verum quod potiſſimum eſt vitæ ſanctitas, & maxima prudentia: Cum igitur Te ex noſtrorum Examinatorum relatione ſcientia præditum, ac per tui Conventus Capitulares vitæ probitate ornatum cognoverimus. Ideo auctoritate quà fungimur, Te in Lectorem Philoſophię inſtituimus, facimus, & creamus, & ſic inſtitutum, factum, & creatum, ut liberè in omnibus noſtris Conventibus, & præcipuè in Conventu N. Provincia N. in quo eris curſum incepturus, & Deo favente confecturus, perlegere, & exponere valeas, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur. Hortamur autem Te,& in Chriſto monemus, ut Dei honori, & animarum ſaluti conſulens, ea tantum doceas, quæ ędificationem, & profectum adducere poſſint; aliàs ſcias Dei judicium nullatènus eſſe evaſurum. In quorum fidem has per noſtrum Secretarium exaratas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtri officii munitas dedimus &c.

Pro

Pro Viſitatoribus miſſis ad viſitandum aliquem Conventum à Viſitatoribus Generalibus.
Formula XIII.

Nos NN. Viſitatores Generales, vel Primus Viſitator Generalis &c.

Dilectis nobis omnibus Fratribus Conventus noſtri, Provinciæ N. ſalutem, & obedientiam.

OB multos, & graves labores in Viſitatione Conventuum aliquarum Provinciarum noſtrę Congregationis, uno ex nobis, nempe primo, vel ſecundo Viſitatore infirmitate detento; Ita, & taliter ut non ſine vitæ periculo valeamus ad alteram Provinciam procedere; Ideò ne Fratres in Conventibus dictæ Provinciæ degentibus beneficio Viſitationis priventur, confiſi de bonitate, Integritate, & Idoneitate Rev. tuæ, tibi hoc munus, cum poteſtate, quam ad Univerſitatem cauſarum habemus, & potimur, committimus, & delegamus: Mandantes, & præcipientes omnibus, & ſingulis Fratribus in dictis Provinciis degētibus, ut Te R.P.N. in Commiſſarium delegatum noſtrum recipiant, & admittant. Tibique in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, & ſub præcepto formali omnem obedientiam, & reverentiam præſtent, ſicut, & nobis præſtare tenentur. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas dedimus, & ſigillo noſtri officii munitas fieri mandavimus. Dat. N. die ....

Pro Itinerantibus. Formula XIV.

PRæſcribentibus noſtris Conſtitutionibus, & Decretis fęl. rec. Xiſti Papæ V. & Clementis VIII. quod nullus ex Fratribus noſtris valeat ab uno ad

alium locum, ſine ſui Superioris licentia, & in ſcriptis obtenta traſmeare; Idcircò tenore præſentium, & auctoritate, qua fungimur, vobis prædictis eundi NN. pro aliquibus nobis notis peragendis licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impartimur; fidem facientes nullo vos canonico impedimento retineri, quin Sanctiſſima Sacramenta peragere, & ſuſcipere poſſitis; commedantes vos R. R. Admodum quibuſcumque locorum Superioribus, & piis Chriſti fidelibus, ad quos divertere contigerit, ut hoſpitalitatem ſectantes, cum omni Charitate hoſpitio vos recipere dignentur. In quorum fidem &c.

Pro Euntibus ad Sacras B. V. M. Lauretanæ Ædes Formula. XV.

CUm nobis humilitèr expoſueris magno Te devotionis ardore flagrare, ac deſiderio Sacras B. V. Lauretanę Ædes viſitandi, ibique vota tua perſolvendi, atque alias devotiones explendi; Ideoque à nobis licentiam prædictas Sacras Ædes audeundi poſtulaveris. Nos piæ, ac devotæ hujuſmodi tuæ petitioni benignè annuentes tibi tenore præſentium ad Lauretanam Urbem te conferendi, facultatem concedimus; Inſuper, ut tibi, & alibi, ubi noſtri Religioſi non Commorantur, coram quocunque Sacerdote ab Ordinario loci approbato Confeſſario Sacramentalem tuorum peccatorum Confeſſionem faciendi, & ab eodem abſolutionis beneficium in forma Romanæ Eccleſiæ conſueta obtinendi, prædictas Sacras Ædes perſonalitèr viſitandi, & ibidem, vel alibi Miſſam Celebrandi (ſi fuerit Sacerdos) aliaque pietatis opera, & devotionis faciendi, quæ ad unum pium, & devotum deſiderium explendum, tamquam ſalutem ſpectare quomodocumque dignoſcuntur rogantes, & in Domino obſecrantes R. R. D. D. locorum Ordinarios, & DD. Cuſtodes Sanctarum Ædium, ut te

be-

benignè ſuſcipientes, & charitativè tractantes ad omnia & ſingula exequendi admittant. In quorum fidem &c.

Pro Aggregandis Confraternitatibus Centuratorum in Eccleſiis noſtris. Formula XVI.

Nos F. N. Vicar. Generalis: Dilectis nobis in Chriſto filiis Confratribus, & Consororibus Societatis Sancti Patris Noſtri Auguſtini, & Sanctæ Matris Monicæ in Eccleſia noſtra N. Civitatis N. in Domino legitimè congregatis. Salutem & Benedictionem in Domino.

REgis Regum, qui milites ſuos continentiæ cingulo prçcintos bonarum operationum flamma in manibus micantes ad deſtrictam in diem Adventus ſui rationem paratos quantopere exoptat conſilium amplectentes in Sancta Societate gratum Deo Sacrificium, Juxta S. P. N. Auguſtini placitum malorum abſtinentia expreſſi, Sancta operatione ſignati, pendula diei extremi expectatione ſolliciti exhibentes ſtatutis, ut ſic ſint lumbi veſtri prçcincti, & lucernç ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis; Idque internis votis conceptum in externam converſationem prodire exoptantes ad Eccleſiam noſtram, noſtrçque Congregationis ſodalitium convenire in Domino judicaſtis, ut commune propoſitum, communitèr adjutum ſuffragiis facilius Dei cooperante gratia perenne conſequatur effectum. Nos igitur tale deſiderium in cordibus veſtris à Deo inſitum, ut poteſt fovere cupientes, nobis pulſantibus aperire portas juſtitiæ, deſiderantes de omnipotentis Dei miſericordia confiſi, ac Sanctiſſimæ V. M. S. P. N. Auguſtini, S. M. Monicæ; S. Joſeph: S. Nicolai de Tolentino, & aliorum SS. & Sanctarum Ordinis noſtri ſuffragiis innixi, vos, veſtramque Societatem,

ac

ac unũquemq; veſtrũ ad noſtrum ſodalitium admittimus, & participes omnium ſpiritualium bonorum, quæ fiunt per totam Congregationem noſtram conſtituimus. Inſuper cõmunicantes omnes gratias, indulgentias, cętera-que à Summis Pontificibus Ordini noſtro, ac geſtantibus corrigiam S. P. Auguſtini, & S. M. Monicæ conceſſa, omniaquæ alia, quæ de jure poſſumus juxta decretum S. M. Pauli V. juſſu editum. In nomine Patris &c. Inſuper Societati Veſtræ præponimus Cuſtodem, & Cappellanum R. P. Priorem Conventus prò tempore exiſtentem, vel alium per ipſum deputandum, qui nomine noſtro recipiant, & acceptent de novo venientes Sodales, & Sorores, corrigias benedicat, & tradat, ac participes omnium, ut ſupra conſtituat, cetęraque circa veſtram Societatem gerat, quæ in ſimilibus reliqui Societatis Cuſtodes gerere ſolent. In quorum fidem &c.

Prò Oblatis ſæcularibus Formula XXVII.

PRò tuo in noſtra Congregatione ſingulari affectu, ac devotione, & ferè aſſidua, diligenti, ac fideli ſervitute, non parum Nos Tibi debere profitentes, ea propter juſtum duximus, tuis precibus aſſentiri, quibus noſtræ Spiritualis Militiæ caſtris, & meritorum noſtrorum participationi donari efflagitaſti. Nos igitur auctoritate, quà fungimur, ac de divina bonitate maximè confiſi, tenore præſentium, Tibi præfato libentèr impendimus, & elargimur, concedimus, ac volumus, ut quid quid Jejuniis, orationibus, aliiſque ſpiritualibus, & Deo gratis obſequiis in noſtra Congregatione, vel Provincia, vel Conventu promeremur, & poſtac promerebimur, noſtrorum Socius, & particeps efficiaris, in Vita, in Morte, & poſt mortem; Inſuper quoniam eodem Charitatis affectu Temetipſum, tuaque omnia noſtro Monaſterio N. donatione inter vivos irrevocabili ſpontè obtuliſti, Te ipſum, ideo in noſtrorum Oblatorum

numerum gratioſè recipimus, ac Privilegiis omnibus indultis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & exemptionibus, prout nos fruimur, & potimur, ac frui, & potiri poſſumus, ac debemus harum vigore te donamus, tibique facultatem concedimus, ut habitum nigrum noſtri Ordinis longitudine uſque ad mediam tibiam geſtare poſſis; Inſuper ut exercitiis ſpiritualibus intra Conventum cum Fratribus arbitrio Superioris intervenire valeas, Indulgemus: In quorum fidem &c.

Litteræ Filiationis. Formula XVIII.

CHaritas Dei, quam nobis ante omnia S. P. Auguſtinus comendatam reliquit, urget nos (qui tanti P. Vices in hac Sacra Congregatione gerimus) vobis pro fidei veſtræ ſinceritate, ac devotione, quibus ſpiritualibus noſtris ſuffragiis juvari, in veſtris neceſſitatibus ex corde poſtulaſtis, ac multum promeremini, grati animi debitum rependere. Vos igitur, ac quemlibet veſtrum pro pietate, ac veneratione, qua Deum, & Sanctos ejus colitis, & in noſtram geritis religioſam Congregationem, in hujus gremio ſuſcipimus, & filiorum noſtrorum numero, harum ſerie litterarum conſcribimus, Dei miſericordia, & liberalitate confiſi, atque SS. Deiparæ Virginis, Sanctorumque Auguſtini, & Monicæ Parentum, ac SS. Thomæ de Villanova, Nicolai de Tolentino, Guilelmi, cęterorumque Sanctorum omnium Ordinis noſtri, & aliorum pia interceſſione ſuffulti, omnium Miſſarum, Divinorum Officiorum, Orationum, Sanctarum Lectionum, & Prædicationum, ac etiam omnium abſtinentiarum, flagellationum, peregrinationum, mortificationum, cęterorumque bonorum operum, quæ per Fratres noſtræ Congregationis per univerſum Orbem operari dignabitur Clementia Salvatoris, quantum cum Deo poſſumus, ac noſtrum eſt elargiri, participationem Vobis tenore pręſentium conceden-

dentes, & impartientes in vita paritèr, & in morte, ac poſt mortem, addentes, ut cum obitus veſter, quam Dominus felicem indulgeat, noſtræ Congregationis Fratribus Generalis Capituli fuerit intimatus,ea etiam pro Vobis devotè fieri ſuffragia jubeantur, quæ pro Defunctis ejuſdem Congregationis Fratribus in dicto Capitulo exſolvi;mandant noſtrę Apoſtolicę Conſtitutiones.In nomine Patris &c.In quorum Robur,& perpetuam fidem,prę-ſentes ſigillo noſtro, & manu propria munitas dedimus in Cęnobio noſtro N. N. die .... Menſis .... Anno ....

Prò Provincialibus. Formula XIX.

Nos F. N. à S. N. FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. P.N. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Præſidens Capituli Provincialis, nunc Menſe N. juxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum in Conventu N. Civitatis N. celebrati. Dilectis omnibus, & ſingulis Patribus, & Fratribus Provinciæ N.& Conventuum prædictæ Provinciæ ſalutem in Domino.

AD majorem divini cultus profectum, & incrementum, ac Regularis vitæ perfectionem, præſentiam Paſtoris cùm ſummoperè conducat; Ideo in unaquaque noſtræ Congregationis Provincia, ex Apoſtolico indulto, Priorem Provincialem conſtituere tenemur, ut vigilanti cura pecorum ſuorum veſtigiis inhærendo per ſalubria paſcua, juxta noſtri inſtituti Profeſſionem, ſanctorumque Patrum noſtrorum exempla gregem commiſsũ deducendo ab omni ſpiritualis nequitiæ incurſu, pecus inclitum ſuum protegat, & defendat: Cum igitur ſatis abundè, de prudentia, ſufficientia tua, honeſtate, bono regimine, & regularis obſervantiæ zelo Rev. P. N., nobis conſtet; Ideo ipſum, qui à Capitulo Provinciali nunc celebrato, ritè, & canonicè in Priorem Provincialem prædictæ Provinciæ N.

fuit electus,in Priorem Provincialem prædictæ Provinciæ conſtituimus, deputamus, & declaramus, dantes, & communicantes ei omnem plenam facultatem,& poteſtatem, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quæ ſivè de Jure communi, ſivè ſpeciali, quomodolibet Provincialibus competunt, mandantes eidem Rev. Patri, & in Domino monentes, ut datum munus, ea, qua decet humilitate, & charitate exerceat, & fideliter exequatur, ac tamquam exactam Domino rationem reddituras indeſinenter invigilet; Præcipimus igitur, & mandamus omnibus, & ſingulis Patribus, & Fratribus tàm Superioribus, quàm Subditis prædictæ Provinciæ in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, & ſub præcepto formali, ut prædictum R. P. N. N. in ſuum verum, & legitimum Priorem Provincialem recipiant, & admittant,eique omnem obedientiam, obſequium,& reverentiam humilitèr exhibeant, & præſtent. In quorum fidem præſentes per Secretarium noſtri Capituli Provincialis &c.

Prò Definitoribus Provincialibus. Formula XX.

CUm in Capitulo &c. ut ſupra juxta illam Formulam de Definitoribus Generalibus mutata tamen, toties quoties,particula illa Generalibus,in Provincialibus &c.

Prò Prioribus. Formula XXI.

EX officii noſtri debito omnia, & ſingula noſtræ Congreg.Monaſteria de Superioribus providere agnoſcẽtes; Ideò illos decet ad munera exercenad aſſumere,qui onera,quæ ſolũ Dei gratia levia redduntur, portare dignè valeant; Nos igitur una cum Definitoribus Provincialibus in Capitulo Provinciali, nunc in

Con-

Conventu S. N. N. in Chriſti nomine celebrato, de bonitate, prudentia, idoneitate, & Regularis obſervantię zelo, Rev. P. N. quamplurimùm in Domino confiſi, ipſum in Priorem prædicti Conventus creavimus, elegimus, & deputavimus, dantes, & communicantes eidem Rev. Priori omnem poteſtatem, & auctoritatem ſuper cunctos Fratres prædicti Conventus, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, omniaque, & ſingula agendi, gerendi, & exequendi, quæ ad dictum Prioratus officium, ſive de jure communi, ſive ex noſtris Apoſtolicis Conſtitutionibus pertinere dignoſcuntur, ejus conſcientiam in die Domini onerantes, ut temporalia ſuppeditando perfectioni regulari, animarumque ſaluti tamquam rationem Domino redditurus indeſinenter invigilet. Mandamus igitur, & omnibus vobis præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientię, ut dictum Rev. P. N. N. in veſtrum legitimum Priorem recipiatis, & admittatis, eique debitam obedientiam, & reverentiam prę̨ſtetis. Sed ut prædicto muneri ſatisfacere facilius poſſit, in Suppriorem, qui eum fideliter adjuvet, R. P. N. N. Inſtituimus, & deputamus. In nomine Patris &c. In quorum fidem &c.

Prò Vicariis. Formula XXII.

NOſtrum eſt de Superioribus, qui officia competenter exequi, & honeſtè gerere poſſint, omni diligentia providere; Idcircò una cum R. R. P. P. Definitoribus noſtri Capituli Provincialis, in Spiritu Sancto nunc Menſe N. Civitatis N. celebrato, de Rev. P. electionem fecimus, & ſicut de ejus prudentia, idoneitate, & Regularis obſervaniiæ zelo, quam plurimum in Domino confiſi ſumus, ſic prædicto Conventui non dubitamus maximam utilitatem, tàm ſpiritualem, quàm temporalem eſſe allaturum; Igitur prædicto Rev. P. omnem auctoritatem, ac poteſtatem, quam cæteris

Vi-

Vicariis virtute noſtrarum Conſtitutionum, & de jure communi, ſive ſpeciali, & quomodolibet competunt, damus, tribuimus, & impartimur, ejus conſcientiam in die Domini onerantes, ut temporalia ſuppeditando, perfectioni regulari, animarumque ſaluti, tamquam rationem Domino redditurus indeſinenter invigilet; mandamus igitur, & omnibus vobis in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut dictum Rev. Patrem in veſtrum legitimum Vicarium recipiatis, eique debitam obedientiam præſtetis. In nomine Patris &c. In quorum fidem &c. Dat.&c.

Pro Viſitatoribus Provincialibus. Formula XXIII.

Nos F. N. à S. N. F. F. Eremitarum Diſcalceatorum S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Provinciæ N. N. Prior Provincialis; Dilectis nobis in Chriſto Patribus, & Fratribus in Conventu N. N. degentibus, ſalutem, & obedientiam.

PAſtoralis cura regiminis, nobis licet indignis, divina tamen miſericordia ex alto commiſſa, illud in primis expoſcere videtur, ut ſupra gregem noſtræ curæ creditum, ſumma cum diligentia, & charitate invigilemus; Nobis igitur cum paruulũ hunc Dominicum gregẽ ſit munus demandatũ regere, veri Paſtoris officiũ exercere cupientes, illuũ non ſolum præſentes tueri, ſed etiam abſentes Cuſtodẽ aliquem providendum, & diligentem ipſi preficere debemus. Cũ igitur Nos ad tales Conventus noſtræ Provinciẹ pergere non poſſimus, cumque ſatis abundè de probitate, ſufficientia, morum honeſtate, bono regimine, rerũ experientia, & regularis obſervantiæ zelo Rev. P. N. nobis conſtet, ipſum in noſtrum Vicariũ Provincialem ad prẹdictos Cõventus gubernandos, & regendos cum plenitudine poteſtatis ad univerſitatem cauſarum conſtituimus, & deputamus; ſtricte man-

mandantes Prioribus, & aliis quibuſcumque Religioſis noſtris, tàm Superioribus, quàm Subditis in prædictis Conventibus exiſtentibus, ut prædictum Rev. P. N. veluti talem recipiant, & cognoſcant, ipſique debitam obedientiam, & reverentiam præſtent, prout nobis exhibere tenentur. In virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientię, & ſub pręcepto formali pręcipimus. In nomine Patris, &c. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Prò Pręſidentibus in novis Conventibus.
Formula XXIV.

AGnovimus, favente Deo, quod in Conventu noſtro S. N. Civitatis, vel Terrę N. noviter acceptato, Fratrum competens numerus prò regulari obſervantia perficienda vivere non poſſit, uſque dum fabrica Cellularum, aliarumque Officinarum loca commodè aptata ſint; ideò ut prædicta quam citò finiantur, & Fratres commodè commorari poſſint, Te R. P. N. in Præſidentem prædictæ Domus conſtituimus, & deputamus, & ſicut de tui prudentia, idoneitate, & Zelo plurimùm in Domino confiſi ſumus, ſic prædictæ Domui, & Fratribus ibi manentibus, valdè profecturum ſperamus, quapropter omnem auctoritatem, & poteſtatem, qua cæteri Præſidentes potiuntur, & gaudent, Tibi libenter damus, & impartimur; Præcipimus ergo, & in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ mandamus omnibus Fratribus ibique nunc, & deinceps exiſtentibus, ut Tè in Præſidentem recipiant, & agnoſcant, Tibique debitam Obedientiam, & reverentiam præſtent, ſicuti nobis præſtare tenentur. In nomine Patris &c. In quorum fidem &c.

Prò Supprioribus. Formula XXV.

NOn ſolum ad decòrem, ſed etiam ad perfectum Domus Dei regimen diverſitas Miniſtrorum reperitur; idcircò præter eum, cui præcipuè Conventus cura incumbit, alium ſufficere opportet, qui in onere paſtorali ferendo, ipſum in Domino charitativè, & fideliter adjuvet, de tua igitur Religione, & bonitate confiſi, Te in Suppriorem Conventus S. N. Civitatis, vel Terræ N. cum PP. Definitorii Provincialis annualis conſtituimus, & deputamus, dantes, & communicantes Tibi omnem auctoritatem, qua cęteri Suppriores virtute noſtrarum Conſtitutionum, & Decretorum noſtrę Congregationis potiuntur; præcipimus igitur omnibus Fratribus in prædicto Conventu exiſtentibus, atque in Virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Te in Suppriorem recipiant, & admittant, Tibique in omnibus ad tuum Officium pertinentibus promptè pariant, & obediant: In quorum fidem &c.

Prò Promovendis ad Ordines. Formula XXVI.

Nos Fr. N. à S. N. Prior Conventus S. N. Civitatis N. FF. Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ: Dilecto nobis in Chriſto Filio Fr. N. à S. N. ejuſdem Congregationis Clerico Profeſſo Salutem, & Obedientiam.

NOſtri muneris eſt Miniſtros in noſtris Eccleſiis providere, qui dignum Deo exhibeant famulatum; Cum autem Te F. N. à S. N. noſtræ Congregationis Profeſſum, legitimo Matrimonio natum, Sacro Chriſmate confirmatum, in legitima ętate conſtitutum, nulloque Canonico impedimento detentum eſſe noverimus, ad Emin. & Reverendiſs. Dominum

Archie-

Archiepiſcopum N. ſi fuerit Cardinalis, ſi verò fuerit ſolum Epiſcopus, dicatur ad Illuſtriſſimum, & Rev. Dominum &c. Cum præſentibus noſtra manu ſubſcriptis, & ſigillo noſtri Officii munitis, traſmittimus; Ipſumque in Domino rogamus, ut ſi Te idoneum judicaverit, ſervatis ſervandis, ad primam Clericalem tonſuram, & quatuor minores Ordines, admittere dignetur. In quorum fidem &c.

Appendix.

SI verò F. Noſter in Sacris Ordinandus erit, tunc Prior litteras prædictas efficere non poteſt, ſed Provincialis munus eſt, & in hoc caſu titulus, & ſubſcriptio debent mutari dicendo: *Nos F. &c. Prior Provincialis. Dilecto &c.*

Si autem opus fuerit diſpenſatione ſuper interſtitiis, faciat ſupplicem libellum ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, vel Eminentiſſimum Dominum, (ſi ſit S.R.E. Cardinalis illius Civitatis Epiſcopus,) quo humiliter, pro diſpenſatione ſuper interſtitiis, eum roget ſub hac forma.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Sig.
Overo
Illuſtriſs. e Reverendiſs. Signore.

F. N. di S. N. Humiliſſimo Oratore di V. E. ò di V. S. Illuſtriſſima, umilmente la prega à diſpenſar li meſi (eſprima il numero) *d'interſtitii, che li mancano per poterſi ordinare Diacono, ò Sacerdote conforme i Decreti del Sacro Concilio di Trento &c. Che &c.*

Prò Confeſſariis Ordinario præſentandis. Formula XXVII.

Nos Frater N. à S. N. Prior &c.

Dilectum nobis in Chriſto Rev. P. F. N. à S. N. prædictæ Congregationis Profeſſum, Sacerdotio inſignitum, Sacra Theologia morali inſtructum, in legitima ætate conſtitutum, probatis moribus condecoratum, per Rev. P. Provincialem ſervatis ſervandis ad munus Confeſſarii approbatum, & deputatum, nullo Canonico impedimento detentum, coram Em. V. aut Dominat. Veſtra Illuſtriſs. ſiſtimus examinandum, & quatenus idoneus reperiatur, humiliter ſupplicamus, ut ad audiendas Sacramentales utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confeſſiones in ſua Diœceſi juxtà Sacrorum Canonum, & Sacræ Congregationis Decretorum præſcriptum, eum admittere dignetur. In quorum fidem &c.

Prò Primo Diſcreto ituro ad Capitulum Generale. Formula XXVIII.

In Dei Nomine. Amen.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti N. Indict. N. Die N. Menſis N. Pontificatus D.N. D.N. PP. N. Anno ejus N.

Nos infraſcripti Patres, Præſidens Capituli Provincialis, Prior Provincialis, Definitores Provinciales, Priores, & Diſcreti Conventuum, cæterique Gremiales Capituli Provincialis Provinciæ N. Tenore præſentium, fidem facimus, & teſtamur, quomodò, & qualitèr die prædicta Seſs. N. in Conventu S. N. ad ſonum campanulæ de more pulſatæ con-

gre-

gregati pro èlectione Diſcretorum Provincialium faciendà, præmiſſo Hymno *Veni Creator Spiritus*, lectaque per Secretarium Capituli Provincialis *Bulla fel. rec. Alexan. PP. VII. & part. 3. cap. 9.* noſtrarum Conſtitutionum *de electione, & officio Socii ituri ad Capitulum Generale*, ab eodem Secretario intimata fuit electio Primi Diſcreti Provincialis ituri ad Capitulum Generale, & dato ab omnibus publicè juramento de Digniore eligendo, datis ſchedulis per ſecreta ſuffragia in Primum Diſcretum Provincialem cum qualitatibus in Bulla requiſitis canonicè electus fuit R. P. N. à S. N., qui à R.P. Præſidente confirmatus fuit, dataque eidem omnis auctoritas, & facultas, quam cæteri Diſcreti Provinciales habere conſueverunt, & Diſcretis ituris ad Capit. Gener. vi noſtrarum Apoſtolicarum Conſtitutionum tribuitur.

Item fidem facimus, & atteſtamur eodem modo canonicè electum fuiſſe in ſecundum Diſcretum loco Primi, in caſu mortis, ſeu alterius cujusvis legitimi impedimenti, ſubrogandum, R. P. N. à S. N. qui à R. P. Præſide confirmatus fuit.

In quorum fidem has per Secretarium Capituli Provincialis exaratas, manu omnium Noſtrum firmatas, & ſigillo Provinciæ munitas, dedimus in ſupradicto Conventu, die, menſe, & anno, ut ſupra.

Poſtea ſe ſubſcribent primo loco R.P. Præſidens, R.P. Provincialis noviter electus, R.P. Provincialis abſolutus; Quatuor Definitores noviter electi, deinde abſoluti, poſtea Priores, & Diſcreti juxta antiquitatem Conventuum, & demum Secretarius Capituli Provincialis.

Prò ſecundo Diſcreto ituro ad Capitulum Generale deſerviet præcedens formula, cum hoc tamen, quod loco primi Diſcreti, ponatur Secundus, quod idem ſervari debet reſpectivè ad ſecundum Subſtitutum &c.

Prò Diſcreto Ituro ad Capitulum Provinciale.
Formula XXIX.

QUia juxta noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum Diſcretus in Capitulum Provinciale iturus, ſuæ electionis litteras oſtendere debet; Ideo nos Infraſcripti fidem facimus, & Verbo veritatis teſtamur; qualiter hora N. die ... Menſe ... Anni ... congregatis ad ſonum campanulæ in loco ſolito Capituli hujus noſtri Conventus S. N. Provinciæ N. omnibus Patribus, juxtà noſtras Conſtitutiones vocem habentibus, pro ejuſdem Diſcreti electione facienda, Invocatoque Divini Spiritus auxilio, lectoque *cap.* 1. 3. *part. noſtrarum Conſtitutionum*, ac deinde *cap.* 9. ejuſdem partis, cum pręcepto ibidem lato, pręſtitoque ab omnibus juramento de digniori eligendo, tandem ad electionem Diſcreti ſupradicti devenimus, & canonicę electus fuit in Diſcretum pro hoc noſtro Conventu N. P.N. qui tres Annos in noſtra Congregatione laudabiliter vixit, & in dicto noſtro Conventu commoratus fuit; quę electio cum pro ritè, & rectè facta à Rever. P. Priore, uti Præſidente Capituli, cognita, & habita fuiſſet, ſimiliter more ſolito fuit confirmata, & prædicto R. P. in Diſcretum electo tota illa auctoritas, quam habent cæteri Diſcreti in Capitulis Provincialibus erogata, & tributa fuit; Rogamus igitur, ut tamquam Socius noſtri Prioris ituri ad Capitulum Provinciale, & Diſcretum noſtri Conventus apud omnes habeatur, illique plena, & integra fides in his, quæ ad noſtrum Conventum pertinent, tamquam ipſius vicem gerens, adhibeatur, & pręſtetur. In quorum fidem præſentes propria manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo prędicti Conventus munitas dedimus &c.

Ego

Ego F. N. à S. N. Prior, ſupradictæ electioni Præſidens interfui, & electum, prout præmittitur, confirmavi.
Ego F. N. à S. N. Primus Scrutator, confirmo ut ſupra.
Ego Fr. N. à S. N. Secundus Scrutator confirmo, ut ſupra.
Ego F. N. à S. N. confirmo ut ſupra, &c.

& ſic de ſingulis, uſque ad ultimum, &c.

Prò Quæſtuariis. Formula XXX.

JUxta præceptum Dñi dicentis, nolite poſſidere aurũ, neque argentum, neque pecuniam, Evangelicam hanc paupertatem deſiderantes, & profitentes, vobis prædictis in Domino committimus, ut Civitatem N. ejuſque ſuburbia, & alia loca circumvicina adire poſitis, ibique de conſenſu Reverendiſ. loci Ordinarii, legumina, & alia nobis neceſſaria humiliter petere, & quęſtuare; & quia juxta noſtras Conſtitutiones prohibetur, ne quis ſe itineri committere audeat, quin à ſuo Superiore licentia in ſcriptis, ſit munitus, igitur vos, ut hoc munus tuti in Domino exercere poſſitis, his noſtris libenter munimus: plurimum in Domino vos comendantes, omnibus locorum Superioribus, & Chriſti fidelibus, ad quos divertere contigerit, ut Chriſtiana charitate vos amplectantur, omnique ope, & eleemoſynis vos adjuvent, ſcientes vos à Chriſto largiſſimo remuneratore ampliſſima mercede promerendos. In quorum fidem &c.

Pro

Prò Studentibus Curſum Philoſophiæ explentibus. Formula XXXI.

Ego F. N. à S. N. F.F. Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Congregationis, Italiæ, & Germaniæ Lector ordinarius Philoſophiæ in Conventu S. N. N. Provinciæ N. Dilecto nobis in Chriſto Fratri N. à S. N. ejuſdem noſtræ Congregationis Clerico Profeſſo. Salutem.

NE ad utiliores ſcientias progredi impedimentum exiſtat, cum nulli permittatur S. Theologiæ novum curſum incipere, niſi conſtiterit in Philoſophicis operam daſſe, & perfeciſſe; Ideò fidem in Domino facimus, & verbo veritatis teſtamur, Te F. N. à S. N. Provinciæ N. Philoſophicas diſciplinas ſub me tuo Præceptore audiviſſe, ac in eis profeciſſe, ita ut interveniente Superiorum licentia, & facultate, libere valeas curſum S. Theologiæ incipere; In quorum fidem præſentes propria manu ſubſcriptas, & ſigillo prædicti Conventus munitas dedimus &c.

Ego F. N. à S. N. Philoſophiæ Lector Ordinarius.

Ego F. N. à Sancto N. Prior.

Prò Studentibus Sacræ Theologiæ Curſum explentibus. Formula XXXII.

CUm Nemini liceat Verbum Dei miniſtrare, de Theologicis quæſtionibus diſſerere, de ſacris ſcientiis pertractare, ac Lectoris officium exercere, niſi evidenter conſtiterit in Sacra Theologia Scholaſtica fuiſſe ſufficienter inſtructum, & eruditum; Quapropter fidem in Domino facimus, ac verbo veritatis teſtamur Patrem N. à S. N. Sacram Theologiam juxta noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum ſub nobis tuis

Præ-

Præceptoribus audiviſſe, ac in ea ita inſtructum eſſe, ut habita Superiorum licentia, & facultate liberè concionari, & ad munera Lectoratus promoveri valeas. In quorum fidem, &c.

Ego F. N. à S. N. Sac. Theologiæ Lector Ordinarius.
Ego F. N. à S. N. Sac. Theologiæ Lector Ordinarius.
Ego F. N. à S. N. Prior.

Appendix.

SI verò Lectores cognoverint prædictum Fratrem non eſſe pro munere Lectoratus ſufficientem; relinquant illa verba, & ad munera Lectoratus, & dicant tantummodo, liberè concionari valeas &c.

Profeſſio fidei facienda ab Adm. R. P. Vicario Generali, nec non à Provinciali, poſtquam electi, & confirmati fuerint.
Formula XXXIII.

Ego F. N totius noſtræ Congregationis Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ, & Germaniȩ, Vicarius Generalis, (ſi autem ſit Provincialis, Ego F. N. Noſtrȩ Provinciæ N. Prior Provincialis) firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur videlicet.

CRedo in unum Deum &c. *prout reperitur in ritu Capituli Generalis, & Provincialis, cum hac tamen differentia, quod quæ ibi in numero plurali dicuntur, dici debent in numero ſingulari.*

Et deinde ſubjungat. Ita Ego N. ſpondeo, voveo, & juro, & ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Sic etiam facient reliqui Superiores electi reſpectivè Priores ad ſuos Subditos, & Fratres ſui Conventus, cum

cura

cura animarum immediata; & Studentes quando poſt finem ſtudiorum à ſuis reſpectivè Lectoribus litteras patentales accipiunt; Cum hac tamen differentia, quod Superiores eam facient coram toto Capitulo Conventuali; Studentes verò coram Priore, & Lectoribus illius Conventus in quo litteras patentales acceperint; Et hi uſque ad illa verba curaturum *relictis aliis* in correptionibus.

Ritus De modo pulſandi Campanas. Cap.XXX.

HOc ſignum X. annuit utraſque campanas pulſari debere.

Hoc S.annuit campanam majorem pulſandam eſſe.

Hoc I. annuit minorem campanam eſſe pulſandam.

Hoc verò o. denotat dandum eſſe ictum Campanæ majoris. Hoc autem dd. ictus utriuſque campanæ.

In feſtis duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis,vel quæ de præcepto, aut Conſuetudine obſervantur: ad primas, & ſecundas veſperas, & ad Matutinum, & ad Miſſam Solemnem, ſi canenda fuerit: XXXI.

In Dominica ad primas Veſperas, & ad Matutinum. XXI.

In Dominica ad ſecundas Veſperas. XXXI.

In feſtis ritus duplicis,ad utraſque Veſperas,& ad Matutinum: SSI.

In feſtis ſemiduplicibus, & in diebus infra Octavam, necnon in feſtis ſimplicibus, & ferialibus diebus,ad utraſque Veſperas, & Matutinum SI.

Ad Laudes tamen, eodem modo, quo factum fuit in primo ſigno ad Matutinum v.g. vel X. vel S.

Ad omnes horas minores, & Completorium. SI.

Ante Orationem mentalem Matutinam, aut Veſpertinam. o. o. o.

Pro Miſſa Solemni, vel Officio, vel Exequiis Defunctorum SI.dd. SI. dd. SI. dd. I.

A prin-

A principio Proceſſionis noſtrarum Eccleſiarum uſque ad finem . X.

Ad Concionem per intervalla S. & o. o. o. o. &c.

Ad Salutationem Angelicam, tam de mane, quam de Veſpere o. o. o. | o. o. o. | o. o. o. | vel o. o. o. | o. o. o. o. | o. o. o. o. o. | o.

Seù tractus primò quinque, ſecundò quinque, tertiò quinque.

Ad De profundis. o. o. o. | o. o. o. o. | o. o. o. o. o. | o.

In ſero præcedenti feſtivitatum primæ Claſſis, dierum Indulgentiarum, & Orationum quadraginta horarum poſt De profundis XXX.

In ſero præcedenti feſtivitatum ſecundæ Claſſis, & duplicium Majorum Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & Ordinis noſtri, & Dominicæ ſecundæ, aut tertiæ, aut quartæ, ſi ſit exponendum SS. Sacramentum. X.

Si Antè noſtras Eccleſias tranſeunt ſolemnes Proceſſiones à principio uſque ad finem. X.

Si poſt Veſperas fieri debet Concio in noſtris Eccleſiis poſt ſalutationem Angelicam in meridie. X.

De modo pulſandi campanulam Conventus.

AD Conventum verrendum, ad primum, & ſecundum refectionis ſignum ad meridianum ſilentium indicandum, ad orationem Serotinam, ad canendas Beatiſſimæ Mariæ Virginis Litanias in Eccleſia, ad miniſtrandam Sacram Euchariſtiam infirmis per modum Viatici, ad commendationem animæ Fratris noſtri, ad occurrendum corpori Defuncto alicujus Sæcularis, ad exponendum, vel reponendum Sanctiſſimum Chriſti Corpus. Ad concionem, vel Sermonem incipiendum pulſatur campanula; per ſpatium unius *Ave Maria*.

Ad Congregandos omnes Fratres Conventus priùs duodecim ictibus, & poſteà per ſpatium unus *Ave Maria* campanula pulſetur.

Ad Congregandos Capitulares Conventus, prius ſex ictibus deindè per ſpatium unius *Ave Maria* campanula pulſetur,

Pro Congregando Capitulo Generali, vel Provinciali, vel Definitorio tribus vicibus campanula pulſetur per ſpatium dimidię *Ave Maria*.

Pro Miſſa Couventuali, detur unus ictus, & deindè Campanula pulſetnr per ſpatium unius *Ave Maria*.

Pro Lectione Philoſophię pulſatur campanula Conventus per ſpatium unius *Ave Maria*, & deindè datur unus ictus.

Pro Lectione Sacrę Scripturę, vel Caſuum conſcientię per ſpatium idem unius *Ave Maria* campanula pulſatur, & deindè dantur duo ictus.

Pro Lectione verò Sacræ Theologiæ pulſatur campanula Conventus eodem modo, & dantur tres ictus.

Pro vocandis Miniſtris.

Culinæ datur unus ictus

Infirmariæ dantur duo ictus

Refectorii dantur tres ictus

Veſtiarii quatuor ictus

Sacriſtæ quinque ictus

Hoſpitii verò ſex ictus dantur.

Hic tamen eſt advertendum, quod quando fiunt Concluſiones, ſivè Hebdomadariæ, ſivè Menſales, aut Publicæ datur ſignum idem, quod daretur pro Lectione illius facultatis, de qua fit concluſio; Quod pariter eſt extendendum quando fiunt examina ſtudiorum ſingulis annis, ab Admodum R. P. Vicario Generali, vel Provinciali.

TA-

TABULA

PULSANDI CAMPANAS IN

Numerus denotat Horam, linea

Januarius.

1		15
7.	Matut.	7
13.	Orat.	13.
17.	Sexta	17.
19.	Merid.	19.
20.	Veſp.	20.
23	Compl.	23
24	Salut. Ang.	24
1	De profund.	1

Februarius.

1		15
6—	Matut.	6
12 —	Orat.	12—
16 —̣	Sexta	16 —̣
18—	Merid.	18.
20	Veſp.	20
23	Compl.	23
24	Salut. Ang.	24
1	De profund.	1

Martius.

1		15
6	Mat.	5—
12	Orat.	11—
16—̣	Sexta	15—̣
18	Merid.	17—
20	Veſp.	20
23	Compl.	23
24	Salut. Ang.	24
1	De profund.	1

Julius.

1		15
5	Matut.	5
10	Prim.	10
14—	Sexta	14.
16	Merid.	16
18—	Veſp.	18—
21—̣	Compl.	21—̣
22.	Litaniæ	22.
24	Salut. Ang.	24
.	Silent.	.
—	De prof.	—

Auguſtus.

1		15
5	Matut.	5.
10	Prim.	10.
14—	Sext.	14—
16.	Merid.	16—
18—	Veſp.	18—̣
21—̣	Compl.	21—̣
22.	Litaniæ	22.
24	Salut. Ang.	24
.	Silent.	.
—	De prof.	—

September.

1		15
5—	Matut.	5—̣
10—	Prim.	11
15—	Sext.	15—̣
16.—	Merid.	17—
19	Veſp.	19—
22	Compl.	22
22—	Litaniæ	22—
24	Salut Ang.	24
—	Silent.	—
—̣	De prof.	1

PERPETUA

TOTA NOSTRA CONGREGATIONE.

ſemihoram, & Punctus quadrantem.

Aprilis.			*Majus.*			*Junius.*		
1		15	1		15	1		15
5 .	Matut.	5	5	Mat.	5	5	Mat.	5
11	Prim.	10—	10	Prim.	10	10	Prim.	10
15—	Sext.	14—.	14—	Sexta	14—	14—	Sext.	14—
17	Merid.	16—.	16—	Merid.	16 .	16	Merid.	16
19 .	Veſp.	18—.	18—	Veſp.	18—	18—	Veſp.	18—
21—.	Compl.	21—.	21—.	Compl.	21—.	21—.	Compl.	21—.
22 .	Litaniæ	22 .	22 .	Litaniæ	22 .	22 .	Litaniæ	22 .
24	Salut. Ang.	24	24	Salut. Ang.	24	24	Salut. Ang.	24
.	Silent.	.	.	Silent.	.	.	Silent.	.
—.	De prof.	—	—	De prof.	—	—	De prof.	—

October.			*November.*			*December.*		
1		15	1		15	1		15
6	Matut.	6 .	6—	Matut.	6—.	7	Matut.	7
11—.	Orat.	12—	12—	Orat.	13	13 .	Orat.	13 .
15—.	Sext.	16—	16—.	Sext.	17 .	17 .	Sext.	17 .
17—.	Merid.	18	18—	Merid.	18—.	19	Merid.	19
19—.	Veſp.	20	20 .	Veſp.	20 .	20 .	Veſp.	20 .
22—	Compl.	22—	23	Complet.	23	23	Compl.	23
22—.	Litaniæ	22. —.	24	Salut. Ang.	24	24	Salut. Ang.	24
24	Salut. Ang.	24	1	De prof.	1	1	De prof.	1
—.	Silent.	—.						
1	De prof.	1						

Nota

Nota tamen quod quotiès dicendum erit Officium B. Virginis, aut cantanda erit Miſſa pro Defunctis pulſari debet ad horas antè prandium, per quartam horæ partem, ante horam in hac tabella deſignatam.

Et quando canenda erit Miſſa ſolemnis in feſtis duplicibus Primæ, & ſecundæ Claſſis, vel in aliis ſolemnitatibus, pulſabuntur campanæ per mediam horam ante ſignum hujus tabulæ.

Sicut in ſero quando dicendum erit Officium paruum B. Mariæ Virginis, vel Sermones S. P. Auguſtini pulſabitur ad Completorium per mediam horam ante ſignum hujus tabulæ.

Advertere etiam debet pulſator Campanarum diurnus, quod in diebus jejuniorum Eccleſiæ taliter regulare debet pulſationem pro horis ante prandium, quod prandio finito ſit hora pulſandi ſignum meridiei, juxta modũ, & tempus in hac tabella pro menſibus deſignatum.

Tempore verò Adventus, & Quadrageſimæ ad completorium ita pulſetur, ut finita oratione ſit quarta pars horæ noctis.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google